Salome ut pacis ſemper æmula, Antipatrũ cõtra Archelaũ agere concitat pro regno Iudææ 500.501
Salome ciuitates ab Auguſto donatæ 509
Salome mortua Marco Iudeam gubernãte 515
Salome filia Herodis 480
Salothi uicus 708
Sallũ filius Ideæ ſacerdos 295
Salutis cauſa data eſt poteſtas 44
Samachonitis palus 132
Samad pater quorundam ſapientum Hebræorum 226
Samariæ deſcriptio 708
Samaria expugnata à Cereale 722.725
Samaræus filius Chanaan 15
Samareon ciuitas 245
Samaria unde dicta eodem

Samaria obſidetur ab Adher 261
Samariæ tãta fames, ut duæ mulieres filios ederent eodem
Samaria olim, nũc Sebaſtia & Sebaſte 446
Samaria obſeſſa ab Hyrcano archiſacerdote 380
Samaria deletur eodem
Samariã captam Cuthei alienigenæ occupant 280
Samarias princeps tribus Symeon inſipiẽter loquitur 101
Samaritæ leproſi fugã hoſtiũ nunciãt 262
Samaritæ accuſantur apud Darium 312
Samaritæ cuius fuerint nobilitatis 328
Samaritis eſt origo qua ſe Iudæos eſſe, & non eſſe fatentur 329
Samaritanorũ mala in Iudæos 340
Sambalas Samarita 312
Samei uiri iuſti ſententia de Herode 404
Samnas rex 859
Samna filius Ieſſe 161
Samoneus (rectius Aſomoneus) pater Symeonis auus Matathiæ 548
Samoſata oppidum 423
Samſonis etymologia & natiuitas 139
Samſon leonem ſuffocat 140
Samſon trecentis uulpibus depopulatus meſſes Palæſtinorum eodem
Sam. Gazæ portas effregit 141
Sam. per Dalilam deluſus ibidem
Sam. Palæſtinis traditur p Dalilã 141,142
Sam. iteriũt unà cũ tribꝰ hoſtiũ milibus 142
Sam. princeps Iſraël XX. annis ibidem
Sam. quæſtio Thamnitis propoſita 140
Samſonis parentes & uxor occiſi à Palæſtinis eodem
Samuel indignatus inungit Saul 149
Samuel prædicit afflictiones populo futuras 150
Samuel prædicit Saul auferẽdũ regnũ 160
Samuel pergit Bethlehẽ uncturus Dauid regem 161
Samuel uita defunctus 172
Samuel ſenex filijs res diſpenſandas iniungit 149
Samuel Palæſtinos ſubiugauit 148,149
Samuel cladem Iſraëliticam & filiorum Eli perditionem prædixit 144.145
Samuelis ortus eodem
Samuelis oratio ad populum 148
Samuelis filij inſuſtitiæ accuſati abdicãtur officijs 149
Samuelis ſecunda oratio ad populum Iſraël 154
Samuelis uerba, tonitrua cõfirmarũt 155
Samuelis reſponſio ad Saul ſuper inobedientia 160
Samuelis umbra alloquitur Saul 176
Sanabalath Samarita pater Iſacham, ſocer Manaſſæ fratris Iadili 326
Sanabalath, pmittit ſacerdotiũ genero ib.
Sanabalath ab Alexandro obtinet poteſtatem condendi tẽplum genero 327
Sanabalath mortuus eodem
Sanagar princeps Hebræorum 132
Sanctũ ſanctorũ in tabernaculo Moſis 72
Sanctæ unctionis confectio 78
Sanguineus fluuius aquæ 56
Sanſigeranus rex Amaſorum 570
Sapha ſcriptor Ioſiæ regis 285
Saphin locus interpretatur ſcopulus 328
Saphat pater Heliſæi 249
Saraias ſcriba exercitus Dauid 191
Sarabaſne & Siſinnio ſatrapis Syriæ epiſtolam mittit Cyrus 305
Sara curat ablegari Agar cum Iſmaël 20
Sara filia Aram 14
Sara uxor Abrahæ eodem
Sara cũ Abrahã migrat in Agyptũ 15
Sara ſepulta 22
Saræ ætas eodem
Sarobazanes præfectus Syriæ 310
Sareas põtifex occiditur in exilio Bab. 292
Sarepta ciuitas 246
Sardiniorũ decretũ pro Iudæis 410
Saris princeps Babyloniorum contra Hieruſalem 298
Saruia ſoror Dauid 174
Saruch filius Reu 14
Saruch quando genitus eodem
Sardonychum lapidum mira uis 79
Saturnini ſententia de filijs Herodis 476
Saturninus procurator Syriæ 478
Satum menſuræ genus 262
Saturninus coniunx Paulinæ 518
Saturninus tutor Fuluiæ 520
Saul filius Cis 150
Saul perditas oues quærẽs uenit ad Samuelem 151
Saul ungitur in regem Iudæorũ ibidem
Saul ad regnũ electus ſeipſum abſcõdit 152
Saul profligauit Naas & Ammonitas 155
Saul ſecũdo ungitur in regem 154
Saul in Dauid inuidia &c. 164
Saul ob ueram fortitudinem laudatur à Ioſepho 177

Saul ſuo gladio interit 180
Saul & filiorũ corpora præciſis capitibus ſuſpenſa ab hoſtibus eodem
Saul & filiorũ corpora labitæ ui hoſtibus ablata ſepeliunt eod.
Saul ſecundus 588
Scala Iacob 26
Scaurus quomodo Ariſtobuli ſecundi & Hyrcani tertij legatos ſuſceperit 394.604
Scaurus pecunia corruptus 394
Schalamitæ 601
Scipio Alexandrum Ariſtobuli filium ſecuri percuſſit 402
Scopos locus 696.775
Sebaſtus præſes Alexandriæ 566
Sebaſtia, olim Samaria 446
Sebaſtus portus 486
Sebabeth pater Reſphe 183
Sebatatha conuallis 244
Sebeth ciuitas Galaadina 158
Sebon ciuitas 389
Sebonitis regio 546
Sedechias rex Hieruſalẽ poſt Ioachim 288
Sedechias in obſidione Hieruſalem cõſultat Hieremiam 290.291
Sedechias fugiẽs capitur à Babyloniis hoſtibus 291
Sedechias in Babylone moritur, & honorifice ſepelitur 295
Sedechiæ filij perimuntur, ipſe autem excæcatus ducitur ad Babyloniam 292
Sedechias pſeudopropheta refutat, pphetiam Micheæ 254
Sedebath menſis 96
Seditio contra Moſen 86
Seditio contra Moſen grauiſſima exoritur 90
Seditio iterũ orta in Moſen 93.94
Seductio mulieris 4
Segehem locus, in quo ſepultus Saul 180
Segete loci nomen 169
Seiran uilla 130
Seir mons ab Eſau habitatus 32
Seianus inſidiator Tiberij 529
Sela filius Iudæ 46
Sella uxor Lamech 6
Seleuſarus patrem occidit 282
Seleucus Babylonem apprehendit 329
Seleucus Soter filius magni Antiochi 545
Seleucus filius Antiochi Grypi Antiochũ Cyzicenũ patruum occidit 386
Seleucus expugnatur ibidẽ
Seleucia ciuitas condita à Seleuco Nicanoris 548
Seleucia Antiochi Pharanx 602
Seleuciæ ingens cædes Iudæorũ facta 546
Selene Cleopatra regina Syriæ 390
Seleuci Nicanoris beneficẽtia in Iud. 338
Seleucia urbs Syriæ circa Antiochiã 376
Sellum interfecit Zachariam filium Hieroboam 275
Semeias propheta ad Roboam 257.240
Semeias filius Eli 209
Semeias refragatur Adoniæ ad regnum aſpiranti 215
Semei unus principũ militiæ Salom. 220
Semẽi cõuicijs afficit Dauid exulantẽ 200
Semei exorat ueniam 205
Sem filius Noë 10
Semelius uetuit Iudæos ciuitatem & tẽplũ reſtaurare 306
Sennaar campus 10
Sennacherib rex Aſſyriæ contra Hieroſolymam caſtrametatus 280
Sennacherib à filijs perimitur 282
Sennacherib ſucceſſit Aſaracoldas eod.
Senatus conſultum pro Iudæis 402
Seniores 70. ab Eleazaro pontifice ad Ptolemæũ Philadelphũ miſſi magno honore excipiuntur 335
Sentij oratio ad ſenatum Romanum de imperio abrogando 559
Seon rex Amorræorum 96
Seon prælio contendit 96
Sephori Galilææ populi 398
Sephoris à quo condita 515
Sephoris hoſtibus ſe tradit 695
Sephina turris 779
Septem principes ſint uniuſcuiuſq; ciuitatis 107
Sephines turris 780
Septimi menſis ratio 81
Septuaginta ſeniores cum donarijs à rege dimittuntur 337
Sephorim ciuitas Galilææ 505
Sephora filia Rahuelis uxor Moſi 55
Sepulchrũ Dauid ab Hyrcano apertũ 598
Sepulchrum Dauid infeliciter ab Herode apertum 465
Serebæus Iudæorum princeps in reditu à Babylone 309
Seret filius Zabulon 46
Seron dux inferioris Syriæ uincitur à Iuda Machabæo 350
Serpens maledictus 5
Serritæ populi 175

Sefos genus regum Aegyptiorum 859
Sex. Cerealis 817
Sex. Cæſar Syriæ rex 404
Sex. Cæſar inſidijs interficitur 612
Sicariorũ interitus, qui in Alexandriam & Thebas profugerant 856
Sichem filius Hemor 31
Sichima ciuitas eodem
Sichimitæ populi eodem
Sichimitæ delentur 156
Sichimitæ ſaluati per Saul 159
Sichimitæ coram Alexandro ſe Hebræos eſſe non Iudæos profeſſi ſunt 329
Sichimorum prouincia 33
Sichimitarũ epiſtola ad Antiochũ 348
Siclus Hebræorum numiſma 203
Sidon filius Chanaan 15
Sidon ciuitas eodem
Sidon capta ab Alexandro 327
Sidonius Sichimitas nũcupauit Hebr. 329
Sidonijs mandatum miniſtrare materiam templi 211
Sidrach nomen Ananiæ ſocij Danielis apud Babyloniam 296
Siene 768
Siloa fons 779
Silas tyrannus Iudæus 394
Silam filius Neptalim 46
Silo ciuitas 236
Silo dux Rom. contra Parthos ab Antiocho filio Ariſtobuli, pecunia corrupt⁹ 420
Simron filius Iſachar 46
Similitudo Iacob & Eſau 25
Simobarus rex Sodomitarum 16
Simon Geraſenus 762
Simon ab Hieroſolymitis contra zelotas præficitur 765
Simon Gioræ ſeditioſus Iudæus 705
Simon à Romanis captus 828
Simon Romam ductus occiditur 837
Simon Iuſtus Oniæ patri ſuccedit in ſacerdotium 332
Simoni mortuo Eleazarus frater ſuccedit eodem
Simõ filius Oniæ auaro patri ſuccedit 345
Simone mortuo ſucceſſit Onias filius eod.
Simeon filius Aſamonei 348
Simon Matathias filius Matathiæ ſb.
Simon Matathias contra Tyrios pugnãs uictor euadit 353
Simon à regione Tyri uſq; ad Aegyptum militiæ præficitur 370
Simon Bethſuram capit 371
Simon populum Iudaicum ſuper luctu Ionathæ Abãton ſolatur 374.
Simon dux populi factus à Tryphone circumueniri nequijt Mauſoleũ fratri ſtruxit, & arcẽ Hyeroſol. diruit 374.375.597
Simon perfidiam & ingratitudinẽ paſſus ab Antiocho Sotere 376
Simon inſidijs Ptolemæi generi ſui interfectus 598
Simon Doſithei filius legatus Iudæorum ad Romanos 379
Simon filius Buzi Alexandrini inſtituitur ſacerdos ab Herode, filiam eius in uxorẽ ducente 448
Simon Herodis ſeruus regnandi æmulatione Iudæam infeſtans, à Grato occiſus eſt 659. 660.
Simon Eſſenus expoſitor ſomnij Archelai 512, 664
Simon Camithi filius, põtifex poſt Eleazarum Annæ filium 516
Simon Boëthus Canthara pontifex 567
Simon Hieroſolymites detractor Agrippæ maioris 570
Simon Galilæus crucifixus 579.664
Simon Cyprius magus 582
Simõ Ethei legatus Iudæorũ ad Florũ 688
Simonis filij Sauli egregia fortitudo 692
Simonis Gioræ tyrannis 705
Simeon Gamalielis 745
Sina mons 54
Sina mons ſterilis, nullorumq; fructuum ferax 61
Siphas Galaadites 202
Sitennua puteus 24
Siſara dux exercitus Chananæorũ 132
Siſara interfectus à Iahel muliere 133
Siſinnius Syriæ et Phœniciæ põfect⁹ 305.310
Sobarus ſophiſta occiſus 690
Sobachus princeps militiæ Ammonit. 195
Sobnea ſcriba Ezechiæ 281
Socho loci nomen 162
Socho ciuitas à Roboã ſtructa 239
Sodomitæ uicti ab Aſſyrijs 16
Sodomitarum reges v. eodem
Sodomitæ tributũ ſolebãt Aſſyrijs eod.
Sodomitæ captiui erepti eodem
Sodomorũ excidiũ 18.19
Soëmus 695
Soëmus Herodis amicus 439
Soëmus mandatũ Herodis pandit de Mariamne occidenda 440
Soëmus interficitur 442

Sogor locus in quem refugit Lot 19
Sol ſtetit 121
Solis retrogreſſio per x. gradus 285
Solomona mater ſeptem Machabæorum martyrum 901
Solon legislator 882
Solyma ciuitas 17
Sondus Arabs à Sylæo occiſus 485
Somniũ pincernæ Pharaonis ſoluitur 37
Somniũ panis hordeacei narratũ ab hoſtibus Gedeonis 134
Sophar filius Eliphas 32
Soron filius Herculis 22
Sorophaci barbari eodem
Sors ad diuidendam terram mittitur pro tribubus Iſraël 123
Soſibius primas cuſtodiæ Ptol. Philadelphi 330
Soſius Herodis adiutor in bello 423
Sotanis 735
Spartiatæ Lacedæmones 371
Sponſi bello inutiles 115
Stagnum Geneſar 515
Statua Abſalom 205
Strabon geſtorũ Pompeij meminit 396
Strabon Cappadox 380
Strabon 385
Stratonis turris 382
Stratonis turris, nunc Cæſarea 446
Stratopedes incenditur 690
Stoccheus libertus Agrippæ maioris 531
Stola pontificalis à Vitellio ſacerdotibus data 521
Stolæ cõſeruãdæ poteſtas Iud. cõceſſa 575
Stolæ ſacerdotales in tẽplo Salomonis 225
Stolæ Leuitarũ in tẽplo Salomonis eod.
Scylus legatus Iudæorũ 688
Stultitia gentiliũ redarguitur à Ioſepho 888
Suha Aegyptiorum rex 279
Sualitis rex 858
Suba rex à Saul ſubiugatus 158
Succeſſio regum Babyloniorũ 299
Sudeas filius Phideæ ſacerdos templi Salomonis 293
Sue filius Abrahæ ex Cethura 22
Suius 615
Suna ciuitas 476
Suni filius Gad 47
Supplicũ propter tranſgreſſionẽ 218
Supputatio annorũ Adã diuerſa eſt 8
Supputatio annorũ ab Adã uſq; ad ædificationẽ templi Salomonis 222
Surim filius Abrahæ 22
Suſa ſcriba Dauid 208
Suſachus Aegyptiorum rex 240
Suſachus bellũ mouet cõtra Roboã eod.
Suſachus templũ Salomonis ſpoliat eod.
Suſis Perſarũ metropolis 303.315
Suſandrum caſtrum 900
Sycamina loca quædam 384
Syllanus Epheſius 464
Syllanus rector Syriæ 517
Sylas Babylonicus 696
Sylas libertus Agrippæ maioris 531
Sylæus accuſat Herodem ob cæſos Arabes apud Auguſtũ Cæſarem 471
Sylæus Obodæ regis legatus exardet amore Salomes 467
Sylæus Trachonitas ab Herode deficientes ſuſcipit 470
Sylæus per Nicolaum Damaſcenum accuſatus damnatur à Cæſare 474
Symeon filius Iacob 28
Symeon quid ſignificet eodem
Symeon obſes datur pro reditu fratrũ ad Ioſeph 42
Syra onera 54
Syri populi 15
Syria regio ſubditur Dauid 190
Syria & Phœnicia bello premuntur 279
Syria capitur ab Alex. Epiphane 365
Syria à Iudæis uaſtata 698
Syri Samariã obſidẽtes turbãtur à deo 268
Syr. quot milia cæſa ab exercitu Agad 252
Syrorum bellũ cõtra Achab 250
Syrus rex Meſopotamiæ 195

T

Abernaculi filiorum Iſraël ædificatio 70
Tabernaculi ornatus & munimentum 71
Tabernaculi inſtrumenta quid ſignificent 76
Tabernaculi cõſecratio quãdo facta eſt 78
Tabernaculi hoſtiæ igne cõſumptæ eodẽ
Tabernaculorũ ſolennitates 81
Taburius mons 123
Tadapharus Aſſyriorum rex 277
Talla uicus 708
Talphim aliàs Raphim uxor Adad 235
Thales philoſophus 854
Tabah filius Nachor 14
Thahas filius Nachor eodem
Thabor mons 133
Thadallus dux exercitus Aſſyriorum 16

Thalamus lachin columnæ nomẽ in templo 224
Thamar filia Dauid 187
Thamar soror Absalom eodem
Thamar opprimitur ab Amnon 196
Tham. queritur fratri iniuriã sibi illatã 157
Thamar filia Absalom nupsit Roboã 205
Thaman occiditur 245
Thamna concubina Eliphas 32
Thamna ciuitas Palæstinorum 140
Thamnata oppidum Iudææ 361
Thamnitæ populi 140
Tanganas Samarita 312
Thapsa oppidum 275
Taraches rex Aethiopum 282
Tarbis Mosen amauit 55
Tarichææ oppidum 701
Tarichena ciuitas à Cassio capta 408
Tarichearum obsidio 730.731.732.733.734
Tarsus oppidum 12
Tarsa 275
Thare filius Nachor 14
Thare pater Abraham eodem
Thare quando genitus ibidem
Thare moritur eodem
Tharsis filius Iani 12
Thaumasti clementia in Agrippam captiuum 530
Tauri laudantur 684
Theatra Herodis 445.631
Theatrũ Hierosol. structũ ab Herode 445
Thebon oppidum 246
Thecos oppidũ à Roboã structum 239
Thecua 256
Teglatphalassar rex Assyriorum 275
Teglatphalassar occidit Rasin 277
Themaus filius Ismaëlis 20
Templum Salomonis 222
Tẽpli structura quomodo digesta 225
Templum spoliatur à Sussacho 240
Templum reparatur à Ioa primo 269
Templum structũ in Moraim mõte 21
Templi ædificatio in Aegypto 365
Tẽplum Dagonis flãmis cõsumitur 367
Tẽplũ à Pompeio magno captum 396
Templum uetus Hierosolymitanum dirui tur & nouum ædificatur per Herodem 452.453.630
Templum crebris latrocinijs prophanatum 584
Templum Herculis & Hasthartæ 230
Templum spoliatur & incenditur à Babylonijs 292
Templi instauratio impeditur 308
Templi instauratio facta sub Dario 310
Templi ædificatio iterum impeditur 318
Templi expoliatio sub Antiocho 347
Tẽpli renouatio sub Iuda Machabæo 352
Templi obsidio per Antiochum Eupatorem 356
Tẽpli obsidio per Hyrcanũ tertiũ 395
Templum Isidis destructum 520
Templũ incensum inuito Tito 818
Templum cædibus pollutũ seditione Hierosolymorum 772
Tempus afflictionis filiorum Israël in Aegypto 47
Tempus à templo Salomonis simulq; Cyri usq; ad excidium sub Tito factum 819
Tempus à Iosue usq; ad obsidionem Hierosolymorum 187
Themusis rex 860
Theodas magus 578
Theodorus Zenonis multos Iudæorum occidit 385.602
Theodosis contra Iudæos causam agens pro tẽplo Garizim damnatur morte 365
Theodesio uel Theodestus eunuchus 519
Theophrastus 865
Theolta oppidum 394
Theodectus oculis orbatus temerario ausu de lege scripturus 527
Theopompus quid passus sit quod legem attigerit 337
Thelria septimus mẽsis Hebræorũ 226
Terræmotus magni Herodis tẽpore 627
Testimonium Sibyllæ de turre Babylonica 11
Testari prohibetur unus 107
Tiberias condita ab Herode tetrarcha 516
Tiberiadis deditio ad Vespasianum 730
Tiberij uindicta de stupro Paulinæ & seductione Fuluiæ 520
Tiberij mors Vitellio nunciata 524
Tiberij indignatio in Agrippam 527
Tiberius difficilis in legationibus missitandis & suscipiendis 528
Tiberius mutationẽ magistratuũ nõ probabat eodem
Tiberius tardus ad puniẽdũ maleficia 528
Tiberius moriturus ex omine præcognoscit successorem regni 531.532
Tiber. Alex. præses Iudææ post Fadũ 579
Tiberius gemellus filius Drusi, nepos Tiberij Cæsaris 529.530
Tigranes rex Armen. Iudææ inuadit 390.605

Tigris fluuius 4
Tirathua uicus 520
Tiridates rex Armeniæ 841
Titi & Vespasiani munificentia in Iudæos uictos 338
Titus Liuius gestorũ Pompei meminit 396
Titius Syriæ procurator 470
Titus Vespasiani filius Alexãd. missus 706
Titi profectio in Iudæã 709
Titus Iotapatã capit 725
Titi oratio ad exercitum Taricheos obsidentem 731
Titus Taricheos clade afficit 732
Titus à Giscalenis receptus 741
Titus, patre imperium Roma obtinente, mittitur in Iudæã 770
Titus Hierosolymã exploraturus in mediis hostibus diuinitus est seruatus 774
Titus Romanos à Iudæis penè profligatos iterum ad resistendũ accendit 776
Titus carpit milites à Iud. circũuectos 778
Tit. à Castore illusus plus iusto clemẽs 789
Titus secũdo muro potitus 790
Tit. Hier. muro & castellis circũdat 800
Titi oratio ad milites murũ ascẽdere nõ ausos 806
Tito inuito tẽplũ Salomonis incẽsum 818
Titus sacerdotibus serò ueniã petẽtibus renuẽs ad seditiosos orationẽ habet 822
Titus urbe Hierosolyma potitus solos armatos occidi iubet 827
Titus militibus gratias agit 829
Tito Cæsari Simon Gioræ oblatus 830
Titus Sabbaticum amnem perlustrat 834
Titus Parthorũ muneribus donatus, Romã triũphãs ingreditur cũ patre 834.835
Titus Phrygius 817
Thobona ciuitas 287
Thobias pater Iosephi recõciliatoris Oniæ ad Ptolemæũ Eupatorẽ 341
Tholus filius Isachar 46
Thou rex cũ Dauid fœdus iniit 190
Thraces, olim Tirenses 12
Tochabel mater Mosi 68
Tollemnia oppidum 545
Tomus loci nomen 770
Tonitrua prouincialibus insueta Samuelis uerba confirmarunt 155
Trachon prouincia Herodi datur, expulso inde Zenodoro 449
Trachonitis regio Syriæ ad Arabiã 15
Trachonitidis institutor Huz ibidem
Tragelion mensis 408
Traianus expugnator Aphecæ 721.722
Translatio arcæ dei in Hierusalem 188
Trebellius Maximus 560
Trecenti Hebræorum aquã manibus biberunt 134
Tres fortissimorum Dauid aquã inter hostes hauserunt 209
Tribus Leui purificatio 82
Tribui Leui quis uictus concessus 85
Triginta & sex uiri Hebræorum interempti 119
Trimestris Moses exponitur 50
Tripolis ciuitas 580
Tryphon Hyrcano conuiciatur 534
Troglodytis regio relicta filijs Abrahæ ex Cethura 22
Tryphon Diodorus Apamenus cõtra Demetrium Nicanorem 569.570
Tryphon Ionatham Abaron fraudibus capiens interficit 573.575.597
Tryphon contra Simonem Matathiã frustratus 575
Tryp. princeps à militibus cõstituitur 576
Tryp. obsessus in Apamia perimitur eod.
Tryphõ tõsor Herod. occisus 477.478.645
Tryphon Theodionis tabellio 574
Tryphonis perfidia & nephas in Antiochum qui Theos dictus 576
Tubalcain ferrariæ artis inuentor 6
Thuribula in templo Salomonis 225
Turbatio Syrorum à deo facta 262
Turris Babylonicæ ædificatio 10.11
Turris Hyrc. quomodo extructa 545.546
Turris Antonia 582.784
Turris Stratonis eodem
Tygran filius Gomer 12
Tyrannus delator filiorum Herodi 5475
Tyrãnus præpositus castrorum 697
Tyridates rex Armeniæ 577
Tyriorũ animositas de Assyrijs 279.280
Tyronis audacia carpentis Herodem in filiorũ mortem anhelantem 477.645
Tyro cũ filio apprehenditur 477.645
Tyrijs commissum ministrare materiã ad templi structuram 212
Tyrus urbs ab Alexandro uastata 527
Tyrus locus inter Arabiã & Iudæã 546
Tyropeon uallis 779

V

Vachalim rex Ammonitarum 295
Vadacer proiecit corpus Ioræ in agrum Nabot 265

Vagoas eunuchus 482
Vagoſes grauiter Iudæos mulctauit 526
Valerinus dux contra Tiberiadem 729
Valerius Gratus præſes Iudææ poſt Anniũ Rufum 516
Valerius Aſiaticus 554
Valerius Aſiaticus occiſus 558
Varus Iud. bella & ſeditiões ſedat 506.507
Varus Iſſemus 695
Varro Syriæ rector 629
Vaſa templi Salomonis 225
Vaſa dei ablata remittũtur Herodi per Cyrum 504.505
Vaſtatio locuſtarum in Aegypto 57
Vaſthis uxor Artaxerxis repudiatur 518
Vatezobra uicus 815
Veluenes Samarita 512
Venenum nulli dandum 112
Veneris abuſus damnatur 112
Ventidius Baſſus dux Rom. 420.619.620
Ventidius Herodi primo Machæram mittit 422.622
Veraunius legatus ad Claudium de uſurpanda autoritate imperij 565
Verba dei ad Iacob 26
Verbũ domini ad Samuel 144.145
Verba reginæ Aethiopiæ mirãtis Sal. 235
Verba Moſi ad deum 54
Verba Hieroboam ſeducentis populũ ad idololatriam 238
Verba Goliath ad Saul & Hebræos 162
Verba Balaam ad Balach 99
Verba Dauid morituri ad Salom. 216
Veræ Hiſtoriæ indicium 855
Veria Syriæ oppidum 256
Vermiũ plaga in Aegypto 57
Veſpaſianus bello Oriẽtis præficitur à Nerone 706
Veſpaſianus à Sephoritis benigne ſuſceptus 707
Veſpaſianus Galilæam inuadit 712
Veſpaſianus Gadaram expugnat 715
Veſpaſianus Iotapatã obſidet 715.713.714
Veſpaſianus in obſidione uulneratus 718
Veſpaſianus Ioppe potitus 728
Veſpaſ. à Tiberienſibus receptus 730
Veſpaſianus Tarichęis potitus 733.734
Veſpaſianus Hieroſolymam inuadere inuitatus 755
Veſpaſianus Geraſium deuaſtat 761
Veſpaſ. Toparchias aliquot ſubegit 764
Veſ. à militibus imperator declaratur 767
Veſpaſianus Ioſephi præſagij recordatus; Ioſephum à uinculis ſoluit 768.769
Veſ. Sarmatas Mœſiam depopulantes cædit 833.834
Veſpaſ. tẽplum pacis Romæ cõſtruxit 557
Veſpaſ. Iudæam uentũ exponit 840
Veſpaſiani reditus in Italiam 832
Veſpaſiani natalis celebratus 831
Veſpaſiani nauigatio 830
Veſpaſiani ſucceſſus in obſidione Gamalæ 736.737
Veſpaſiano Iotapata proditur 725
Veſpaſiani milites Galilæã depopulati 709
Viam ignorantibus eſſe monſtrandã 111
Victoria Saul 155
Victoria Aſa de Aethiopibus 244.
Victoria Iſraëlitarum de Moabitis 259
Victoria Iudæ Machab. de hoſtib⁹ 505.352
Vicus Damaſci habitatio Abrahã dictus 15
Vienna Galliæ ciuitas in qua exulauit Archelaus 512
Vir mulierem membratim ſectam, per ſingulas tribus deſtinauit 128
Virga Aaron fronduit 94.
Virga Moſi aquam è petra elicuit 64.
Virga Moſi & magorum 56
Viſio Iacob 26.30
Vithalaga uillæ nomen 368
Vithegra municipium 764.
Vitæ humanæ periodus 14
Vita & mors filiorum Elí 144.
Vitellius Syriæ præfectus 520
Vit. Syriæ procurator Tiberio regnãte 455
Vitellius Hieroſolymis ſtolam reddit pontificibus 528
Vitellius Artabano inimicus iterũ reconciliatur Tiberio iubente 522
Vitellius Germanorũ imperator 764.
Vitell. uſurpãs imperiũ Romã uenit 764.
Vitellij mors 770
Vitulæ aureæ adorantur ab Hebræis Roboam ſeductore 238
Vl filius Aram 15
Vlata ciuitas Herodi datur 450
Vltio facta pro Gabaonitis 208
Vltio in Oziã ſacrorũ temeratorem 274.
Vnctionis ſacræ confectio 78
Vni teſti non credendum 107
Vnus ſit belli princeps 115
Vochar filius Ioſeph 218
Volumnius procurator Syriæ 471.642
Volũnij ſentẽtia de filijs Herodis 476.645
Voſcheti ciuitas 284
Votum Iephthe temerarium 138

Vphre municipium 764
Vr rex Madianitarum 102
Vrbes à Salomone conditæ 231
Vrbes à Roboam ſtructæ 239
Vrias filius Ioathan ſacerdos templi Salomonis 293
Vrias dolo Dauid regis occiſus 194
Vrias alius pater Chiræ 224
Vri princeps militiæ Salomonis 220
Vrion ſororius Moſi 66
Vſura prohibita 111
Vxor Lot in ſtatuam ſalis conuerſa 19
Vxor cuiuſdam Leuitæ à Gabaonitis ſtuprata 128
Vxoris diuortium 110
Vzal filius Iectan 15

X

XAnticus menſis 7.58.78.82
Xerxes patri Dario ſucceſſit 315
Xerxis regis epiſtola pro Iudæis 315
Xerxes (ut ex hiſtoria apparet) poſitus pro Vlyſſe 685
Xylophorias feſtiuitas Iudæorũ 689
Xyſtus turris 682. 779

Z

NAbulus Arabs Alexandri Balaïs caput abſcidit 368
Zabulon filius Iacob ex Lia 28
Zabulon quid ſignificet eod.
Zabulon ciuitas capta 695
Zabulonitæ quam terram ſortiti 125
Zabud mater Ioachim 287
Zacharias propheta filius Ioiadæ iniuſte lapidatur in templo 270
Zachariæ amici occidunt Ioam eodẽ
Zacharias filius Hieroboã patri ſuccedens ſex menſibus regnauit 274.275
Zacharias ab amico ſuo Sellũ occiſus ib.
Zacharias filius Achaz perimitur ab Amaſia ſecundo 276
Zacharias propheta prædicit apertionem templi 311
Zacharias Amphetali filius 746
Zacharias in tẽplo à Zelotis occiſus 754
Zachel (aliàs Zazel) propheta ad Ioſaphat 256
Zaleucus Locrenus 882
Zamarias omne genꝰ Baaſa interemit 245
Zamarias ſemetipſum concremauit eod.
Zamari Iudæo Babylonio datur regio Bathanea contra Trachonitas 480
Zarach filius Iudæ 46
Zareas rex Aethiopiæ contra Aſam bella mouet 244
Zaraſſa uxor Aman 321.322
Zarnon dux Madianitarum captus 135
Zaroch filius Helchiæ ſacerdos templi Salomonis 295
Zeb rex Madianitarum occiſus 135
Zebedæus pater Achar ex tribu Iuda 119
Zebethama pars Hieroſolymorũ 779
Zebul princeps Sichimitarum 136
Zelotypiæ probatio 85
Zelotæ qui ſint 745
Zelo legis Phinees Samariã interfecit 102
Zelotarum pugna contra Simonem Geraſenum 762.765
Zelpha famula Liæ 28.47
Zenodorus expellitur Trachone regione 449.629
Zenodorus fruſtra Herodẽ accuſauit mortuus Antiochiæ 450
Zeno Cotilas 377.598
Zephion filius Gad 47
Zephyrius 635
Zerbin dux Madianitarũ captus 135
Zethura ciuitas à Roboã ſtructa 239
Zeuſis amicus Antiochi 340
Ziba famulus Dauid 191
Ziba Dauid exulãti uiaticũ miniſtrat 199
Ziba libertus Saul Dauid occurrit 205
Zibæ fallacia proditur eodem
Zipha ciuitas à Roboam ſtructa 239
Ziphæi produnt Dauid 171.174
Ziphin locus aliàs Noua 171
Zizus princeps Arabum 388
Ζήν Iupiter dictus 331
Zoara ciuitas 393
Zoaze ciuitas 597
Zohar filius Simeonis 46
Zoilus tyrannus Stratonis 385
Zona ſacerdotum tabernaculi 74
Zophanitica toparchia 764
Zora ciuitas 379
Zorobabel filius Salathiel dux Iudæorum Hieroſolymam redeuntium ab exilio Babylonico 309
Zorobabel princeps Iudæorum mittitur à Babylone per Cyrum, reſtituturus templũ dei 305.308
Zorobabel proficiſcitur ad Dariũ 306
Zorobabelis ſententia de fortitudine mulieris & ueritatis 307.308
Zorobabel proficiſcitur reparaturus templũ & urbem 308
Zur rex Madianitarum 102

INDICIS FINIS.

Notes du mont Royal

www.notesdumontroyal.com

Une ou plusieurs pages sont omises ici volontairement.

FLAVII IOSEPHI HE·

BRABI, HISTORIOGRAPHI CLA/

riſſimi, de bello Iudaico libri ſeptem, interprete Ruffino Aquileienſi.

PROLOGVS.

VOniam bellum, quod cum populo Romano geſſere Iudæi, omnium maximum quæ noſtra ætas uidit, quæq; auditu percepimus, ciuitates cum ciuitatibus, gentésue commiſiſſe cum gentibus: quidam, non quod rebus interfuerint, ſed uana & incongrua narrantium, ſermones auribus colligentes, oratorum more perſcribunt. Qui uero præſto fuerunt, aut Romanorum obſequio, aut odio Iudæorum contra fidem rerum falſa confirmant: ſcriptis autem eorum partim accuſatio, partim laudatio continetur: nuſquam uero exacta fides reperitur hiſtoriæ. Idcirco ſtatui, quæ retro Barbaris antea miſi, patria lingua digeſta, Græca nunc his qui Romano imperio reguntur exponere. Ego Ioſephus Matathiæ filius, Hebræus genere, ſacerdos ex Hieroſolymis, qui & initio cum Romanis bello conflixi: poſteáq; geſtis, quia neceſſitas exegit, interfui. Nam cum hic, ut dixi, motus grauiſſimus exortus eſt, Romanorum quidem populum domeſticus morbus habebat: Iudæorum autem, qui ætate ualidi, & ingenio turbulenti erant, manu ſimul ac pecunia uigentes, adeo temporibus inſolenter abuſi ſunt, ut pro tumultus magnitudine, hos poſſidendarum ſpes, illos amittendarũ partium Orientis metus inuaderet. Quoniam Iudæi quidem cunctos etiam qui trans Euphratem eſſent, gentiles ſuos, ſecum rebellaturos eſſe crediderant: Romanos autem & finitimi Galatæ iritabant: nec manus Celtica quieſcebat, diſſentionumq; plena erant omnia poſt Neronem: & multos quidem reges tempus adhortabatur. Lucri autem cupidine pars militaris mutationem præſentiũ deſiderabat. Itaq; indignum eſſe duxi, errantem in tantis rebus diſſimulari ueritatem: & Parthos quidem, ac Babylonios, Arabumq; remotiſſimos, & ultra Euphratẽ gentis noſtræ incolas, itemq; Adiabenos, mea diligentia uere cognoſcere, unde cœpiſſet bellum, quantiſq; cladibus conſtitiſſet, quóue modo deſijſſet: Græcos uero & Romanorum aliquos, qui militiam ſecuti non eſſent, figmentis ſiue adulationibus captos, iſta neſcire, atq; hiſtorijs audent ea inſcribere: qui præter hoc (ut mihi quidem uidetur) quod nihil ſanum referunt, etiam de propoſito decidunt. Nam dum Romanos uolunt magnos oſtendere, Iudæorum res extenuant, & in humilitatem deijciunt. Non autem intelligo, quonam pacto magni eſſe uideantur, qui parua ſuperauerint. Et neque longi temporis eos pudet, quo bellũ tractũ eſt: neq; multitudinis Romanorũ, quam in ea militia labor exercuit: neq; ducũ magnitudinis, quorũ profecto gloria minuitur, ſi cum multum

pro Hieroſolymis deſudauerint, rebus per eos geſtis aliquid derogetur. Nec tamen ego contentione Romanas res extollentiũ, gentiles meos amplificare decreui: ſed facta quidem utrorumq; ſine ullo mendacio proſequar. Dicta uero de factis reponam, dolori atq; affectioni meæ in deflendis patriæ cladibus indulgens. Nam quod domeſticis diſſentionibus eſt euerſa, & in templũ ſacroſanctum, inuitas Romanorũ manus, atq; ignem Iudæorum tyranni traxere, teſtis eſt qui eam uaſtauit, ipſe Cæſar Titus: per omne bellũ miſeratus quidem populũ, quod à ſeditioſis cuſtodiretur: ſæpe autẽ cõſulto differri paſſus ciuitatis excidiũ, protracto obſidionis ſpatio, dummodo belli pœniteret autores. Quod ſiquis me aduerſus tyrannos, eorũq; latrociniũ accuſatorie loqui putet, uel patriæ miſeriis ingementem calumniari præter legem hiſtoriæ, dolori ueniam tribuat. Ex omnibus enim, quæ Romano imperio parent, ſolam noſtram ciuitatem cõtigit ad ſummũ felicitatis gradũ procedere, eandẽq; ad ultimos gradus deponi. Deniq; omniũ poſt cõdita ſecula res aduerſas, ſi cum Iudæorũ calamitatibus cõferantur, ſuperatũ iri nõ ambigo. Et horum autor nullus externus eſt: unde nec fieri poteſt, ut à queſtibus temperetur. Siquis autẽ durior miſericordiæ ſit iudex, res quidẽ tribuat hiſtoriæ, lamenta uero ſcriptori: quanq; merito Græcorũ diſertos increpauerim, qui tantis rebus ſua memoria geſtis, quarũ cõparatione præterita olim bella exigua demonſtrantur, iudices reſident aliorũ facundiæ detrahentes. Quorũ & ſi doctrinam ſuperant, uoluntate uincuntur. Ipſi uero Aſſyriorũ, & Medorũ geſta perſcribunt, ueluti minus recte à ſcriptoribus antiquis fuerint expoſita: cũ in ſcribendo tantũ eorũ uiribus cedant, quantũ ſententiæ. Erat enim unicuiq; ſtudiũ, quæ uidiſſet facta, cõſcribere: quoniam & interfuiſſet rebus geſtis, & efficaciter q̃d' promittebat, impleret: mentiriq; apud ſcientes, inhoneſtũ eſſe uideret. Enimuero noua quidẽ neq; ante cognita memoriæ tradere, ſuiq; temporis res cõmendare poſteris, laude ac teſtimonio dignũ eſt. Induſtrius autẽ habetur, nõ qui alienam diſpoſitionẽ atq; ordinẽ transfert, ſed qui noua dicendo etiam corpus proprium cõſtituit hiſtoriæ. Sed ego quidẽ ſumptu ac labore maximo, qui cũ eſſem alienigena, Græcis ſimul & Romanis geſtarũ rerũ memoriam repono. Ipſis autẽ indigenis, ad queſtũ quidem ac lites, ora patent, linguæq; ſolutæ ſunt. Ad hiſtoriam uero, in qua uerum dicendũ eſt, ſummáq; ope negotia colligenda ſunt, obmutuerunt: conceſſa infirmioribus, neq; ſcientibus licentia ſcribendi res à principibus geſtas. Honoratur itaq; apud nos hiſtoriæ ueritas, quæ à Græcis negligitur. Ab origine quidẽ Iudæos repetere, qui fuerint, quóue pacto ab Aegyptijs diſceſſerint, quasque regiones errando peragrauerint, & quas uel quoties incoluerint, & quemadmodũ inde migrauerint, neq; huius eſſe temporis, & præterea ſuperuacaneũ exiſtimaui: quoniam multi ante me Iudæorũ de maioribus huius gentis ueriſſima cõpoſuerunt: & nõnulli Græcorũ, quæ illi ſcripſerãt patria uoce, proſecuti nõ multum à ueritate deuiarunt. Exinde autẽ hiſtoriæ principiũ ſumam, quo ſcriptores eorũ & prophetæ noſtri deſierunt: & bellũ quidem meis temporibus geſtũ, latius quáq; potuero diligentia referam. Quæ uero ætate mea ſunt antiquiora, ſummatim breuitérq; percurram: Quomodo Antiochus cognomento Epiphanes, deuictis penitus Hieroſolymis, cum trienniũ ſexq; menſes eam tenuiſſet, ab Aſa-

Autor proponit ex ordine quid in his libris dicturus ſit.

monæi

monæi filijs expulsus est. Deinde quod eorum posteri de regno dissentientes, ad res suas occupandas, populũ Romanũ Pompeiumq; traxerunt: quomodóq; Herodes Antipatri filius, eorum potentiam deposuerit, auxilio Sosij. Tum, quomodo Herode mortuo, plebis in eos orta seditio est, Augusto Octauiano quidem imperante Romanis, Quintilio autem Varo in locis degente. Quódq; bellũ anno duodecimo post imperiũ Neronis eruperit: quamq; multa per Sosiũ acciderint: quantáq; ad primos impetus armis Iudæi persuaserint: quóq; modo accolas permunierint: & quod Nero propter Cestij peccata, summæ rei metuens, Vespasianũ bello præposuerit: & quod is cum maximo filiorũ Iudæam intrauerit, quantũ Romanorũ exercitũ ducens: quantáq; manus auxiliorũ per omnem cæsa fuerit Galilæam: & quod eius ciuitatũ quasdam uictoria ceperit, alias deditione. Vbi etiam Romanorũ in bello disciplinam, curámq; rerum, & utriusq; Galilææ spatia, & naturam, finésq; Iudææ, necnon & peculiarem terræ æqualitatẽ, lacúsq; & fontes, captarumq; ciuitatũ mala, cum fide sicut uidi, aut pertuli, expediam. Nec etiam miserias meas cælauerim, cum scientibus eas relaturus sim. Deinde, quod iam fessis rebus Iudæotũ, Nero quidem mortem obierit: Vespasianus autẽ in Hierosolymam properans, imperij causa retractus sit: quæq; signa de hoc ei cõtigerint, Romæq; mutationes: & quod inuitus à militibus imperator declaratus sit: & quod eo disponendæ reipublicæ gratia in Aegyptũ digresso, Iudæorum status seditionibus agitatus sit: quóq; modo tyrannis succubuerint, eorũq; inter se discordias mouerint. Et quod ex Aegypto Titus reuersus, bis Iudæorum fines ingressus sit: quóq; modo exercitum, & quo in loco congregauerit: uel qualiter, & quoties ciuitatem affecerit ipso præsente seditio. Aggressus quoq; numerosos, & quantos erexerit aggeres: triumq; murorũ ambitũ & magnitudinem, siue mensuram, & munitionem ciuitatis, & fani, templiq; dispositionem: ad hæc aræ spatiũ, mensurámq; uerissime dicam: festorũ quoq; dierum mores aliquos, septémq; lustrationes, & munera sacerdotũ. Itemq; pontificis uestes, sanctáq; templi cuiusmodi fuerint, sine aliqua dissimulatione uel adiectione memorabo. Narrabo deinde tyrannorũ in suos gentiles crudelitatem, Romanorúmq; in alienigenas humanitatem: quotiesq; Titus, ciuitatem simul ac templũ seruare cupiens, ad concordiæ fœdera dissidentes prouocauit. Differam uero populi uulnera, & calamitates: quámq; multa mala nunc bello, nunc seditionibus, nunc fame perpessi, postea capti sint. Nec uero aut perfugarũ clades, aut captiuorũ supplicia prætermittam: uel quemadmodũ templũ inuito Cæsare cõflagauerit: quámq; multæ opes sacræ flamma raptæ sint: ac totius, quæ reliqua erat, ciuitatis excidiũ: & quæ præcesserant portenta, atq; prodigia, uel tyrannorũ captiuitatẽ, uel qui seruitio abducti sunt, multitudinẽ: aut cui quisq; fortunæ sit distributus: & quod Romani quidem belli reliquias persecuti sunt, uicorúmq; munimina funditus eruerunt. Titus uero, peragrato territorio, cuncta restituit: eiusdémq; reuersionẽ in Italiam, ac triumphũ. Hæc omnia septem libris cõprehensa perscripsi: ne uituperationẽ à rerũ scientibus, & qui bello interfuerunt, sustineam: uerũ amantibus, prout uerius potui, cuncta explicaui. Narrandi autem initium faciam hoc ordine, quo capitula sunt digesta.

FLAVII IOSEPHI DE

BELLO IVDAICO LIBER PRIMVS.

De deuaſtatione Hieroſolymæ ab Antiocho. Caput I.

An. lib. 12. cap. 6.

VM potentes Iudæorum inter ſe diſſiderent eo tempore, quo de tota Syria cum Ptolemæo Sexto Antiochus, qui Epiphanes dictus eſt, ambigebat (erat autẽ illis cõtentio de potentia, quod honoratus quiſq; grauiter ferret ſimilibus ſubiugari) Onias quidam è pontificibus poſtquam præualuit, Thobiæ filios expulit ciuitate. Illi autem ſupplices ad Antiochum cõfugerũt: petentes, ut ſemet ducibus in Iudæam irrumperet. Idq; regi perſuaſum eſt, iampridem ſic animato. Quare cum magnis militum copijs egreſſus, & ciuitatem fortiter expugnatam capit, & maximam eorum multitudinem, quibus Ptolemæus charior erat, interfecit. Datáq; paſſim militibus prædandi licentia, ipſe & templum ſpoliauit, & quotidianæ religionis aſſiduitatem per annos tres, ſexq; menſes inhibuit. Pontifex autem Onias effugit ad Ptolemæum: acceptóq; ab eo in Heliopolitana regione ſolo, ibi oppidum cõdidit Hieroſolymis ſimile, templúmq; ædificauit: de quibus iterum opportune referemus. Veruntamen Antiocho, neq; præter ſpem deuicta ciuitas, neq; populatio, neq; tantæ cædes ſatis fuere: ſed intemperantia uitiorũ, eorúmq; memoria, quæ in obſidione pertulerat, Iudæos cogere cœpit, ut abrogato more patrio, nec infantes ſuos circuncideren, porcósq; ſuper aram immolarent: quibus omnes quidem aduerſabantur: optimus uero quiſq; propterea trucidabatur. Et Bacchides præſidijs ab Antiocho præpoſitus, ad naturalem crudelitatẽ ſuam præceptis impijs obſecundans, omnimodam iniquitatem exceſſit: cum & ſingulatim uiros honorabiles uerberaret, & communiter quotidie ſpeciem captæ urbis exhiberet: donec eos atrocitate incommodorum, qui ea patiebantur, ad uindictæ audaciam iritauit. Denique Matathias Aſomonæi filius, unus ex ſacerdotibus, ex uico cui nomen Modin eſt, cum manu domeſtica (nam quinq; filios habebat) ſicis armatus, Bacchidem occidit: & ſtatim quidem præſidiorum multitudinem ueritus, in montes refugit. Multis uero ex populo ſibi ſociatis, recepta fiducia, deſcendit: commiſſoq; prælio, ſuperatos duces Antiochi ex Iudææ finibus exegit. Secundis autem rebus potentiam nactus, ſuiſq; uolentibus, quod ab alienigenis eos liberaſſet, imperans, moritur relicto Iudæ principatu, qui filiorũ ſuorum natu maximus erat. Ille autem (nec enim ceſſaturũ exiſtimabat Antiochũ) & indigenarum conflauit exercitum, & cum Romanis primus amicitiam pepigit: Antiochúmq; Epiphanem iterũ in fines ſuos ingredientem, uehementiſſima percuſſum plaga, repreſſit. Adhuc autem feruente uictoria, in præſidia ciuitatis impetum fecit: necdum enim: cæſa fuerant: habitóq; conflictu, milites de ſuperiori ciuitate, quæ pars ſacra dicitur, ad inferiorem cõpellit. Fano autem potitus, & locum purgauit omnem, muróq; cinxit: & uaſa noua diuinis rebus curandis fabricata

An. lib. 15. cap. 4.

An. lib. 12. cap. 7. & capitibus ſequentibus.

An. lib. 12. cap. 7. 8.

fabricata, in templum intulit, ueluti prioribus profanatis: arámq; aliam ædifica- An. lib. 12.
uit, & religionibus dedit initium. Sacro autem ritu uix ciuitati reddito, moritur cap. 10. 13. 14.
Antiochus. Regni autem eius, & in Iudæos odij filius Antiochus hæres exijt:
Quare congregatis peditum milibus quinquaginta, equitum autem propè quin
que milibus, octoginta uero elephantis, montana Iudææ per partes aggredi-
tur. Et Bethsuram quidem municipium capit. In loco uero, cui Bedoscariæ no-
men est, quà transitus erat angustior, Iudas cum suis copijs occurrit. Et priu-
quàm cõgrederentur agmina, Eleazarus frater eius, prospecto præter alios excel-
so elephante, turrique maxima, & munimentis aureis ornato, illic Antiochum esse
ratus à suis procul excurrit: ruptáq; hostili acie, ad elephantũ usque peruenit. Sed
illum quidem, quem regem esse opinabatur, cõtingere, quod multum superemi-
neret, minime potuit. Beluam uero in aluo percussam, super se deposuit, & obtri-
tus interijt: nulla alia re gesta, nisi quod magnum opus aggressus, uitam gloriæ
posthabuit. Qui tamen regebat elephantum, priuatus erat. Et si casu fuisset in eo
Antiochus, nihil plus Eleazaro præstitisset audacia, quàm ut sola spe prædari fa-
cinoris, mortem uidereretur optasse. Hoc autem fratri eius, totius prælij præsagi
um fuit. Nam fortiter quidem Iudæi, diúque decertarunt: sed à regijs trium-
phis secunda fortuna usis, numeróque præstantibus superati sunt: multisque in-
terfectis, Iudas cum cæteris in Gosniticam toparchiam refugit. Antiochus au-
tem ad Hierosolymam profectus, ibiq; dies paucos commoratus, utensilium pe
nuria ingreditur: relicto quidem ibi præsidio, quantum satis esse arbitrabatur:
cætera uero multitudine ad hyemandum deducta in Syriam. Discessu autem re An. lib. 12.
gis, Iudas non quiescebat, sed accersione multorum suæ gentis animatus, aggre- cap. 18.
gatis etiam, quos ex prælio receperat, apud uicum Adasa, cum Antiochi duci-
bus congreditur: factisq; fortibus in prælio cognitus, multis hostibus interfe-
ctis, occubuit. Et in diebus paucis, frater eius Ioannes occiditur: insidijs eorum
captus, qui cum Antiocho sentiebant.

De successionibus principum à Ionatha usq; ad Aristobulum. Cap. II.

CVm autem successisset ei frater Ionathas, & in alijs quæ ad indigenas perti- An. lib. 13.
nerent, cautius sese ageret, suámq; potentiam Romanorum amicitia corro- cap. 1.
boraret, Antiochi quidem filio reconciliatur. Non tamen horum ei quicquam
profuit ad depellendum periculum. Nanque Tryphon tyrannus, Antiochi qui-
dem filij tutor, sed insidijs eum captans, & præter hoc amicis nudare cupiens, Io
nathan, cum ad Antiochiam paucis comitatus, Ptolemaidá ueniisset, dolo com- An. lib. 13.
prehendit. Eóque uicto, contra Iudæam mouit exercitum. Vnde repulsus à Si- cap. 9.
mone Ionathæ fratre, quodq; ab eo superatus esset, iratus, eundem Ionathan
interfecit. Simon autem fortiter regendis rebus interitus, *Zoazen quidem, & Alias Gazara
Ioppen, & Iamniam capit. Euertit autem & Accaron, subactis præsidijs: aduer-
susque Tryphonem Antiocho auxilium præbuit: qui Doram ante militiam,
quam in Melo habuit, obsidebat. Sed regis auiditatem satiare nõ potuit, quam-
uis neci Tryphonis suam quoque operam adhibuisset. Non multo enim post,
Antiochus Cendebeum ex ducibus suis, ad uastandam Iudæam, opprimen-

dumq; ſeruitio Simonem, cum exercitu miſit. Ille autem, quanquam ſenior erat, bellum tamen iuueniliter adminiſtrabat: & filios quidem ſuos cum ualidiſſimis præmiſit, partem uero multitudinis comitatus alio latere aggreditur: multisque per multa loca inſidijs etiam in montana diſpoſitis, in omnibus ſuperat. Clariſſimáque potitus uictoria, pontifex declaratur: & ducentos ſeptuaginta poſt annos Iudæos liberat à dominatione Macedonum, & hic moritur in conuiuio, captus inſidijs Ptolemæi generi ſui: qui eius coniuge, duobuſq; filijs in cuſtodiam concluſis, certos miſit, ut Ioannem tertium, cui etiam Hyrcanus nomen fuit, interficerent. Cognito autem impetu, qui parabatur, aduleſcens ad ciuitatem properabat, multo populo fretus, & propter memoriam paternæ uirtutis, & quod iniquitas Ptolemæi cunctis eſſet inuiſa. Voluit autem Ptolemæus etiam alia porta ingredi ciuitatem: ſed à populo reiectus eſt, qui maturius Hyrcanum ſuſcepe rat. Et is quidem ſtatim receſſit, in aliquod ultra Hierichunta caſtellũ, quod Dagon uocatur. Hyrcanus autẽ paternum honorem pontificis aſſecutus, poſtquàm deo ſacrificia reddidit, uelociter Ptolemæum petit: & matri ſimul & fratribus adiumento futurus, caſtellúmque aggreſſus, alijs quidem rebus ſuperior erat, iuſto autem dolori cedebat. Ptolemæus enim quotiens premeretur, matrem eius, fratréſque in murum productos, palàm ut poſſent conſpici, uerberabat: eoſdémq; præcipitandos, niſi quamprimum recederet, minabatur. Vnde Hyrcanum quidem plus timor ac miſericordia, quàm iracundia commouebat. Mater uero eius nihil plagis aut intentata nece perterrita, manus protendens, filiũ precabatur, ne uel ſuis fractus iniurijs, parceret impio: ſed quidem ipſa ſibi mortem à Ptolemæo propoſitam, immortalitate duceret meliorem: dummodo ille pœnas eorum, quæ in domũ ſuam contra fas admiſiſſet, expenderet. Ioannes autem nunc obſtinationem matris cogitans, ac preces eius audiens, ad irruendum impelleba tur: modo uerberari eam, lacerariq; conſpiciens, effœminabatur: totúsque plenus doloris erat. Ob hæc autem diu tracta obſidione, feriatus annus aduenit: quem ſeptimo quoque orbe, apud Iudæos ceſſare moris eſt, exemplo ſeptimorum dierum. Et in hoc Ptolemæus obſidionis requiem nactus, fratribus Ioannis unà cum matre occiſis, ad Zenonem confugit, qui Cotilas cognominatus eſt, Philadelphiæ tyrannum: Antiochus autem ob ea, quæ per Simonem paſſus fuerat, iratus in Iudæam ducit exercitum: ibiq; aſſidens Hieroſolymis, Hyrcanum obſidebat. Ille autem patefacto ſepulchro Dauid, qui regum ditiſſimus fuerat, ablatiſque inde pecuniæ plus quàm tribus milibus talentorum, & Antiocho perſuaſit, datis ei trecentis talentis ab obſidione diſcedere: primúsque Iudæorum priuatis opibus alere peregrina cœpit auxilia. Rurſuſque tamen, quando Antiochus contra Medos bello ſuſcepto, tempus ei uindictæ præbuit, confeſtim aduerſus ciuitates Syriæ perrexit, uacuas propugnatoribus eſſe ratus: quod & uerum fuit. Medabam quidem, & Samogam cum proximis, necnon & Sichimam, & Garizim ipſe cepit, & ſuper his Cuthæorum genus, adiacentia fano loca incolentium, exemplo eius quod eſt Hieroſolymis, ædificato. Cepit autem Idumææ non paucas alias ciuitates: & præterea * Adoreon, & Mariſam. In Samariam uero uſque progreſſus, ubi nunc eſt Sebaſte, ciuitas ab Herode rege con-

An. lib. 13. ca. 14. — *Ptolemæus ab Hyrcano obſeſſus.* — *An. lib. 13. cap. 15.* — *An. lib. 13. cap. 16. 17.* — *Aliàs Aborá cum.*

ge condita, ex omni ea parte concludit: filiósque ſuos Ariſtobulum & Antigonum obſidioni præfecit. Quibus nihil remittentibus, ad hoc famis penuria, qui erant intra ciuitatem, uenerunt, ut etiam inſuetam carnem cogerentur attingere. Igitur Antiochum adiutorem ſibi aduocant, Spondium cognominatum. Qui cum prompta eis uoluntate paruiſſet, ab Ariſtobulo & Antigono ſuperatur: Et ille quidem ad Scythopolim uſque, perſequentibus eum memoratis fratribus, effugit: hi uero in Samariam reuerſi, & multitudinem iterum intra murũ condunt, & expugnata ciuitate, ipſam diruunt: & habitatores eius captos abducunt. Proſpere autem geſtis ita cedentibus, alacritatem refrigeſcere non ſinebant: ſed cum exercitu Scythopolim uſque progreſſi, & ipſam peruaſerunt, & agros intra Carmelum omnes, inter ſe partiti ſunt.

De Ariſtobulo, Antigono, Iuda Eſſæo, Alexandro Theodoro, & Demetrio geſta. Caput III.

SEcundarum autem rerum Ioannis, & filiorum eius, inuidia ſeditionem gentilium concitauit: multicꝫ aduerſus eos collecti, non quieſcebant, donec aperto bello deuicti ſunt. Reliquum uero tempus Ioannes, cum fortunatiſſime uiueret, & optime rebus per annos triginta & tres adminiſtratis, & quinque filijs relictis, moritur: uir plane beatiſſimus, & qui nullam dediſſet occaſionem, cur eius cauſa de fortuna quiſpiam quereretur. Denique tria uel maxime præcipua ſolus habebat. Nam & gentis princeps, & pontifex erat, & præterea propheta: cum quo deus ita colloquebatur, ut futurorum nihil penitus ignoraret. Quinetiam de duobus maioribus filijs ſuis, quod rerum domini permanſuri non eſſent, ante uidit, atque prædixit. Quorum uitæ, quis fuerit exitus, narrare non indignum uidetur, quantúmque à paterna felicitate diuerterint. Patre nanque mortuo, natu maior Ariſtobulus, tranſlato in regnum principatu, diadema ſibi primus impoſuit: quadringentis & octogitauno annis, ac tribus menſibus, poſtquam populus in eam terram deuenit: ſeruitio, quod apud Babylonios ſuſtinuit, liberatus. Fratrem uero à ſe ſecundum Antigonum (nanque illum diligere uidebatur) in honore pari producebat: alios autem uinctos cuſtodiæ tradidit. Matrémque itidem colligauit, auſam aliquid de poteſtate contendere. Nanque hanc rerum dominam Ioannes reliquerat. Eóque crudelitatis proceſſit, ut uinctam famæ necaret. Horum autem facinorum pœnas, Antigoni fratris morte perſoluit, quem plurimum amabat, quémque regni participem habebat. Nam & hunc interemit, adductus criminationibus, per maleuolos regni compoſitis. Itaque primo quidem Ariſtobulus dictis fidem non habebat, qui & fratrem magnipenderet, & pleraque liuore fingi arbitraretur. Sed cum Antigonus ex militia darus rediſſet, feſtis diebus, quos tabernaculis poſitis, deo celebrare mos patrius exigebat, euenit eodem tempore, ut aduerſa ualetudo Ariſtobulum corriperet. Antigonus uero circa feſtorum ſolenniorum finem, armatis comitatus, templum ad orandum quammaxime petiuit, plúsque in honorem fratris aſcendit ornatus. Túmque delatores nequiſſimi regem adeuntes, & armatorum pompam, & Antigoni arrogantiam, priuata fortuna maiorem eſſe criminabantur: quodcꝫ

Hyrcanum deiecit.

An. lib. 13. cap. 18.

maxima caterua ſtipatus, ut illum interficeret, eò ueniſſet: nec eum perpeti honorem ſolum, & regnum habere, cui regnū ipſum liceat obtinere. His paulatim, quamuis inuitus, tamen credidit Ariſtobulus. Ac ne uel ſuſpicari quicquā uidere tur, proſpiciens, & ut incerta præcaueret, ſuos quidem ſatellites in quendam ſubterraneum, & tenebroſum locum tranſire iubet. Ipſe autē iacebat in caſtello, Bari ante, poſt autem Antonia cognominato: & ut inermi quidem parcerent, occiderent autem Antigonum, præcepit, ſi cum armis adiret. Nec non & ipſi Antigono, qui præciperent, miſit, ut inermis ueniret. Ad hæc regina ſatis callidū cum inſidiatoribus conſiliū capit. Nanq; his qui ad eū miſſi fuerant perſuadet, ut mandata quidem regis taceant, dicant uero Antigono, quod frater audiſſet, arma ſibi eum pulcherrima in Galilæa ornatūq; bellicoſum fabricaſſe: quæ ne ſingulatim inſpiceret, morbo impeditū fuiſſe: nunc autē, præſertim cum aliò diſceſſurus ſit, libenter eum uideret armatum. His auditis, Antigonus (ne quid enim mali ſuſpicaretur, fratris ſuadebat affectus) cum armis uelut oſtentatum ſe ueniens, propera-

Antigonus occiditur.

bat. Sed ubi ad obſcurum tranſitum, qui Stratonis pyrgus uocabatur, acceſſit, à ſatellitibus interemptus eſt: certumq; documentum præbuit, omnem beneuolentiam, iuſq; naturæ criminationibus cedere, nullámq; optimarū rerum affectionē tantum ualere, ut inuidiæ perpetuo poſſit obſiſtere. In hoc autem etiam Iudam

De Iuda Eſæo.

quis non recte miretur? Eſſæus erat genere, qui nunquam diuinando peccauit, neque mentitus eſt. Is Antigono tranſeunte per templum, mox ut eum uidit, ad notos qui aderant, exclamauit (non paucos autem diſcipulos papas, ſiue conſultores habebat) Nunc mihi pulchrum eſt mori, quando ante me ueritas interijt: mearumq; prædictionum aliquod mendaciū deprehenſum eſt. Viuit enim iſte Antigonus, qui hodie deberet occidi. Locus autem neci eius, apud Stratonis pyrgum fato fuerat deſtinatus: & ille quidem ſexcentorum abhinc ſtadiorum interuallo diſtat. Horæ uero diei ſunt quatuor: ſed & uaticinationem tempus effugit. Hæc locutus ſenior, mœſto uultu & mente ſolicita ſecum multa reputabat. Et paulopoſt interfectus Antigonus nunciatur, in loco ſubterraneo, qui eodem nomine, quo maritima Cæſarea, Stratonis pyrgus appellabatur: & hoc fuit, quod uatem fefellit. At uero Ariſtobulo confeſtim ſceleris plenitudine morbus ingraueſcit: ſempérque facinoris cogitatione ſolicitus, perturbato animo tabeſcebat: donec mœroris acerbitate uiſceribus laceratis, ſubito ſanguinem uomeret. Hunc ergo unus è ſeruulis, eius miniſterio deſtinatus, foras efferens, prouidentia diuinitatis errauit: & ubi Antigonus erat occiſus, ſuperextantes adhuc cædis maculas, cruorem interfectoris effudit. Vlulatu autem continuo ſublato, qui puerum tanquam de induſtria ſanguinem libaſſe conſpexerant, clamor ad aures regis peruenit: cauſamque requirebat: & cum eam prodere nullus auderet, ad reſciendum magis ardebat. Ad extremum uero minitanti, uimque adhibenti, uerum quod erat indicauerunt: atque ille cum lachrymis oppleſſet oculos, quantumq; poterat ingemuiſſet, hæc dixit: Sperandū certe nō erat, ut maximū dei lumen facta mea nefaria laterent. Nam cito me ultrix cognatæ cædis iuſtitia perſequit. Quàmdiu ò corpus improbū fratri, matriq; damnatā animam detinebis? Quàm diu paulatim illis libabo ſanguinem meum? Simul totum accipiant: illeq;

iam meorum uiſcerum inferias fortuna derideat. His dictis, illico moritur: cum non plus anno regnaſſet. Vxor uero fratrem eius uinculis diſſolutis, regem conſtituit Alexandrũ, qui ætate maior erat, & modeſtia præſtare uidebatur. Sed ille poteſtatem adeptus, fratrem quidem alterũ regna appetentem occidit: alterum autem priuata uita contentũ ablatis rebus ſecum habebat. Prælium etiam cum Ptolemæo cognomento Lathyro committit: qui oppidum * Acohin ceperat, & multos quidem peremit hoſtium: ſed uictoria in Ptolemæi parte propenſior fuit. Poſtea uero quàm ipſe pulſus à matre Cleopatra diſceſſit in Aegyptum, & Gadaram obſidione capit Alexander, & caſtellum Amathuntis, omnium maximũ quæ trans Iordanem ſita erant, ubi precioſiſſima quæq; bonorum Theodori filij Zenonis habebantur. Repente hæc Theodorus aggreſſus, & proprias res recepit, & ſarcinas regis aufert, Iudæorúmq; ferè decem milia interfecit. Verum hoc uulnere ſuperior fuit Alexander. Conuerſuſq; ad maritimas regiones Raphiam capit & Gazam, itémq; Antheodonem, quæ poſtea à rege Herode Agrippias nominata eſt. His autem ſeruitio domitis, cõcitatur in eum feſto die populus Iudæorũ. Nam plerunq; epulæ ſeditiones accendunt. Nec uidebatur inſidias poſſe cõprimere, niſi peregrinos haberet auxilio * Piſidas & Cilicas: Syros mercenarios reſpuebat, propter ingenitam cum Iudæorũ gente diſcordiam. Cæſis autẽ ſupra octo milibus, ex turba rebellium Arabiæ manus attulit. Ibiq; Schalamitis ſub iugum miſſis, tributóq; his impoſito, ad Amathunta regreſſus eſt. Cúmq; Theodorum metus ſecundis eius ſucceſſibus perculiſſet, caſtellum ſine præſidio repertũ funditus eruit. Mox autem congreſſus cum Oboda rege Arabum, qui locũ fraudi opportunum in Galaadenſi regione præuenerat, captus inſidijs totum amiſit exercitum, in uallem altiſſimam cõpulſum, atq; obtritum multitudine camelorũ. Ipſe uero elapſus in Hieroſolymam, olim ſibi gentem infenſam, ad nouarum rerum motus magnitudine cladis accendit. Fit autẽ etiam tunc ſuperior, crebríſq; præſidijs nõ minus quinquaginta milibus Iudæorũ per ſex annos interfecit: nequaquam tamen uictorijs lætabatur, quoniam regni ſui uires conſumeret. Vnde armis omiſſis, ſermone placido cum ſubiectis redire in gratiam conabatur. Illi autem inconſtantiam eius morúmq; uarietatẽ intantũ oderant, ut percontanti cauſam, quonam pacto eos ſedare poſſet, dicerent, ſi moreretur. Nam uix etiam mortuo daturos ueniam, qui multa ſcelerate feciſſet. Simul etiam Demetrij auxilium, cui cognomen * Acero fuit, accerſiuit. Qui cum his maiorum præmiorũ ſpe facile paruiſſet, ueniſſetq; cum exercitu, miſcentur auxilijs eius Iudæi circa Sichimam. Vtroſq; tamẽ Alexander mille quidem equitibus, ſex autẽ peditũ mercenariorũ milibus excepit, cum haberet ex Iudæis quoq; propè ad decem milia bene ſibi cupientium, aduerſæ autẽ partis eſſent equitũ tria milia, peditúmq; milia quadraginta. Et priusquàm ueniretur in manus, intercedentibus nuncijs & præconibus regis, transfugia tentabãt. Demetrius quidẽ Alexandri mercenarios, Alexander autẽ Iudæos: qui Demetriũ ſequerentur, obtemperaturos ſibi ſperantes. Sed cũ neq; Iudæi ſacramenta, neq; fidẽ Græci cõtemnerent, armis iam cominus decernebant. Superátq; prælio Demetrius, quamuis Alexandri mercenarij uirtutẽ ſuam multis & animi & manus operibus demonſtraſſent. Finis autẽ pugnæ præter

An. lib. 13. cap. 19.

Aliàs Aſochiton.

Aliàs Perſæ.

Aliàs Eucero.

An. lib. 13. cap. 20.

ſpem cæ

ſpem cedit utrique. Nam neque uincentem Demetriũ, qui eius auxilium petierant, expectare uoluerunt: & immutatæ fortunæ miſericordia, ſex Iudæorũ milia ſe ad Alexandrum, qui in montes effugerant, cõtulerunt. Huius indinationis momentum Demetrius ferre non potuit, ſed Alexandrum iam quidem collectis uiribus bello idoneum eſſe ratus, omnem uero gentem ad eum cõmeare extimans, mox inde digreſſus eſt. Non tamen reliqua multitudo ob abſceſſum auxiliorũ, ſimultates depoſuit: bello autem aſſiduo tamdiu cum Alexandro decertabat, donec pleriſque interfectis cæteros in Miſſelim ciuitatem coëgit: eáque uaſtata in Hieroſolymam captiuos abduxit. Verum immoderata fecit iracundia, ut crudelitas eius ad impietatem uſque procederet. Octingentos enim captiuorum in media ciui-
Alexandri crudelitas. tate crucifigens, mulieres earúmque filios in conſpectu matrum necauit: atque hæc potans, & cum ſuis concubinis recubans, proſpectabat. Tantus autem populum terror inuaſit, ut etiam diuerſæ partis ſtudioſi proxima nocte octo milia hominum extra totam Iudæam profugerent. Quorum exilij mors Alexandri finis fuit. Cum eiuſmodi factis tandem ægréque regni otium quæſiſſet, ab armis requieuit.

De bello Alexandri cum Antiocho & Areta, deque Alexandra & Hyrcano. Caput IIII.

RVrſus autem ſit ei turbarum initium Antiochus, qui etiam Dionyſius dictus eſt, Demetrij quidem frater: ſed eorum nouiſſimus, qui Seleucum generis autorem habebant. Hunc enim timens, qui Arabas parato bello pulſarat, totum quidem ſuper Antipatrida montibus proximum, & inter Ioppes littoris ſpatium, foſſa & altiſſima ualle diremit. Ante foſſam uero murum ædificauit excelſum turrésque ligneas, ut faciles aditus obſtrueret, fabricauit: nec tamen Antiochum arcere ualuit. Exuſtis enim turribus foſſiſque repletis, cum ſuis copijs tranſgreſſus eſt. Vindictáque poſthabita, qua deberet eum à quo prohibitus eſt ulciſci, protinus contendit in Arabas. Horum autem rex, in locis ſuæ nationis commodioribus agens ad pugnam, deinde Ioppen cum equitatu reuerſus (habebat autem numerum decem milium) imparatos ex improuiſo Antiochi milites inuadit. Forti autem prælio depugnato, quamdiu quidem ſuperabat Antiochus, durabat eius exercitus, quamuis eum paſſim Arabes trucidarẽt. Vbi uero procubuit (ſuccurrendo enim uictis ſemper in periculis aderat) omnes terga dederunt: maximáque pars eorum, cum in acie eſſent, tum in fuga conſumi-
Alijs Chanã. tur. Reliquos autem in uicum * Annam delapſos, alimentorũ penuria perire contigit, præter paucos. Hinc Damaſceni Ptolemæo Minæi filio infenſi Aretam ſibi ſociant, Syriæque Cœles regẽ cõſtituũt. Qui bello illato Iudææ, poſtquam pugna uicit Alexandrum, pactione diſceſſit. Alexander autem Pella capta Geras petiit: rurſus opum Theodori cupidus, triplicique ambitu circundatis defenſoribus, locum pugnando cepit. Necnõ & Gaulonem & Seleuciam, quæ Antiochi Pharanx dicitur, ſub iugũ mittit. Ad hæc autem capto Gamala caſtello ualidiſſimo, eiúsque rectore Demetrio multis criminibus inuoluto, in Iudæam regreditur, expleto in militia triennio, lætúsque à gentilibus ob res proſpere geſtas excipitur. Belli autem requiem ſecutum eſt morbi principium. Et quoniam quartanis febrium

brium circuitionibus fatigabatur, depulsum iri ualetudinem credens, si rursus animum negotijs occupasset, intempestiuis militiæ laboribus sese dedit: & ultra uirium efficaciam corpus impellens, inter ipsos tumultus, trigesimo & septimo regni anno moritur: idq; Alexandræ coniugi suæ reliquit. Iudæos eius uel maxime dicto obedientes fore non dubitans: quod longe ab eius crudelitate discrepans, & iniquitati resistens, beneuolentiam sibi populi comparasset. Neq; spes eum fefellit. Nanq; opinione pietatis obtinuit mulierecula principatū. Quippe quæ more gentis patrium probe norat, & qui sacras leges temerassent ab initio detestabat. Cum autem duos filios Alexandro generatos haberet, natu quidem maximum Hyrcanū, & propter ætatem declarat pontificem, & quod præterea segnior esset quàm ut potestate regia molestus cuiquam uideretur, regem cōstituit: Minorem autem Aristobulū, priuatum uiuere maluit, quod feruentioris esset ingenij. Iungunt autem se eiusdem mulieris ditioni, quoddam Iudæorum collegium, Pharisæi: qui præter alios pietatē colere putarentur, & peritius leges exponere: ob eámque causam propius eos aspiciebat Alexandra, diuinæ religioni superstitiose deseruiens. Illi autem paulatim, fœminæ simplicitate decepta, omnes pro sua libidine summouendo, deponendo, itemq; uinciendo, ac soluendo quos uellent, iam procuratores habebantur: prorsus ut ipsi quidem regijs cōmodis fruerentur, expensas uero ac difficultates Alexandra perferret. Sed eadem mire callebat res administrare maiores: itaq; augendis copijs semper intenta, duplicem conflauit exercitum: neq; pauca peregrinorum parauit auxilia, quibus nō modo statum suæ gentis roborauit: sed etiam metuendam se reddidit externæ potentiæ. Imperabat autem alijs, uerū Pharisæis ipsa ultro parebat. Deniq; Diogenem quendam insignem uirum, qui Alexandro fuerat amicissimus, interficiunt, eius factum consilio criminati, ut octingenti (quos supra memoraui) regis iussu tollerentur in crucem. Nihilominus autē Alexandræ suadebant, ut & alios, quibus autoribus Alexander in eos fuisset excitatus, occideret. Cumque his nimia superstitione nihil abnuendum putaret, quos sibi libuisset ea specie trucidabant, donec optimatum quisque ad Aristobulum confugerent, quorum periculum agebatur. Atque ille matri persuasit, ut his propter dignitatem parceret, ciuitate autem pelleret quos nocentes existimaret. Illi quidem data sibi copia per agros dispersi sunt. Alexandra uero in Damasco cōmisso exercitu, quoniam Ptolemæus sine intermissione ciuitatē premebat, illam quidem nulla re memorabili gesta suscepit. Regem autē Armeniorum Tigranem, qui admoto Ptolomaidi milite, Cleopatram circumsedebat, pactionibus donisque solicitat. Sed illum domesticarum turbarum metus, ingresso in Armeniam Lucullo, iamdudum inde retraxerat. Inter hæc Alexandra morbo laborante, minor eius filius Aristobulus, cum seruis suis, quos multos habebat, omnésque pro ætatis feruore fidissimos, uniuersa castella obtinuit: & pecunia quam ibi reperit, conductis auxilijs, regem se declarauit. Ob hæc miserata querelas Hyrcani mater, coniugem Aristobuli cum filijs includit apud castellum, quod à septentrione fano adiacens, Baris antea uocabatur, ut diximus, postea uero Antonia cognominata est, imperante Antonio: quemadmodum de Augusti & Agrippæ nomine, Sebaste, & Agrippias, aliæ ciuitates appella-

An. lib. 13. ca. 22.

Aristobulum inuadit regnum

appellatæ ſunt. Ante tamen Alexandra moritur, quàm in Ariſtobulum fratris eius Hyrcani contumelias uindicaret: quem deiici regno curauerat, quod ipſa nouem annos adminiſtrauit: Et hæres quidem omnium fit Hyrcanus, cui regnum etiam uiua commiſerat. Verum Ariſtobulus uiribus atque autoritate præſtabat. Habito autem inter eos circa Hierichunta de rerum ſumma cõflictu, pleriq; Hyrcano relicto tranſeunt ad Ariſtobulũ. Hyrcanus autem cum reliquis fuga peruenit in caſtellum Antoniam, ibiq; ſalutis obſides nactus: erátq; ibi in cuſtodia, ut præmiſimus, coniunx Ariſtobuli cum filijs: ſed prius quàm graue quid fieret, ea lege in concordiam rediit, ut regnum quidem Ariſtobulus haberet, Hyrcanus uero excederet, quaſi frater regis, alijs honoribus cõtentus. Hoc modo in fano reconciliati, cum in conſpectu circumſtantis populi benigniſſime alter alterum ualere iuſſiſſent, domus permutant: & Ariſtobulus quidem recedit in regiam, Hyrcanus autem in Ariſtobuli domum.

An. lib. 14. cap. 1.

De bello Hyrcani cum Arabibus & expugnatione Hieroſolymæ. Cap. V.

An. lib. 14. ca. 2. 3. 4.

METus uero & alios eius inimicos præter ſpem dominantis occupat, & maxime Antipatrum, iamdudum Ariſtobulo inuiſum. Erat autem genere Idumæus, & nobilitate ac diuitijs aliarumq; rerum copia gentis ſuæ princeps. Is igitur & Hyrcanum, ut ad Aretam regem Arabiæ confugeret, eiusq; auxilio regnũ repeteret, hortabatur: & ipſe Aretæ, ut Hyrcanum ſuſciperet, atq; in regnum deduceret, ſuadebat: multa detrahens Ariſtobuli moribus, multisq; Hyrcanum laudibus prædicans. Simúlque admonebat, quod eum deceret regno dariſſimo præſidentem, iniquitate oppreſſis manum porrigere: Hyrcanũ autem iniuriam pati, qui principatu iure ſucceſſionis ſibi debito caruiſſet. Sic inſtructis & præparatis ambobus, nocte cum Hyrcano ex ciuitate profugit: citatóq; curſu in oppidũ, quod Petra dicitur, ſaluus euaſit, quod regni ſedes eſſet Arabiæ. Ibi poſtquam Hyrcanum in manu regis Aretæ tradidit, multis dictis multisq; muneribus, ut auxilium præberet, quo in regnum deduceretur, effecit. Erant autem peditũ equitumq; milia* quinquaginta, quibus nequaquam reſtitit Ariſtobulus. Sed primo impetu ſuperatus, in Hieruſalem fugere cogitur: atque omnino captus eſſet, niſi dux Romanorum Scaurus, aduerſis horũ temporibus imminens, ſoluiſſet obſidionem. Nanq; is ex Armenia quidem in Syriam miſſus erat à Pompeio magno, qui cum Tigrane bellum gerebat. Sed ubi Damaſcum uenit, recens à Metello & Lolio captam reperit: his inde ſubmotis, cognitóq; in Iudæa quid ageretur, illuc uelut ad quæſtum cucurrit. Deniq; mox ut fines ingreſſus eſt, Iudæorum legati ad eum ueniunt à fratribus, utriſque ut ſibi potius adiumento eſſet orantibus. Sed trecentis talentis, quæ Ariſtobulus ei miſerat, iuſtitia poſthabita eſt. Tot enim acceptis, Scaurus ad Hyrcanum & Arabas legatos dirigit, Romanorum eis & Pompeij nomen intentans, niſi ab obſidione deſiſterent. Itaque & Areta ex Iudæa in Philadelphiam recedit metu perculſus, & Scaurus Damaſcum rediit. Ariſtobulus autem, quod captus non eſſet, ſatis ſibi eſſe non credidit: ſed omnibus quas haberet copijs congregatis, perſequebatur hoſtes: & circa locum, quem Capirona uocant, prælio commiſſo, ſupra ſex eorum milia cædit: in quibus erat & Cephalon frater Antipatri: Hyrcanus uero & Antipater Arabũ priuato au-

Aliàs cl.

De Scauro duce Romanorũ

uato auxilio, ſpem in aduerſarios contulerunt. Et cum Pompeius Syriam trāſgreſſus Damaſcum peruenisſet, ad ipſum confugiunt. Multisq; muneribus ei datis, illa tantū quibus apud Aretam uſi fuerant allegantes, magnopere precabātur ut Ariſtobuli uiolentiam odio dignam putaret, regnóq; Hyrcanum reſtitueret, cui tam ætate quàm moribus deberetur: ſed nec Ariſtobulus ſibi defuit corruptione Scauri fretus. Venerat autem quantum potuit ornatus cultu regio: deinde offenſus obſequijs, neq; ferendum exiſtimans abiectius, q; regem deceret utilitati ſeruire, à Dioſpoli regrediebatur. Ob hoc iratus Pompeius, etiam Hyrcano eiusq; ſocijs hoc precantibus, Ariſtobulū petit, & Romano ſimul exercitu & Syrorum inſtructus auxilijs. Cum uero Pellam & Scythopolim prætergreſſus Corias uenisſet, unde Iudæorum fines incipiunt per mediterranea loca ſubeuntibus, cognito Ariſtobulū in Alexandrium confugiſſe (id autem caſtellum eſt in mōte præcelſo poſitum ſatisq; liberaliter accuratum) mittit per quos eum iuberet inde deſcendere. Ille autem decreuerat, quia pro imperio uocaretur, periclitari potius q; parere. Sed populum uidebat horreſcere: & amici monebant, ut Romanam uim cogitaret, quam ſuſtinere non poſſet. Itaq; horum conſilijs obediens, deſcēdit ad Pompeium, quodq; iuſte regnaret, multis proſecutus in caſtellum redijt. Et cum iterum deſcendiſſet prouocatus à fatre, ac de ſuis iuſtitijs cum eo cōcertaſſet, denuo regreditur nō prohibente Pompeio. Erat autem inter ſpem timoremq; medius: & ueniebat quidam uelut exoraturus Pompeiū ut ſibi cuncta permitteret, ad montem uero reuertebatur, ne quid regiæ dignitati derogare uideretur. Quia tamen caſtellis eum Pompeio cedere placebat, hisq; præpoſitos monere literis ut abſiſterent, quibus præceperat, ut non niſi manu ſua ſcriptis epiſtolis obtemperarent: iuſſa quidem facit: ſed in Hieroſolymam cum indignatione diſceſſit: bellóq; iam congredi cum Pompeio cogitabat. Ille autem, nec enim tempus apparatui dandum putauit, ſtatim eum inſequitur. Multum quippe alacritati eius addiderat, circa Hiericūtem Mithridatis mors nuntiata. Vbi pinguiſſima Idumææ regio, & palmarum plurimum ac balſamum nutrit: cuius inciſo lapidibus acutis robore ſtillantem lachrymam ex uulneribus colligunt. Cumq; illic pernoctaſſet, mane in Hieroſolymam properabat. Itaq; hoc eius impetu perterritus Ariſtobulus, ſupplex occurrit, pecuniamq; pollicitus, quodq; ſemetipſum ei cum ciuitate permitteret, Pompeium mitigat ſæuientem. Nec tamen quicquam eorū quæ promiſit effectum eſt: Gabinium enim qui ad ſuſcipiendam pecuniam miſſus fuerat, nec in oppidum quidem Ariſtobuli ſocij receperunt. His commotus Pompeius, Ariſtobulum in cuſtodiam collocat: ad ciuitatem uero profectus, explorabat qua ex parte facilior eſſet acceſſus. Nam & murorum eius firmitatem oppugnari poſſe facile non uidebat. Vallemq; pro mœnibus horribilem, fanumq; illic cernebat proximum, adeo tutiſſima munitione circundatum, ut etiam ſi ciuitas caperetur, ſecundum eſſet hoſtibus in eo profugium. Hoc autem diu quid faceret hæſitante, ſeditio intra ciuitatem orta eſt, Ariſtobuli quidem ſocijs bellū geri potius regemq; liberare dignum eſſe firmantibus: qui uero cum Hyrcano ſentirent, Pompeio portas aperiri. Metus autem hos plures faciebat, Romanorum cōſtantiam reputantes. Denicq; uicta pars Ariſtobuli, conceſſit in templū: & pon-

An. li. 16. ca. 6. 7.

An. li. 14. ca. 7. 8.

te qui ab eo ciuitati iungebatur abſciſo, ut ad ultimum uſq; reſiſteret, inſtruebatur. Cum autem alij Romanos recepiſſent in ciuitatem, hisq; domum regiã tradidiſſent: ad hæc obtinenda Pompeius unum è ducibus ſibi obedientibus Piſonem cum militibus intromittit. Hisq; præſidijs in ciuitate diſpoſitis, quia nemini eorum qui in templum confugerant pacem perſuadere poterat, omnia quæ circũ erant expugnationi parabat: Hyrcano eiusq; amicis ad cõſilia conferẽda, & ad efficiẽda quæ iuberet alacriter animatis. Ipſe uero in partes ſeptẽtrionales fóſſamq; uallemq; replebat omni genere materiæ per milites conportato: cũ per ſe opus eſſet difficillimum propter immẽſam altitudinẽ, & præterea Iudæi modis omnibus deſuper obſiſterent. Manſiſſetq; labor imperfectus, niſi Pompeius obſeruatis diebus ſeptimis, quibus Iudæis religio ab omni opere manus abſtinere compellit, per eos aggerem cumulare præcepiſſet, inhibitis à prælio militibus. Pro ſolo enim corpore Iudæis etiam per ſabbata pugnare licet. Igitur iam ualle repleta, & impoſitis aggere turribus, admotisq; machinis Tyro portatis, mœnia tentabat. Deſuper obſtantes lapidibus repellebantur. Cum diu turres obſidentiũ magnitudine ſimul & pulchritudine præſtantes, uim repugnantium ſuſtinerent, ueruntamen Romanis tunc plurimum defatigatis, Pompeius Iudæorum toleran-tiam & in alijs admiratus eſt: & præcipue, quod nihil de ſuperſtitionis ſuæ ritu inter media tela pereuntes derogari paſſi ſunt: ſed uelut in alta pace ciuitas ageret, quotidie ſacrificia & uictimas, omnemq; dei cultum diligentiſſime celebrarunt: nec uel in ipſo excidio cum ad aram in dies ſingulos trucidarentur, legitimis religionis ſuæ muneribus abſtinuerunt. Menſe itaque obſidionis tertio uix una turre deiecta, fanum irruptum eſt. Primus autem murum tranſcendere auſus eſt cũ ſuis agminibus Syllæ filius Fauſtus Cornelius, & poſt eum centuriones duo Furius & Fabius, cum ſuis agminibus. Et circumſepto undiquæ fano, alios aliò confugientes, uel etiam pauliſper repugnantes interficiunt. Vbi plurimi ſacerdotũ, quanquam hoſtes ſtrictis gladijs irruentes uidebant, intrepidi tamen in peragendis rebus diuinis perſeuerabant: & in ipſo libandi templumq; adolendi miniſterio mactabantur, ſaluti quoq; præferentes religionis obſequium. Multos autem ſuæ gentiles aduerſæ partis ſtudioſe trucidabãt, plurimi ſemetipſos in rupes præcipitabant. Nonnulli furibundi cunctis quæ circa murum erant in deſperatione ſuccenſis, pariter conflagrabant. Itaq; Iudæorum quidem milia duodecim occubuerunt: Romanorum uero perpauci: ſed plures ſauciati ſunt. Nihil autem grauius in illa clade Iudæorum genti uiſum eſt, quàm ſanctum illud arcanum, neq; cuiquam prius uiſum, alienis eſſe detectum. Deniq; Pompeius unà cum ſuis comitibus in templum ingreſſus, ubi neminem præter pontificem adeſſe fas erat, quæ intus erant candelabra cum lychnis, & menſis in quibus libare atque adolere moris eſt, uaſcula ex auro cuncta proſpexit: congeſtamq; pigmentorum molẽ, ſacræq; pecuniæ ad duo milia talentorum. Nec tamen uel hæc uel aliud quicquã de ſacroſanctis opibus ſiue inſtrumẽtis attigit. Sed poſtero die poſt excidium curare templum ne quid haberet ſordidum ædituos iuſſit: & ſolennia ſacra celebrare. Ipſe autem Hyrcanum pontificem declarauit: quod ſe & in alijs rebus alacrẽ obſidionis tempore præbuiſſet, promptamq; ad bellum aggreſtium multitudi-

Cor. Sylla primus murũ trãſcendere auſus.

Hyrcanus põtifex declaratur.

nem

nem ab Aristobulo reuocasset:per quæ sicut imperatorem bonum decuit,bene uolentia potius quàm timore plebem sibi conciliauit.Inter captiuos etiam comprehensus Aristobuli socer idemq; patruus tenebatur:& illos quidem qui maxime belli causa fuissent,securi percussit,Faustum uero & qui unà fortiter fecerant, præclaris præmijs donat:& Hierosolymis tributum indicit:ablatas autem gentibus etiam quas in Syria ceperant ciuitates,Romanorum qui tunc erant militum duci parere iussit: proprijsq; tantum terminis circũduxit.Instaurat autem in gratiam cuiusdam ex libertis suis Demetrij Gadarensis,etiam Gadaram,quã Iudæi subuerterant.Mediterraneas præterea ciuitates de eorũ potestate liberauit,quas præuenti nõ exciderant,Hyppon & Scythopolim & Pellam & Samariam & Marisam: itemq; Azotum & Iamniam & Arethusam: necnon & maritimas Gazã & Ioppen & Doram,& quæ pridem Stratonis Pyrgus uocabatur, post autẽ ab Herode rege clarissimis ædificijs trãsformata,Cæsarea nominata est:easq; omnes indigenis ciuibus redditas prouinciæ Syriæ coniunxit. Huius autẽ & Iudææ,cum ctorumq; administratione ad Aegypti usq; fines & flumen Euphratem,cũ duabus cohortibus Scauro permissa. Romam ipse per Ciliciam properauit,captiuũ ducens Aristobulum cum familia. Erant autem filiæ duæ totidemque filij: quorum unus Alexander ex itinere fugit: minor autem Antigonus cum sororibus Romam uectus est.

De bello Alexandri cum Hyrcano & Aristobulo. Caput VI.

INterea Scaurus in Arabiam ingressus,ad Petram quidem regionum asperitate prohibebatur accedere: quæ autem circumerant omnia uastabat,multis & in hoc malis afflictus.Nam exercitũ fames premebat. Cui tamen Hyrcanus per Antipatrum uictui necessaria suppeditabat.Quem uelut Aretæ familiarẽ etiam Scaurus ad eum legauit:ut bellũ pactione deponeret. Itaq; persuasum est Arabis trecentis talentis decedere: atq; ita Scaurus ex Arabia transduxit exercitum. Alexander autem Aristobuli filius qui Pompeium fugerat: magna manu dilapso interea tempore congregata,Hyrcano grauius imminebat,Iudæámq; depopulabatur. Quem quidem mature debellare posse credebat:quoniam disturbatum quoque à Pompeio murum Hierosolymis renouatũ esse cõfidebat:nisi Gabinius in Syriam missus qui Scauro successerat, cum in alijs fortem se præbuisset tum etiam in Alexandrum mouisset exercitum. Huius autem ille impetum ueritus, & ampliorem militum manum congregabat: donec facta sunt decem milia peditum,& mille quingenti equites:uillasq; opportunas muris,hoc est Alexandrium & Hyrcanium & Macherunta non longe ab Arabiæ mõtibus munie bat. Igitur Gabinius cum parte militum præmisso Marco Antonio,ipse cum toto exercitu sequebatur. Lecti autem Antipatri comites, aliáque Iudæorum multitudo,quorũ Malachus & Pitholaus principes erant: iunctis cum Marco Antonio uiribus suis,Alexandro obuiam processerunt:neque ita multo post aderat cũ suis copijs Gabinius.Alexander autem tum quod ita unum confertam hostium multitudinem sustinere non poterat,abscessit.Cumque Hierosolymis appropinquasset coactus prælium suscepit, amissisque sex milibus, quorum tria uiua capta sunt, tria uero prostrata, cum reliquis effugit. Gabinius autem ubi Alexan

An. lib. 14. cap. 9.

An lib. 14. cap. 10.

drium caſtellum uenit, quia multos deſeruiſſe caſtra cognouit, promiſſa delicto/rum uenia conabatur eos ante prælium ſibi coniungere. Cum autē illi nihil me/diocre cogitarent, pleriſque interfectis, reliquos in caſtellū condudit. In hoc præ/lio dux Marcus Antonius multa prædare geſſit: & quamuis ſemper & ubiq; uir fortis apparuiſſet, tamen tunc etiam ſuum uicit exemplum. Gabinius autem reli/ctis qui caſtellum expugnarent, ipſe ciuitates adire, & intactas quidem confirma/re, ſubuerſas autem erigere curabat. Deniq; iuſſu eius & Scythopolis habitari cœ/pit: & Samaria & Anthedon, & Apollonia, & Iamnia, & Arabia, & Mariſa, & Dora, & Gadara, & Azotus, aliæq; multæ lætis ciuibus atque incolis ad eas con/currentibus. His autem recte diſpoſitis regreſſus Alexandrium, uehementius ur/gebat obſidium. Qua re territus Alexander, omnibus deſperatis legatos ad eum
An. lib. 14. ca. 11. miſit, & ignoſci delictis orans, & quæ ſibi parerēt caſtella Macherunta & Hyrca/nium tradere non dubitans, quinetiam Alexandrium eiuſdem poteſtati permi/ſit. Quæ quidem Gabinius omnia conſilio matris Alexandri funditus eruit, ne rurſus belli alterius receptaculum fierent. Aderat autem, quo ſuis Gabinium palparet obſequijs, uiro ſuo cæterisq́ue captiuis metuens, qui Romam fuerant abducti. Poſt hæc ergo Gabinius Hyrcano Hieroſolymam deducto, eiq́ue fani cura mandata, cæteris reipublicæ partibus optimates præfecit. Omnémque Iu/dæorum gentem in conuentus quinque diuiſit: uno Hieroſolymis, altero Doris, itēq; tertio ut apud Amathunta reſpondeat, deſtinatis quarto Hierico, & quin/to Sephoris Galilææ ciuitas attributa eſt. Singulari autem unius dominatione Iudæi liberati, libenter ab optimatibus regebantur. Veruntamen nō multo poſt
An. lib. 14. ca. 12. euenit, ut turbarum his fieret initiū elapſus Roma Ariſtobulus, qui magna ite/
Elabitur Roma Ariſtobulus. rum Iudæorum manu conflata partim cupida mutationis, partim quibus olim dilectus erat, primum occupat Alexandrium: idq; recingere muro tētabat. De/inde cognito, quod Gabinius * Siſennam & Antonium & Seruilium duces, cōtra
Al. Siſimnii. ſe cum exercitu miſit, in Macherunta concedit: uulgiq; imbellis onere depoſito, ſolus armatus propè ad octo milia militum ſecum duxit: inter quos & Pitholaus erat ſecundarum partium rector, cum mille uiris ex Hieroſolymis profugus. Romani autem ſequebantur, habitoq; conflictu, aliquandiu cū ſuis Ariſtobulus fortiter dimicando perſeuerabat, donec ui Romanorum ſubacti, cæſa ſunt uirorū quinq; milia. Propè uero ad duo milia in quendā tumulum confugierunt. Cæte/riq; mille cum Ariſtobulo, perrupta Romanorū acie, in Macherūta coacti ſunt. Vbi rex cum in ruinis prima ueſpera tetēdiſſet, ſperabat quidem aliam ſe manū per inducias belli poſſe contrahere, caſtellumq; bene munire. Impetum autem Romanorum, ſupra quàm poterat, per biduum remoratus poſtremo capitur: & cum Antigono filio qui Romæ ſecum fuerat uinctus, ad Gabinium atque inde
Iterum Ariſtobulus capitur & Romā reducitur. Romam perductus eſt. Sed illum quidem ſenatus cuſtodiæ coērcuit. Filios autē eius in Iudæam tranſmiſit, quia Gabinius ſcripſerat per epiſtolas, id pro traditio/ne caſtellorum, coniugi Ariſtobuli ſpopondiſſe. Parato autem Gabinio bellum Parthis inferre, Ptolemæus impedimento fuit. Qui reuerſus ab Euphrate, pete/bat Aegyptum, Hyrcano & Antipatro amicis uſus ad omnia quæ militiæ neceſ/ſitas exigebat. Nam & pecunijs & armis eum & frumento Antipater & auxilijs

adiuuit

adiuuit. Et Iudæis in ea parte uias, quæ Peluſium ducerẽt, obſeruantibus, trãſmittere Gabinium perſuaſit. Aliãs uero Syria diſceſſu Gabinij commota, & Iudæos iterum Alexandex Ariſtobuli filius ad diſceſſionem reduxit: & maxima multitudine conflata, Romanos omnes, qui per eam terram degerent, obtruncare decreuerat. Quam rem Gabinius metuẽs (iam enim ex Aegypto redierat) hoc tumultu inſtante, nonnullis diſſidentium præmiſſo Antipatro cõcordiam perſuaſit. Cũ Alexandro autem milia triginta remanſerant, & ille ad bellum promptus erat. Itaq; ad pugnam egreditur. Occurrunt autem Iudæi, & circa montem *Itaburiũ congreſſi, decem milia ſternuntur: cæteram uero multitudinem fuga diſperſit. Et Gabinius ad Hieroſolymam reuerſus (id enim Antipater uoluit) remp. eius com poſuit: deinde hinc profectus, Nabathæos pugna ſuperat, & Mithridatem & Orphanẽ à Parthis profugas clàm dimittit, eosq; militibus aufugiſſe firmauit. Interea Craſſus ei ſucceſſor datus, Syriam ſuſcepit. Is in Parthicæ militiæ ſumptum, & omne aliud aurum templi, quod Hieroſolymis erat, abſtulit, & à quibus Pompeius temperauerat, duo milia talentorum. Euphratem uero tranſgreſſus, & ipſe perit & exercitus eius: de quibus non eſt huius temporis cõmemorare. Poſt Craſſum autem, Parthos in Syriam properantes irruere Caſſius inhibuit, receptus in prouinciam. Eius autem fauore quæſito, in Iudæã feſtinabat: captisq; Tarichæis, propè ad tria milia Iudæorum adducit in ſeruitium. Occidit autem etiam Pithlaum, ſeditioſos Ariſtobuli colligentem, cuius necis ſuaſor erat Antipater. Huic autem nupta fuit ex Arabia nobilis fœmina, nomine Cypris: unde filios quatuor, Phaſelum, & regem Herodem, & Ioſippum, & Pheroram, & Salomen filiã habebat. Cum autem omnium, qui ubiq; potentes eſſent, amicitiam hoſpitijs familiaritatéq; conquireret, præcipue regem Arabum per affinitatem ſibi ſociauit: eiusq; fidei commendans filios ſuos ad eum miſit: quoniam bellum cum Ariſtobulo gerendum ſuſceperat. Caſſius autem, compulſo ad otium per conditiones Alexandro, ad Euphratem reuerſus eſt, Parthos trãſitu prohibiturus, de quibus alio loco referemus.

Al. Thaburiũ.

An. lib. 14. ca. 13.

De Ariſtobuli morte & bello Antipatri contra Mithridatem. Caput VII.

CAeſar autẽ poſt ſenatus & Pompeij fugam, trãs mare Ionium rebus omnibus Romáq; potitus, ſolutum uinculis Ariſtobulum, cum duabus cohortibus uelociter ad Syriam miſit: & hanc facillime & cuncta Iudææ proxima, per illum ſubijci poſſe ratus. Verum & ſpem Cæſaris & Ariſtobuli alacritatem præceſſit inuidia. Nam ueneno peremptus à Pompeij ſtudioſis, aliquãdiu etiam ſepultura in ſolo patrio carebat, corpusq; mortui ſeruabatur melle conditum, donec ab Antonio Iudæis iuſſum eſt in monumentis regalibus ſepeliendum. Occiditur autem Alexander quoq; filius eius, à Scipione ſecuri percuſſus Antiochiæ, ſecundum Pompeij literas, accuſatione pro tribunali prius habita ſuper his, quæ in Romanos admiſerat. Ptolemæus autem Minæi filius, qui apud Chalcidem ſub Libano morabatur, captis eius fratribus, filium ſuum Philippionem, qui eos arceſſeret, mittit Aſcalonem: atque ille abſtractum ab Ariſtobuli coniuge Antigonum, eiusque ſorores, adducit ad patrem. Amore autem captus, minorem earum cõiugio ſuo copulat, ob eamque poſtea cauſam à patre occiditur. Accepit

An. lib. 14. ca. 14.

An. 14. ca. 15.

enim Ptolemæus in matrimonium Alexandram perempto filio: huiusque affinitatis gratia, fratres eius propẽsiore cura tuebatur. Antipater autem, Pompeio mortuo, in clientelam Cæsaris sese contulit: & quia Mithridates Pargamenus ab accessu Pelusij prohibitus, cum exercitu quem ducebat in Aegyptum, apud Ascalonem morabatur: non solum Arabas, quamuis hospes esset, auxiliũ ferre persuasit: uerum & ipse armata Iudæorum tria circiter milia secum mouit. Excitauit autem præsidio Syriæ quoque potentes, & incolam Libani, Ptolemæum etiã Blicum, & Ptolemæum alterum, quorum gratia ciuitates illius regionis alacri animo bellum pariter inchoarunt. Iamq; fretus Mithridates, auctis propter Antipatrum copijs, Pelusium proficiscitur. Et quia transire uetaretur, ciuitatem obsidebat: Antipater uero & in hac oppugnatione clarius enituit. Effracto enim ex parte sua muro, primus in ciuitatem cum suis comitibus insiluit: & Pelusiũ quidem captum est: ulterius autem eos progredi non sinebant Iudæi Aegyptij, terrarum incolæ, quæ appellantur Oniæ. Quibus tamen Antipater non modo ne obstarent, uerumetiam ut uictui necessaria præberent, *multis persuasit. Vnde factum est, ut nec Memphitæ in manus uenirẽt, ultroque sese traderent Mithridati, atq; ille delatam pergrato pugnam cũ cæteris commisit Aegyptijs, in loco cui nomen est Iudæorum Stratopedon: eumque in acie omni dextro cornu periculo liberauit Antipater, circũgressus fluminis ripam. Leuum enim cornu contra se positum superabat. Facto autem in eos impetu qui Mithridatem persequerentur, multos occidit: Iamque diu reliquos fugientes angebat, donec etiam castris eorũ potitus est, octoginta tantum de suorum numero amissis. Octingentos autem ferè Mithridates cum fugeret, perdidit. Præter spem uero seruatus ex prælio, uarius inuidia, testis rerum ab Antipatro gestarum fuit apud Cæsarem. Vnde illic tunc quidem Antipatrum spe & laudibus incitatum, ad subeunda pro se pericula reddidit promptiorem. In quibus omnibus bellator audacissimus comprobatus, multaq; perpessus uulnera toto corpore gerebat, signa uirtutis disertæ. Post autem quando rebus in Aegypto compositis, ad Syriam rediit, & Romana eum ciuitate simul & immunitate donauit: alijsque rebus honorando, amicissimeque tractando, dignum æmulatione constituit: eiusdemq; gratia etiam pontificatũ confirmauit cum Hyrcano.

An. lib. 14. ca. 16.

Al. militi.

De accusationibus Antipatri apud Cæsarem, de pontificatu Hyrcani & Herodi bellum mouente. Caput. VIII.

De Antigono Aristobuli filio.

EOdem uero tempore, Antigonus quoq; Aristobuli filius, cũ uenisset ad Cæsarem, maioris præter opinionẽ felicitatis causam præbuit Antipatro. Nam qui de patris morte queri deberet propter inimicitias Pompeij, ueneno quãtum putabatur perempti, & crudelitatis in fratrem accusare Scipionem, nullumq; inuidiæ dolorem admiscere miserijs, ultra hæc Hyrcano & Antipatro criminabatur, ueluti se patrio loco cum fratribus iniquissime pellerent, multisq; gentem iniurijs afficerent, dummodo satiarentur: quodq; in Aegyptum auxilia ipsi Cæsari non beneuolentia, sed timore ueteris discordiæ miserint, & ut amorem Pompeij deprecarentur. Ad hæc Antipater, ueste proiecta, multitudinem uulnerũ demonstrabat, & qua fide quidem Cæsarem coluisset, uerbis non esse opus dixit: nã cor-

pus

pus etiam se tacente clamare: Antigoni autem mirari audaciam, qui cum hostis Romanorum sit filius, & fugitiui Romanorum, nouarumq; rerum studium uo / tumq; seditiosum patris habeat, apud Romanorum principem alios accusare co netur, boniq́ue aliquid adipisci tentet: quem hoc solũ oporteret amplecti, quod uiueret. Nanq; nunc eum non propter inopiam desiderare facultates: sed ut in eos qui se dedissent, Iudæorũ seditiones accẽderet. Quæ ubi Cæsar audiuit, Hyr / canum quidem pontificatu digniorem esse pronunciauit. Antipatro autem cuius uellet potestatis detulit optionem. Qui permissa dignitatis mensura ipsi qui da / ret, Iudææ procurator declaratus est. Et præter hoc impetrauit, ut subuersa patriæ mœnia renouare sibi liceret: & hos quidem honores Cæsar incidendos in capito / liũ misit, ut iustitiæ suæ uirtutisq; signũ Antipatri memoriæ traderetur. Antipa / ter uero ubi de Syria Cæsarẽ prosecutus est, in Iudæam reuersus, ante omnia pa / triæ muros à Pompeio dirutos reparabat: omniáque lustrãdo, ne quid in illis re / gionibus turbarum esset, nunc interminando, nunc etiam suadẽdo curabat: unũ / quenq; admonens, quod si cum Hyrcano sentirent, in otio atque opulentia ui / cturi essent, fortunisq; suis & communi pace potituri: sin spe uana ducerentur eo / rum, qui priuati questus gratia res nouas optarent, se quidem non procuratorem sed dominum omnium: Hyrcanum uero tyrannum pro rege, itemq́ue Roma / nos & Cæsarem hostes pro amicis & rectoribus habituri: nec enim passuros hu / ius potestatem labefactare, quem ipsi regẽ constituissent. Sed quamuis hæc dice / ret, tamen etiam per se, quoniam Hyrcanum segniorem uideret, neq; tam effica / cem q; regni posceret solicitudo, statum prouinciæ cõponebat. Et Phaselũ quidẽ, natu maximum filiorum suorum, militibus propositum, Hierosolymis eiusq́ue territorio præfecit: Herodem uero ætate posteriorem, nimisq; adulescentem, Ga / lilææ destinat, similia curaturum: qui cum natura strenuus esset, cito materiã ubi animi magnitudinem exerceret, inuenit: captumq; latronum principem Ezechiã, quem prædari maximo agmine continentia Syriæ deprehendit, ipsum aliosq́ue latrones multos interfecit. Eáque res adeo grata fuit Syris, ut per uicos atque op / pida caneretur Herodes, ueluti per eum pace reddita, & possessionibus restitu / tis. Ex huius denique operis gratia, Sexto etiam Cæsari propinquo magni Cæ / saris, & Syriam tunc administranti, est cognitus. Quin & Phaselus fratris indo / lem contentione bona superare certabat, augendo erga se beneuolentiam Hie / rosolymis habitantium: atque illam quidem ciuitatem possidens, nihil autem cõ / tumeliose per insolentiam potestatis admittens: hinc & Antipater obsequijs re / galibus ab ea gente colebatur, & honores ei tanquàm rerum domino omnes ha / bebant. Nec tamen ipse propterea minus fidelis aut beneuolus Hyrcano fu / it. Verum fieri non potest, ut liuorem quisquam in secundis rebus effugiat. Nanque Hyrcanus, quàmuis & antea tacite sua sponte mordebatur adulescen / tium gratia, maximéque rebus ab Herode bene gestis, & crebris nuntijs laudes eius per singula facta prædicantibus angeretur: à multis tamen inuidis, qui re / gnis adhærere solent, quibusq́ue Antipatri eiusq́ue filiorũ probitas officiebat, instigabatur: dicentibus quod Antipatro & filijs eius rebus traditis, solo cõten / tus & hac potestate uacuo regis nomine sederet. Et quamdiu sic errabit, ut in se

An. lib. 14. ca. 16.

Antipater obsequijs regalibus colitur.

reges producat: Nec enim eos uel ſimulare iam procurationem, ſed certe eſſe dominos ipſo reiecto: cuius nec mandatis nec epiſtolis præter Iudæorum legem tantam multitudinem peremiſſet Herodes: illumque niſi regnet, ſed adhuc priuatus ita ad iudicium uenire debere, rationem tam ipſi regi quàm patrijs legibus redditurum, quæ indemnatos occidi non ſinerent. His paulatim accẽdebatur Hyrcanus. Ad extremum autem iracundia prodita, cauſam dicturum Herodem iubet accerſiri: atque ille & patris monitu, & quod ei fiduciã res geſtæ darẽt, munita prius Galilæa præſidijs, ad regem proficiſcitur. Ibat tamen cum forti caterua, ne uel derogare uideretur Hyrcano, ſi plures duceret, uel inuidiæ nudus pateret. Sextus autem Cæſar aduleſcenti metuens, ne quid apud inimicos deprehenſo mali fieret, ad Hyrcanum mittit: qui ei manifeſte denunciarent, ut homicidij crimine liberaret Herodem. Hyrcanus autem qui eũ diligeret, per ſe quoq; id cupiens, abſolutionem decernit. Atque is inuito rege fugiſſe ratus, Damaſcum receſſit ad Sextum nequaquàm paratus obedire, ſi denuo fuiſſet accitus. Rurſumq; à nequiſſimis iritabatur Hyrcanus, firmatum Herodem abijſſe firmantibus, & ut ſe contra ipſum inſtrueret, properaſſe. Hæc autem rex uera eſſe exiſtimans, quid ageret neſciebat: quoniam potentiorem inimicum uidebat. Cum uero à Sexto Cæſare dux militum per Syriam itemq; per Samariam declaratus eſſet Herodes, neque ſolum propter gentis fauorem, ſed etiam uiribus ſuis terribilis putaretur, ad timorem ultimũ decedit, iamiamq; illum contra ſe credẽs cum exercitu eſſe uenturum. Neque opinione deceptus eſt. Nanq; Herodes intentatæ ſibi accuſationis iracundia, conflatam militum multitudinem in Hieroſolymam ducebat, ut Hyrcanum regno deponeret. Idq; feciſſet, niſi pariter egreſſi pater & frater fregiſſent eis impetum, deprecantes ut & ipſe uindictam minis tantum, ſoláq; indignatione metiretur: regi autem parceret, ſub quo ad hoc potentiæ proceſſiſſet: ac ſi propterea quod in iudicium uocatus eſſet, indignaretur: quia tamẽ abſolutus eſt, gratias ageret, neq; triſtibus quidẽ paria referret, ſaluti uero eſſet ingratus. Quod ſi etiam momenta bellorum reputanda uiderentur, iniquitatem militiæ conſideraret: neq; omnino de uictoria bene ſperaret, qui cum rege cõgreſſurus eſſet unà ſecum educato, & de ſe bene merito: ſæuo autem nunq;, niſi quod maleuolorum conſilijs impulſus, umbram ei tantum iniquitatis mouiſſet. Paruit his Herodes, qui ſperatis putauerat poſſe ſufficere, ſuasq; uires demonſtrare nationi. Et inter hæc diſcordia Romanorum circa Apamiam bellumq; domeſticum oritur: quoniam Cæcilius Baſſus fauore Pompeij, Sextum Cæſarem dolo necauerat, eiusq; militem occupauerat. Alij uero Cæſaris duces, mortis eius ulciſcendæ gratia, cunctis uiribus Baſſum petebant. Quibus tam interempti, q̃ ſuperſtitis Cæſaris cauſa, quod ambobus eſſet amicus, Antipater per filios ſuos miſit auxilia. Cum autem bellũ traheretur, ex Italia quidem ſucceſſor ante dicti Sexti, uenit Marcus.

Sex. Cæſar p Herode ad Hyrcanũ mittit.

Sex. Cæſar dolo necatur.

An. lib. 14. ca. 20.

De Romanorum diſſidijs poſt mortẽ Cæſaris & inſidijs Malachi. Caput IX.

EOdem tẽpore bellum inter Romanos cõflatur, dolo Caſſij & Bruti, Cæſare interfecto, poſtquã triennium ſeptemq; menſes tenuit principatũ. Maximo autẽ motu cædis eius gratia cõcitato, & optimatibus inter ſe diſſidẽtibus, propria ſpe quiſq; ducebatur ad id, quod exiſtimabat eſſe cõmodius. Itaq; Caſſius Syriam pe

am petit,occupaturus militem,qui Apamiam circunſidebat:ubi & Marcũ & diſſidentes cohortes,Baſſo conciliauit, ſimulq; obſidione liberauit Apamiam.Ipſe uero exercitum ducens ſtipendium ciuitatibus indicebat:nec modus erat exactionum. Cum autem Iudæos *ſeptingenta quoq; talẽta iuſſiſſet inferre,minas eius ueritus Antipater,filijs ſuis & alijs amicis, mature pecuniæ cogendæ curam diſtribuit,& inter eos Malacho cuidam ex amicis:neceſſitas adeo urgebat.Primus autem Herodes Caſſij fauorem promeruit,qui ex Galilæa parte ſua,centum talenta portauit,propterea q; inter eximios amicos numerabatur.At uero cæteros tarditatis arguens Caſſius,ipſis ciuitatibus iraſcebatur.Eóq; *Goſnam & Thamnã, & duas alias ciuitates ex uilioribus depopulatus, ibat quidem quaſi Malachum interfecturus,quod remiſſior in exigendo fuiſſet. Verum & huius & cæterarũ ciuitatum interitum repreſſit Antipater,centum ilico talentis Caſſio delinito.Neq uaquam tamen Malachus poſt obitum Caſſij,beneficiorum Antipatri memor fuit. Sed illi ipſi, quem ſæpenumero memorabat ſui ſeruatorem fuiſſe, periculũ moliebatur,iniquitatis ſuæ impedimentum abolere feſtinans. Itaque Antipater & uires eius,& calliditatem metuens,flumen tranſit Iordanem:ad ulciſcendas inſidias congregaturus exercitum. Deprehenſos autem Malachus Antipatri filios,imprudentia ſuperat. Nam & Phaſelum apud Hieroſolymam præſidijs appoſitum,& Herodem,qui cuſtodiam curabat ad murum,multis excuſationibus & ſacramentis circumuentos impellit,ut ipſis intercedentibus,reconciliaretur Antipatro:atq; ita denuo per Antipatrum exorato Marco,tunc in Syria militem regente,ſeruatus eſt:qui Malachum ſtatuerat occidere,quod nouis rebus ſtuduiſſet. Cæſare uero aduleſcente,& Antonio cum Bruto & Caſſio bellum gerẽtibus, Marcus & Caſſius exercitu de Syria conflato,quod magna pars,ubi uſus poposcit, Herodis fuiſſet,ipſum quidẽ totius Syriæ procuratorem præficiũt,equitũ illi manu,peditumq; attributa,Si autem bellum deſijſſet,regnũ quoq; Iudææ Caſſius ſe eidem delaturũ eſſe pollicitus eſt.Euenit autem,ut Antipatro & ſpes & fortitudo filij, cauſa mortis fieret.Horum enim metu Malachus,miniſtro quodam regio pecunia corrupto,mixtum ei ueneno poculũ dari perſuadet.Atq; ille quidẽ iniuſtitiæ Malachi palma fuit, poſt conuiuium mortuus,uir ad alia ſtrenuus,rebusq; adminiſtrandis idoneus,& qui regnum recuperatum conſeruaſſet Hyrcano.Malachus autem infenſum propter ſuſpicionem ueneni populum, negando placabat: ſimulq; ut ualidior eſſet,armatorum ſibi copias conquirebat.Nec em̃ Herodem ceſſaturum arbitrabatur,quin etiam mox cũ exercitu necis paternæ ultor aduenìret. Sed Phaſeli fratris conſilio,qui eum palàm minime perſequẽdum eſſe dicebat, ne uulgi ſeditio concitaretur:& purgantem ſe tunc Malachum patienter admiſit,& ſuſpicione liberum eſſe concedens,dariſſimas paterno funeri celebrauit exequias. Conuerſus autem in Samariam,& ciuitatem compoſuit ſeditione turbatam,perq; dies feſtos in Hieroſolymam remeabat, præmiſſis comitibus armatis: nam timens impetum compellabat Hyrcanus. Malachus autem alienigenas introduci ſuper indigenas,quod dies feſtos agerent,prohibebat. Herodes autem,& ipſo qui præceperat,cauſaq; contẽpta,nocte ingreſſus eſt. Iterúmq; Malachus ad eum ueniens,Antipatrum flebat.Contráq; ille ſe falli,cũ uix

Al.ſeptuaginta.

Al.Gophnã.

Herodes Syrie præficitur.

Malacho inſtiante, Antipater ueneno perimitur.

animi

animi dolorem premeret, ſimulabat: & tamen de nece patris apud Caſſium per epiſtolas queſtus eſt, cui propterea Malachus inuiſus erat. Itaque non modo ut mortem patris ulciſceretur, ei reſcripſit: ſed etiam chiliarchis quibus præerat, ut in cauſa iuſta Herodi opem ferrent, occulte præcepit. Et quoniã capta Laodicia, undiq; ad Herodem conuenerant optimates cũ muneribus & coronis, ipſe quidem hoc ultioni tempus deſtinauerat. Malachus autem id Tyri fore ſuſpicabatur consilium: & filium ſuum tunc apud Tyrios obſidem, ſtatuit ſubducere, & ipſe in Iudæam fugam parabat. Salutis autem deſperatio ſtimulabat, ut etiam maiora cogitaret: nam & Iudæorum gentem contra Romanos excitaturum ſe credidit, dũ bello aduerſus * Caſſiũ Antonius occupabatur, deiectóq; Hyrcano facillime regnaturum. Sed profecto irridebat eius ſpem fatale decretum. Etenim quo intenderet animum ſuſpicatus Herodes, & ipſum & Hyrcanum propè aſtantes, ad cœnam uocat. Deinde ſeruorum quendam inſtruendi conuiuij ſpecie intromittit. Sed res erat, ut chiliarchis prædiceret ad inſidias egredi: atq; illi præceptorũ Caſſij memores, ad littus ciuitati proximum armati gladijs occurrunt, ibiq; circumſeptum Malachum multis uulneribus interficiunt. Hyrcanus autem ſtatim concidit ſtupore diſſolutus: uixq; anima recepta, Herodem percontabatur, quis Malachum occidiſſet. Et cum ex chiliarchis unus reſpondiſſet, Caſſij præceptum: planè, inquit, & me & patriam meam Caſſius ſeruat incolumem: qui amborum inſidiatorem peremit. Vtrum autem inuidia dixerit, an quod timore factum probaret, incertum eſt. Sed enim in Malachum hoc modo ultus eſt Herodes.

Al. Antonium Caſſius.

Malachus interficitur.

De Herode accuſato & uindicato. Caput X.

An. lib. 14. ca. 20.

POſtquàm uero Caſſius exceſſit è Syria, iterũ Hieroſolymis orta ſeditio eſt, cum Felix in Phaſelum mouiſſet exercitum, & in Herodẽ, fratris pœna uellet necem Malachi uindicare. Caſu autem Herodes cum Fabio Romano duce, apud Damaſcum habitabat: Et ne cupiens auxilio foret, morbo impediebatur. Interea tamen Phaſelus, etiam ſine cuiuſquàm præſidio ſuperauit Felicem: probrumq́ue ingrati obijciebat Hyrcano, qui & Felici ſtuduiſſet, fratremq́ue Malachi caſtella occupantem coniurauerat. Iam enim multa tenuerat, omniumq́ue tutiſſimum Maſſadam. Nec tamen ei quicquàm contra uim Herodis potuiſſet ſufficere, qui mox ut cõualuit, alia recepit. Et illum ex Maſſada ſupplicem dimiſit, & Marionem Tyriorum tyrannum ex Galilæa pepulit. * Triennium caſtella poſſederat, Tyrijſq́ue quos ceperat, uitã conceſſit omnibus: nonnullos etiam donatos abire iuſſit, unà & ſibi ciuitatis beneuolentiam, & tyranno cõparans odium. Marion autem à Caſſio quidem meruerat tyrannidem, qui tot Syriæ tyrannos præfecerat, ſed ob Herodis inimicitias etiam Antigonum Ariſtobuli ſecũ ducebat, & Ptolemæum, propter Fabianum, quem Antigonus ſibi pecunia ſociatum, adiutorem incepti habebat. Cuncta uero ſocer Ptolemæus Antigono ſubminiſtrabat. Contra quos Herodes inſtructus, in aditu Iudææ commiſſo prælio, uictoria potitur: fugatóq; Antigono, redit in Hieroſolymam, pro merito geſtæ rei omnibus charus, ut etiam quibus antea deſpectus erat, tunc in eius familiaritatem ſeſe dederint, propter Hyrcani affinitatem. Nanque is Herodes iampridẽ ex indigenis habebat uxorem, nõ ignobilem, quæ Doſis uocabatur, & Antipatrum ex

Felix ſuperatur.

Al. tria enim.

ea

ea ſuſceperat filium. Tunc autem duxerat Alexandri, cuius pater fuit Ariſtobulus, filiam Mariamnen, Hyrcani neptem ex filia, atq; inde regi familiaris erat. Sed ubi Caſſio circa Philippos interfecto, Cæſar in Italiam, & Antonius in Syriam diſceſſerunt: & legatis ab alijs ciuitatibus ad Antonium miſſis in Bithyniam, etiam Iudæorũ optimates accuſatum uenisse Phaſelum & Herodem: quod illis rerum ſummam ui poſſidentibus, nomen tantum honorabile ſupereſſet Hyrcano. Atque Herodes qui præſto erat magna pecunia placatũ ſic Antonium affecit, ut ne uerbum quidem inimicorũ eius pateretur audire: & tunc quidem ita digreſſi ſunt. *An. lib. 14 ca. 21.* Cum autem denuo Iudæorum primates cẽtum uiri, Antiochiæ proximam Daphnen, ad Antonium uenissent, amori Cleopatræ iam ſeruientem, delecti à cæteris, qui eloquentia & dignitate præſtabant, aduerſus fratres accuſationem proponunt. Reſpondebat autem Meſſalla, cauſæ defenſor, aſtante etiam propter affinitatẽ Hyrcano. Auditis deinde utriſq; partibus, Antonius percontabatur Hyrcanum, quinam eſſent regendis rebus aptiſſimi. Cumq; is Herodem, eiusq; fratres alijs prætuliſſet, uoluptate repletus (nam & hoſpes eorum paternus erat: humaniſſimeq; ab Antipatro ſuſceptus, eo tempore, quo in Iudæam cum Gabinio uenerat) tetrarchas ambos declarat: totius eis Iudææ procuratione permiſſa. Legatis autem id ægre ferentibus, quindecim eorum correptos, carceri tradidit, quos etiam penè occidit. Cæteros autem reiecit cum iniuria: unde maior tumultus Hieroſolymis excitatus eſt. Denicq; mille legati iterum Tyrum miſſi ſunt, ubi cõmorabatur Antonius, in Hieroſolymam paratus irruere. Et contra eos uociferantes, magiſtratus Tyriorum directus eſt, data ei licentia, ut quos comprehẽdiſſet, occideret: præceptóque, ut eorũ poteſtatem confirmare curaret, qui tetrachæ ipſius eſſent Antonij ſuffragio conſtituti. Ante hæc autem Herodes uſq; ad littus cũ Hyrcano progreſſus, multis eos admonebat, ne & ſibi interitus, & patriæ belli cauſa fierent, dum inconſiderate contendunt. Illis autem tanto magis id indigne ferentibus, Antonius miſſis armatis, multos occidit: multos etiã uulnerauit. Quorũ & ſaucios cura, & mortuos ſepultura Hyrcanus dignatus eſt. Non tamen ideo qui effugerant, quieſcebant: perturbando enim ciuitatem, Antonium iritabant, ut etiam quos in uinculis haberet, occideret. *Iudæi ab Antonio occiſi.*

De bello Parthorum contra Iudæos & fuga Herodis ac fortuna. Caput XI.

BArzafarnane autem Parthorum ſatrapa, Syriam biennio poſt cum regis filio Pacoro detinente, Lyſanias patris ſui mortui ſucceſſor Ptolemæi Minæi filij, mille ſatrapæ talenta pollicitus, & mulieres quingentas, ei perſuadet, ut Antigonũ in regnum inducerent, Hyrcanũq; deponerent. Impulſus igitur ab eo Pacorus, ipſe quidem per maritima loca pertexit, Barzafarnanem autẽ itinere mediterraneo iuſſit irrumpere. Sed maritimorum Tyrij Pacorum excluſerunt, cum Ptolemæus eum & Sidonij recepiſſent. Ille autem quendam regium miniſtrum, cognomine Suium, equitatus ei parte attributa, ad Iudæam iuſſit accedere, & exploraturum hoſtium conſilium: & ubi uſus exegiſſet, præſidio futurum Antigono. Plurimi autem eorum, qui Carmelum populabantur Iudæi, ultro ad Antigonum currunt, ad irruendum alacriter animati. Ille autẽ ad locum, qui Drimas dicitur, *An. lib. 14. ca. 22.*

citur,occupandum,eos præmittit: ubi commiſſa pugna,depulſisque hoſtibus & effugatis,Hieroſolymam curſu petebant: auctique multitudine, uſq; ad regiam proceſſerunt. Excepti autem ab Hyrcano & Phaſelo,forti acie in foro confligũt, Ibiq; hoſtes in fugam uerſos,pars Herodis in fanũ cõcludit:cuſtodesq; his ſexaginta uiros apponit,per ædes proximas collocatos.Sed hos quidem infenſus fratribus populus,igne conſumit. Herodes autem iracundia peremptorum cõgreſſus cum populo, multos obtruncat: inque dies ſingulos inuicem ſeſe per inſidias incurſantibus,aſſiduæ cædes erant.Inſtante uero die feſto,qui Pentecoſtes uocatur,omnia circa templum, totaq; ciuitas plebe ruſtica repleta eſt,& pleraq; armata. Et Phaſelus quidam muros, Herodes autẽ cum paucis domum regiã cuſtodiebat.Inuaſisque de improuiſo hoſtibus,in ſuburbano cõplures quidẽ peremit,omnes autem in fugã uertit.Et hos in ciuitatem, alios in fanũ,alios in extremum uallum indudit.Interea pacis arbitrum Pacorum,Antigonus petit admitti. Exoratus autem Phaſelus,& ciuitate & hoſpitio cũ quingentis equitibus Parthum recepit: ſed ante quidem ſpecie cõcordiæ uenientem,re autem uera,ut adiuuaret Antigonum. Deniq; Phaſelum dolo pepulit, ad Barzafarnanem legatos de compoſitione mittere, quamuis multa diſſuadente Herode,atq; ut inſidiatorem occideret,néue ſe eius fallacijs dederet: admonente enim natura,barbaros fidem negligere.Exijt etiam Pacorus cum Hyrcano,quo minus ſuſpectus eſſet:nonnullisque relictis equitibus apud Herodem,quos Eleutheros uocant,cũ cæteris Phaſelũ perſequebatur.Sed ubi ad Galilæam uenerunt,indigenas quidẽ diſſidentes atq; armatos offendunt,ſatrapam uero conueniunt ſatis callide,& officijs amicitiæ dolos tegentem. Denique poſtquam dona eis dedit, redeuntibus inſidias poſuit. Illi autem in maritimum quẽdam locum deducti,cui nomen eſt Edipon,fraudem intelligunt. Ibi enim de promiſſis mille talentis audierunt: & quod Antigonus pleraſq; mulieres ex his, quas ipſi haberent inter quingentas partes deuouiſſet: quodq; ſibi ſemper à barbaris præſtruerentur inſidiæ. Olim enim capti eſſent, niſi mora fuiſſet,dum Hieroſolymis caperetur Herodes,ne ſibi præſcius quæ de his agerentur,caueret.Hæc iam non uerba erãt ſolum,nam & cuſtodes haud procul abeſſe conſpiciebat. Et tamen Phaſelus Hyrcanum deſerere non eſt paſſus,cũ ſuis eum ſæpius moneret filius,ut fugeret:cui Saramalla Syrorum tunc ditiſſimus dixerat, quemadmodum eſſent omnia de inſidijs conſtituta. Sed conuenire ſatrapam maluit,atq; in os exprobrare,quod ſe inſidijs appetiſſet: ac maxime quia pecuniæ cauſa talis extitiſſet, cum plus ipſe pro ſalute daturus eſſet,cũ pro regno promiſiſſet Antigonus. Ad hæc Parthus ſubdola ſatisfactione,iuréq; iurando ſuſpicionem deprecatus,perrexit ad Pacorum: ſtatimq; à Parthis qui remanſerant,quibuſq; iuſſum erat, Phaſelus atq; Hyrcanus comprehenduntur: periuria ſimul ac perfidiã execrantes.At interim miniſter ad hoc miſſus,Herodem capere moliebatur:eumq; fallere,ut extra murum procederet, ſicut ſibi mandatum fuerat,conabatur.Ille autem ſuſpectos habere ſolitus barbaros,& tunc minime dubitans in hoſtes incidiſſe literas quæ inſidias indicarẽt,prodere nolebat,quanq; ſatis idoneam cauſam Pacorus obtenderet, epiſtolas portantibus obuiam ire debere:nec enim ab hoſtibus eſſe captos, aut quicquam de

Pugna in Hieroſolymis.

Pacori dolus.

inſidijs

insidijs, sed quæ Phaselus gessisset, his contineri. Iamdudum autem ab alijs audierat Herodes, fratrem suum Phaselum esse correptum: & Hyrcani filia Mariamne prudentissima fœminarum, multis eum precibus ne prodiret orabat, neue se crederet manifestis iam conatibus barbarorum. Adhuc autem Pacoro cum suis deliberante, quonam modo clàm patraret insidias, nec enim fieri posset, ut tantæ sapientiæ uir ex aperto circunueniretur, nocte Herodes cum propinquissimis sibi personis, ad Idumæam ignaris hostibus proficiscitur. Eo cognito, Parthi eum persequebantur. Et ille matrem quidem fratrésq; suos, desponsatámque puellam cum matre, minimósque fratres prætendere iter iussit. Ipse autem caute cum famulis suis barbaros retentabat: multisq; per omnes conflictus interemptis, ad castellum Massada properabat. Grauiores autem in fuga Parthis Iudæos expertus est. Qui cum semper molesti fuissent, à sexagesimo tamen ciuitatis stadio aliquandiu etiam acie decertauerunt. Vbi Herodes uictoria potitus, cum multos interfecisset, ipsumq; locum in memoriam prædari facinoris ædificatum, locupletissima exornauit regia, arcémq; in eo munitissimam condidit, ac de suo nomine Herodion uocauit. Et tunc quidem cum fugeret, multos ad se applicabat. Postea uero quàm de Idumæa uenit, occurrit ei frater Iosippus, turbámq; se quentium diminui persuadet: nec enim capacem esse tantæ multitudinis Massadam. Erat autem supra quàm nouem milium multitudo. Itaq; paruit Herodes eius consilio, & impares quidem necessitati per Idumæam dimisit cum uiatico, lectissimos autem maximéq; necessarios tenuit, atque ita in castellum receptus est. Deinde octingentis ibi relictis, qui mulieres defenderent, itémq; commeatu, qui satis esset obsessis, ipse in Petram ciuitatem Arabiæ perrexit. Parthi autem apud Hierosolymam in prædam uersi, in fugientiũ domos ac regiam irruebant, solis Hyrcani pecunijs abstinentes: quæ trecenta talenta superabant, aliorum uero spe minores inueniebantur: quoniam Herodes iampridem barbarorum perfidiam suspicans, quicquid erat in opibus pretiosum, in Idumæam multo ante cõportauerat: eiúsq; sociorum itidem quisq; fecerat. Veruntamen postquam præda potiti sunt Parthi, ad hoc iniuriæ processerunt, ut omnem terram illam bello implicato replerent: Marisa quoq; ciuitate uastata, nec solum Antigonũ regem constituerent, uerumetiam Phaselum & Hyrcanum uinctos ei traderent uerberandos. At ille Hyrcani quidem auriculas dentibus truncat, ne solutus quidem mutatis rebus unquam pontificatum recipiat: ab integris enim celebrari sacra oportet. Phaseli uero uirtute præuentus est Antigonus. Qui cum nec ferri copiam, nec manus liberas haberet, ad saxum fracto capite interijt: atq; ita probato, quod uerus Herodis frater esset, Hyrcanusq; degenerasset, uiriliter uita fungitur: dignum operibus humanis obitum assecutus. Fertur tamen & aliud, quod ex illa quidem plaga resipuerit, sed ueluti curandi eius causa, missus ab Antigono medicus, uenenis malis uulnus expleuerit, eoq; illum pacto peremerit. Vtrumuis autẽ uerius sit, prædarum habet initium. Denicq; aiunt eum, priusq; efflaret animam, cognito ex quadam mulierecula, quod Herodes euasisset, dixisse: Nunc bono animo discedam, qui ultorem inimicorũ uiuum reliquerim. Ille quidem sic moritur. Parthi autẽ, quanquam mulieribus caruerint, quas maxime cupiebant, rebus tamen cum

Victoria Herodis.

Herodion.

men cum Antigono apud Hieroſolymam cõpoſitis, uinctũ in Parthiam Hyrca nũ ducunt. Herodes autẽ obſtinatus in Arabiam, uelut adhuc uiuo fratre ſuo, feſtinabat: ut pecunias ab rege acciperet, quibus ſolis exoratũ iri pro Phaſelo ſperabat auaritiam barbarorum. Etenim reputabat, ſi Arabs minus memor fuiſſet paternæ amicitiæ, animóq; liberali parcior, uel mutuum ab eo ſumeret, quod redemptionis cauſa præberet: pignori oppoſito ipſius filio, quem redimeret. Secũ enim habebat fratris filium, ſeptem annos natum: trecentáq; talenta dare decreuerat, interpoſitis precatione Tyrijs. Sed profecto ſtudium fortuna præuenerat: & Phaſelo mortuo, nequicquam fratrẽ diligebat Herodes. Non tamen uel apud Arabas ſaluam amicitiam reperit. Deniq; Malachus rex eorum, præmiſſis qui hoc admonerent, quamprimũ reuerti eum ex finibus ſuis iubet, ſimulatione quidem Parthos per legatos petiſſe, ut Herodem Arabia pelleret. Certa uero cauſa fuit, quod uicem Antipatro debitam, negare propoſuerat. Neque pro beneficijs ab eo perceptis, aliquid eius filijs gratiæ rependeret, conſolationis egentibus. Imprudentiæ uero ſuaſores habebat, qui Antipatri uellent abiurare depoſita. Erant autem circa eum potentiſſimi. Proinde Herodes quidem, ubi Arabas ex ea ſibi cauſa hoſtes eſſe deprehendit, unde amiciſſimos exiſtimabat, eáque reſpondit nuncijs, quæ dolor imperauit, Aegyptum uerſus recedit. Et prima quidem ueſpera in quoddam agreſte fanum, dum poſt uenientes recipiebat, tendit. Poſtero autem die, cum Rhinocoluram, perueniſſet, fratris ei mors nunciatur. Acceptóque tanto luctu, quanto curarum æſtum depoſuit, ibat ulterius. Itaq; Arabem ſero facti pœnituit: & qui reuocarent eum, quem contumelioſe tractauerat, uelociter miſit. Herodes autem in Peluſium peruenerat: ibiq; tranſitu prohibitus, ab eius rei ſpeculatoribus, rectores adit: & illi tum famam uiri dignitatémq; reueriti. Alexandriam proſequuntur. Tranſgreſſus autem ad ciuitatem, à Cleopatra honorifice ſuſceptus eſt, ducem ſibi militum fore eum, ad ea quæ parabat, exiſtimante. Poſthabitis autem reginæ precibus, neq; hyemis aſperitatem, neq; marina diſcrimina, quo minus nauigaret Romam, extimuit. Circa Pamphyliam uero periclitatus, maiore oneris parte reiecta, uix in Rhodum uehementer bello Caſſij ſolicitam, ſaluus euadit. Amicorum autem ſuorũ, Ptolemæi & Sabini receptus hoſpitio, licet rei pecuniariæ premeretur inopia, maximam tamen ædificat nauim triremem: eáq; cum amicis delatus in Brunduſium, atq; inde cõtinuo Romam profectus, familiaritatis paternæ gratia, primum conuenit Antonium: eiq; tam ſuas quàm totius generis clades exponit: quodq; affectibus ſuis in caſtello relictis, atq; obſidione cinctis, ad eum hyeme ſupplex nauigaſſet. Itaq; tantæ miſerationis caſum miſeratus Antonius, & memoria quidem iunctæ cum Antipatro dexteræ, tunc uero ipſius qui aderat, contemplatione uirtutis, etiam tunc eum regem cõſtituere propoſuit Iudæorum, quem ipſe tetrarcham antea fecerat. Non minus autem, quàm fauore Herodis, odio ducebatur Antigoni. Hunc enim & ſeditioſum, & Romanis inimicũ eſſe arbitrabatur. Cæſarem quidem ſciebat, multo quam ipſe paratius renouantem Antipatri expeditiones, quas in Aegypto cũ eius patre pertulerat: & hoſpitium & in rebus cunctis beneuolentiam: cum præter hæc ipſius quoque Herodis efficaciam cerneret. Veruntamen & ſenatum con-

Herodes Romam nauigat

An. lib. 14. cap. 13.

uocabat,

uocabat,ubi Meſſala,& poſt eum Atratinus,aſtante Herode,patris eius merita, & ipſius circa populum Romanum fidem proſequebantur, quo ſimul hoſtem Antigonum demonſtrarent: non ſolum quod intra breue tempus his diſſidere cœpiſſet, uerumetiam quod antea quoq; populo Romano deſpecto,Parthorũ ſuffragio regnum curauiſſet accipere.His autem commoto ſenatu,cum Antonius etiam bello contra Parthos gerendo,utile eſſe diceret Herodem regem creari, omnes aſſentiunt.Dimiſſoq; concilio, Antonius quidem & Cæſar egrediebantur: medium ſtipantes Herodem. Conſules autem cum alijs magiſtratibus antecedebant,cæſuri hoſtias,decretúmq; ſenatus in Capitolio repoſituri. Primo autem die regni Herodis, apud Antonium cœnatum eſt.

De bello Herodis è Rhoma redeuntis, pro Hieroſolyma & contra latrones. Caput XII.

EOdem uero tempore,Antigonus apud Maſſadam induſos obſidebat, alijs quidem uictui neceſſarijs abundantes, aquæ autem inopes. Vnde Ioſippus quoque frater Herodis cum ducentis familiaribus ſuis ad Arabas confugere cogitabat: audito,quod eorum quæ in Herodem commiſerat,Malachum pœniteret: caſtellúmq; reliquiſſet,niſi circa noctem,qua exiturus erat, plurimum imbrium contigiſſet effundi. Aqua enim repletis puteis, fugiendi cauſa non erat, adeo ut etiam ultro in Antigoni militem eruptiones auderent: multósque nunc aperto prælio, nunc inſidijs neci darent: non tamen illis omnia pro uoto cedebant,ſed ipſi quoque interdum cum aduerſo caſu reuertebantur.Interea dux Romani militis Ventidius,prohibitum miſſus Parthos, à Syria poſt illos in Iudæam uenit: uerbo quidem,ut Ioſippo & qui unà obſidebantur,ferret auxilium: re autem uera,ut pecunias auferret Antigono. Itaque cum non longe ab Hieroſolymis tetendiſſet, quæſtu expletus, ipſe quidem cum plurima exercitus parte diſceſſit.Silonem uero cum paucis,ne furtum deprehenderetur,ſi omnes abduxiſſet,reliquit.Antigonus autem,ſperans iterum Parthos ſibi adiumento fore,Silonem interim placabat: ut pendente ſpe,nihil inquietaret. Iam uero naui ex Italia in Ptolemaidem deuectus Herodes,non parua manu coacta externorum, atque gentilium per Galilæam,aduerſus Antigonum properabat, Ventidij & Silonis fultus auxilio: quibus Delius ab Antonio miſſus,ut Herodem in regnum deducerent,perſuaſit.Horũ autem Ventidius quibuſdam turbas in ciuitatibus, quæ propter Parthos euenerant, componebat. Silonem uero Antigonus in Iudæa mercede corruperat.Non tamen Herodes opis egebat: In dies enim ſingulos, quo magis iter promouebat, augebantur eius copiæ. Nam præter paucos, omnis ei Galilæa conſenſit: & propoſitũ habebat præmium neceſſarium Maſſadam,ut primum affectus ſuos obſidione liberaret, ſed impedimento fuit Ioppe.Hæc enim prius,quod hoſtilis eſſet,eximenda uidebatur: ne dum ipſe peteret Hieroſolymam,tutamen à tergo aliquod inimicis relinqueretur.Silo autem iungit agmina,inueniſſe gaudens reſiſtendi occaſionem, quod eum perſecutio premeret Iudæorum. Hos autem Herodes paruæ manus excuſſione perterritos,mature in fugam uertit: & Silonem male repugnantem,periculo eripit. Deinde capta Ioppe, ſuos liberaturus ad Maſſadam feſtinabat: dum indigenarum alios

An. lib.14. cap.23.

An.lib.14. cap.24.

amicitia paterna ſibi ſociaret, alios ipſius gloria, nonnullos utriſque beneficijs debita uiciſſitudo: plurimos tamen ſpes, ut à rege certiſſimo. Iámque ualidiſſimas quæſierat militum copias: ſed Antigonus iter eius impediebat, loca inſidijs opportuna præueniens, unde nullum aut minimum afferebat hoſtibus detrimentum. Herodes autem facile receptis ex Maſſada pignoribus ſuis & rebus, à caſtello in Hieroſolymam perrexit. Cui ſe tam Silonis milites, quàm cæteri ex ciuitate iunxerunt, uirium eius timore perculſi. Caſtris autem poſitis in occidua regione oppidi, cuſtodes eius partis, ipſum ſagittis & iaculis impetebant: ab alijs uero per cuneos excurrentibus, primæ frontis acies tentabantur. Herodes autem primo circa muros præconaria uoce declarari iuſſit, populi ſe bono, & ſaluti ciuitatis adueniſſe: pœnásq; ab nullo quamuis manifeſto inimico repetiturum, ſed diſcordiſſimis etiam offenſarum obliuionem daturum. Deinde cum allocutionibus contrarijs pars Antigoni obſtaret, quo minus aut præcones exaudire, aut uoluntatem mutare quiſpiam poſſet, quod reliquum erat, ſuis imperat murorum defenſores adulciſci: atque illi ſtatim ſagittis cunctos ex turribus in fugam uertunt. Ibiq; tunc Silonis detecta corruptio eſt. Multis enim militum ſubornatis, qui rebus egere ſe neceſſarijs acclamarent, pecuniamq; alimentis poſcerent, atque hyemandi gratia in loca opportuna dimitti. Nam ciuitati proxima deſerta erãt. Ita omnibus ab Antigono ante prouiſis, & incitabat exercitum, & ipſe recedere conabatur. Herodes autem non ſolum rectores, qui Siloni parerent, ſed etiam milites ubi eſſent plurimi conueniendo, rogabat, ne ſe deſtituerent, quem ſcirent à Cæſare & Antonio, & ſenatu deductum, in uno die pollicitus eos penuria ſoluere. Deinde hæc precatus, ipſe agros adit: tantámq; his exhibuit copiam commeatus, ut Silonis omnes accuſationes perimeret: ſimulq; proſpiciens, ne uel in poſterũ miniſtrare deſinerent, accolas Samariæ per epiſtolas ammonebat. Nam ciuitas eius ſe clientelæ dederat, ut alimenta & uinum, & oleum, & pecora in Hierichunta deferrent. Hoc ubi audiuit Antigonus, ſtatim qui frumentatu hoſtes prohiberent, atq; inſidijs opprimerent, per agros dimittit. Illiq; iuſſis obediunt, & magna iam manus armatorum ſuper Hierichunta fuerat congregata. Diſcreti autẽ montibus inſidebant, ſi qui exportarent uictui neceſſaria ſpeculantes. Non tamen Herodes ocioſus erat: ſed decem cohortibus comitatus, quinque Romanorum, & quinque Iudæorum, quibus permixti erant etiam mercede conducti trecenti, præterea paucis equitibus Hierichunta peruenit: & ciuitatem quidem uacuam habitatoribus reperit, quingentos uero cum mulieribus ac familijs, montium occupaſſe cacumina, & hos quidem captos dimiſit. Romani autem in reliquam ciuitatem irruunt, eamq; diripuere, cum plenas domos offendiſſent omnigenũm conditionum. Rex autem apud Hierichunta præſidio collocatu, reuerſus eſt: Romanumq; militem in his quæ ſibi cõceſſerant, ciuitatibus, hoc eſt, Idumæa, & Galilæa, & Samaria, hyematurum dimiſit. Antigonus quoq; Silonis corruptione meruit, ut exercitus partem Liddis ſuſciperet in Antigoni gratiam. Et Romani quidem armorum cura ſoluti, rebus omnibus abundabant. Herodes autem non quieſcebat, ſed Idumæam duobus milibus peditum, & quadringentis equitibus, miſſo etiam fratre ſuo Ioſippo, commonuit, ne quid noui cum Antigono fie-

Herodes Hieroſolymam obſidet.

Herodes cum Romanis Hierichũta uadit.

gono fieret. Ipſe autē, matre cum alijs, quos ex Maſſada liberauerat, affectibus ſuis in Samariam tranſlata, ibicꝫ tutiſſime collocata, ut cætera Galilææ ſubuerteret, atcꝫ Antigonum præſidio expelleret, proficiſcitur. Cúmcꝫ Sephorim, licet uehementiſſime ningeret, peruenisſet, facillime ciuitatē capit, cuſtodibus eius ante aggreſſionem fuga dilapſis: ibicꝫ ſuis militibus, quos hyems fatigauerat, recreatis (erat enim magna copia commeatus) aduerſus latrones in ſpeluncis agentes, direxit animum: qui pleraqꝫ illius regionis incurſantes, non minoribus quàm belli cladibus incolas afficiebant. Præmiſſis autem tribus peditum cohortibus, unáque ala equitum in uicum * Arbelam, ipſe diebus quadraginta poſt cum reliqua manu ſuperuenit. Nec tamē eius incurſum hoſtes extimuere, ſed armati obuiam procedebant, peritia bellatoris fiſi, & ferocitate latronis. Deniqꝫ prælio commiſſo, dextro ipſorum cornu, ſiniſtrum Herodis in fugam pellitur. Ille autem de ſuo dextro circungreſſus, uelociter ſubuenit: & ſuos quidem à fuga retrahit. Irruendo autem in hoſtes, impetum perſequentium refrenabat, donec à fronte pugnantes uiolentiæ conceſſerunt: qui tamen eos uſqꝫ ad Iordanem cædendo perſequebatur: & magna fugientium parte perempta, cæteri trans fluuium diſiecti ſunt: & Galilæa metu eſt purgata, niſi quod in ſpeluncis latitantes reliquerant, eorúmque cauſa diutius ibi remorandum fuit. Quamobrem primum laboris fructum militibus rependebat, centumquinquaginta nummorum drachmas ſingulis diuidendo: eorúmqꝫ rectoribus multiplicatam ſummam ad hyberna mittendo. Pheroræ autem fratri minimo ſcripſit, ut & foro uenalium conſuleret, muróque caſtellum Alexandrium cingeret: quæ ab illo curata ſunt. Itaque circum Athenas uerſabatur Antonius. Ventidius autem ad bellum contra Parthos, Silonem atque Herodem accerſit: mandato eis per epiſtolas, ut Iudææ ſtatum ante componerent. Sed Herodes, libenter ad Ventidium Silone dimiſſo, ipſe aduerſum latrones in ſpeluncis habitantes, mouet exercitum. Iſtæ autem ſpeluncæ in præruptis montibus erant, undicꝫ inacceſſæ, tranſuerſoſque tantum ac peranguſtos aſcenſus habebant: ſaxúmque ab earum fronte uſque ad fauces altiſſimas pertingebat, rectum uallibus imminens, ut aliquandiu quidem rex pro loci difficultate quid ageret, incertus eſſet. Poſtremo autem placuit, ut molimine uteretur ſatis incauto. Etenim ualentiſſimus quiſque demiſſis arculis exponebatur in oſtia ſpeluncarum. Hicꝫ cum familijs eos mactabant, ignémque repugnantibus inijciebant. Cúmcꝫ aliquos ex his conſeruare uellet Herodes, ut ad ſe accederent, uoce præconis edixit. Sed illorum neque uoluntarius ſe quiſquam ei tradidit. Sed & quos uis coëgerat, multi mortem captiuitati prætulerunt. Vbi etiam ſenior quidam, ſeptem filiorum pater, orantes cum matre pueros, ut egredi ſibi ad fœdera permitteret, occidit hoc modo: Iuſſit exire ſingulos, ipſe ad oſtium ſtabat, & prodeuntem quencꝫ filiorum trucidadat. Herodes autem è ſpecula hæc proſpiciens, & dolore conficiebatur: & ut filijs parceret, ſeni dexteram cum precibus porrigebat. Ille autem dictis eius nequaquam mitior factus, inſuper uelut humilis animi contempſit Herodem. Et poſt filios occidit uxorem: deiectiſcꝫ deſuper mortuis, poſtremo ſemetipſum præcipitem miſit. Speluncis igitur & qui in his erant ita ſubactis, Herodes relicta exercitus parte, quantum ne quis rebellare tentaret,

An. lib. 14. cap. 24.

Aliàs Arbilon

Victoria Herodis.

An. lib. 14. cap. 25.

ſatis eſſe arbitrabatur: eiq; parti Ptolemæo præpoſito, in Samariam rediit: armatorũ quidem tria milia, ſexcentos uero equites in Antigonũ ducens. Tuncq; propter eius abſceſſum nacti licentiam, quibus Galilæam turbare mos erat, Ptolemæum quidem militum rectorem aggreſſi, nec opinantem interficiunt. Agros autem uaſtabant, in paludes atq; in abditiſſima loca refugientes. Quibus cognitis Herodes mature ſuccurrit: & magnam quidem eorum multitudinem morte conſumit. Omnibus autem caſtellis obſidione liberatis, huius mutationis cauſa multam exegit à ciuitatibus pecuniam, centum talenta. Iam uero Parthis expulſis, occiſo etiam Pacoro, Ventidius Antonij literis monitus, equitum mille auxilia duarúmq; cohortum, aduerſus Antigonum mittit Herodi. Eorum autem ducem Machæram, ut ſe adiutum ueniret, per epiſtolas mandauit Antigonus, & de iniuria Herodis multa conqueſtus, & pecuniam dare pollicitus. Sed Ventidius (nec enim ad quod miſſus fuerat, negligendum putabat) cum præſertim plura daret Herodes, in proditione quidem ei non paruit, ſimulata uero amicitia res Antigoni exploratum perrexit, non admiſſo Herodis cõſilio, diſſuadentis id fieri. Antigonus autem, quia præſenſit quid cogitaret, ciuitatẽ ei clauſit, & tanquam hoſtem ulciſcebatur ex mœnibus, donec Machæram incepti puduit, & in Amathuntem ad Herodem receſſit. Iratus autem quod res aliter ceſſerat, quoſcunque Iudæos offendiſſet interficiebat, ut nec uel Herodianis parceret: ſed ut Antigonianis, omnibus abutebatur. Hæc cum ægre ferret Herodes, in Machæram quidem uindicare uoluit, tanquam in hoſtem, iracundiam uero repreſſit, & ad Antonium properabat, apud eum accuſaturus Machæræ iniquitatem. Ille autem delicta ſua reputans, uelociter regem conſequitur: utq; in gratiam ſecum redeat, multis precibus efficit. Neq; tamen Herodes à propoſito ſuo reuocatus eſt quo minus ad Antonium pergeret. Sed cum audiſſet eum magnis uiribus oppugnare Samoſatam, iuxta Euphratem ualidiſſimam ciuitatem, acrius feſtinabat. Opportunum hoc tempus eſſe perſpiciens demonſtrandæ uirtutis, & ut magis magisq; placeret Antonio. Deniq; mox ut ad eum uenit, finem attulit obſidioni, multis Barbaris interfectis. Magnáque prædæ parte ſibi deſtinata, ut Antonius quidem, quanquam eius uirtutem antea mirabatur, tamen etiam tunc magis eandem opinionem haberet, multúmque ad honores eius ſpémque regni adderet, Antiochus uero tradere Samoſatam cogeretur.

Machæra in ſolutia.

De Morte Ioſippi, & obſidione Hieroſolymæ per Herodem, & Antigono occiſo. Caput XIII.

An. lib. 14. cap. 25.

DVm hæc agerentur, res Herodis in Iudæa fractæ ſunt. Reliquerat enim Ioſippũ fratrem ſuũ, qui omnia procuraret, cum mandatis huiuſmodi, ut neque ante reuerſionem ſuam aduerſus Antigonum commoueretur, quia non firmum eſſet auxilium Machæræ, quantum delictis ſuperioribus probaretur. Verum Ioſippus, ubi fratrem procul abeſſe cognouit, immemor præceptorũ, Hierichunta cum quinq; cohortibus à Machæra ſecum miſſis petit, ut maturo meſſium tempore frumenta diripiat. Incurſu autem hoſtium per montana atq; aſpera loca oppreſſus, & ipſe cadit, magnam uiri fortis in ea pugna gloriam conſecutus.

cutus,& omnes Romani milites pereunt. Recens autem lectæ de Syria cohortes erant,nec ueterum militum quenquam permixtum habebant, qui belli posset ex operibus opitulari.Antigonus autem uictoria minime cõtentus fuit, sed eò processit iracundiæ,ut mortuum quoq; Iosippum uerberaret.Denicq; nactus corpora mortuorum, etiam caput eius abscidit, quamuis quinquaginta talenta Pheroras frater precium redemptionis offerret. Tanta uero nouitas, post Antigoni uictoriam, Galilææ res occupauit, ut qui partibus eius magis fauerent, productos optimates, Herodis studiosos, lacu submergerent: multáque in Idumæa quoque mutarentur, ubi Machæra castelli cuiusdam instaurabat mœnia, cuius nomen est * Tongitha. Nec horum quicquam Herodes audierat. Captis enim Samosatis,Antonius,& præposito Syriæ Sosio iusso ut Herodem quoq; aduersus Antigonũ adiuuaret,discessit in Aegyptũ.Sosius autem duabus cohortibus in Iudæam præmissis,quarũ Herodes uteretur auxilio, ipse cũ cætera manu militum sequebatur.Herodi autem propè degenti apud Daphnen Antiochiæ,mortem fratris somnia manifesta significant.Cúmque turbatus prosiluisset è stratis, ecce nuncij cladis intrabant: quare præ dolore paululum questus, maxima parte luctus dilata,in hostes properabat,ultra uires iter accelerans.Et ubi ad Libanum uenit,octingentos montis accolas assumit auxilio, unámque his iungit Romanorũ cohortem.Cum quibus,non expectata luce,Galilæam ingressus est,hostésque obuios in eum quem reliquerant locum aduertit: & assidue quidem castellum oppugnare tentabat.Sed prius quàm id caperet,asperrima hyeme coactus, in uicum proximum recepit exercitum. Paucis autem diebus post, auctus etiam alterius cohortis præsidio, quam Antonius miserat, tanto hostibus terrori fuit, ut castellum nocte desererent.Iámq; per Hierichunta properans ibat,ut quamprimum interfectores fratris sui posset ulcisci,ubi etiam mirabilis ei monstricq; similis casus euenit. Vnde præter spem liberatus, opinionem quod deo charus esset adeptus est.Nam cum multi honorati uespera illa cœnauissent, postquam dimisso conuiuio omnes egressi sunt,confestim cœnaculum cõcidit.Id autem commune sibi tam periculorum quàm salutis indicium,quantum ad futurum bellum pertineret,esse coniiciens: mane primo castra commouet,hostiúmq; * sex circiter milia de montibus decurrentes,prima tentabant agmina, & manum quidem cũ Romanis conserere non satis fidebant.Lapidibus autem ac telis eos, dummodo plurimos sauciarent,eminus appetebant. Vbi Herodes quoq; ipse præteriens,latus iaculo uulneratur.Antigonus autem se nõ solum audacia suorum, sed etiam multitudine superiorem uideri cupiens, Pappum quendam ex contubernalibus suis cum manu militum in Samariam mittit,quibus quidem Machæra erat palma uictoriæ.Herodes uero terram peruagatus hostilem,quinq; municipia capit, duóq; habitatorum milia cõsumit.Exustisq; domibus,ad exercitũ redit,circa uicum,qui appellatur Camacomæ tendentẽ.In dies autem singulos magna ei multitudo Iudæorũ,uel ex ipsa Hierichunte,uel ex aliis regionibus accedebat: cũ hos odiũ moueret Antigoni,alios ipsius Herodis præclara facinora. Enimuero multos ratione carentes,mutationis cupiditas impellebat.Hoc autem congredi festinante,Pappi milites neq; multitudine hostium,neq; impetu perterriti,acriter ad

Aliàs Guta.

De casu cœnaculi.

Aliàs tria.

Pappus dux Antigoni.

pugnam ex altera parte procedunt. Sed ubi agmina conflixerunt, cæteri quidem
Victoria Herodis. pauliſper reſtiterunt. Herodes autem fraternæ cædis recordatione periculoſius dimicans, dummodo eius ulciſceretur autores, aduerſam aciem facillime ſuperat. Deinde ſemper integros aggrediendo, uniuerſos in fugam uertit. Erat enim plurima occumbentium ſtrages, cum alij quidem in uicum unde uenerant compellerentur, nouiſſimus autem ipſe inſtaret, atq; infinitos occideret. Poſtremo ruens inter fugientes hoſtes, in ciuitatem incidit: cum omnes quidem armatorū domus eſſent refertæ, plenáq; propugnatorum deſuper tecta: & quoniam foris deprehenſos facillime ſuperabat, diſturbando ædes intus abditos extrahebat, alios cōuulſis obrutos faſtigijs, multos ſimul necabat. Si quis autem ſubterfugiſſet ruinam, eum gladijs armati milites excipiebant. Tantáq; cadauerum per omnes uias multitudo congregata eſt, ut etiam uictoribus ipſis tranſitus obſtrueretur. Hanc plagam hoſtes adeo non tulerunt, ut confluentium turba, conſpectis qui in uico periſſent, fuga diſcederent. Statimq; ſucceſſu fretus Herodes, ad Hieroſolymam perrexiſſet, niſi eum hyemis aſperitas prohibuiſſet. Hæc enim perficiendæ uictoriæ fuit impedimentum. Et ne penitus opprimeretur, Antigonus obſti-
Bona fortuna Herodis. tit, qui ciuitatem iam deſerere cogitabat. Herodes autē ad ueſperam, cum laſſos amicos reficiendi corporis gratia dimiſiſſet, ipſe adhuc ab armis calidus, more militis lauatum ibat. Siquidem unus tantum puer eum ſequebatur. Et priuſquam in balneum perueniret, obuius ei quidam ex hoſtibus gladio armatus excurrit, deinde alter & tertius & plures. Et hi confugerant armati ex acie in balneum, ſed perculſi etiam tum metu ac latitantes, ut regem uiderunt, illum quidem ſtupore debilitati ac trementes, cum inermis eſſet prætereunt. Exitus uero qua fugerent curſu petebant. Itaq; cum alius caſu, qui eos cōprehenderet, nullus adeſſet, Hero-
Pappus occiditur. di autem nihil pati ſatis fuiſſet, omnes effugiunt. Poſtero autem die Pappū quidem, Antigoni militū ducem, abſciſſo capite obtruncat. Idq; Pheroræ magiſtro exercitus fratri ſuo mittit in perempti fratris ultionem. Nanq; Pappus erat qui Ioſippum interfecerat. Vbi autem rigor hyemis ceſſit, in Hieroſolymam regreſſus eſt: muriſq; admoto milite (annus autem tertius agebatur, ex quo Romæ rex fuerat declaratus) pro templo caſtra poſuit, quà facilior erat expugnatio, & antea Pompeius ceperat ciuitatem. Exercitu autem in opera diſtributo, ſuburba niſq; diuiſis, tres quidem leuare aggeres, & ſuper eos turres ædificare iubet. Relictis autem, qui operibus inſtarent, efficaciſſimis amicorum: ipſe in Samariam uadit, uxorem accepturus, Alexandri filij Ariſtobuli filiam, ſibi deſponſatam, ut diximus: & domum obſidet, ſubciſiua opera nuptias curaturus: quippe iam hoſtes
An. lib. 14. cap. 12. deſpiciebat. Igitur ubi eam duxit, ad Hieroſolymam redit, auctus militum copijs: eiq; Soſius cum magna manu equitū peditúmq; ſociatur: qua mediterraneo itinere præmiſſa, per Phœnicen ipſe remeauit. Vniuerſo autem exercitu congregato, ad peditum legiones undecim, equitúmque ſex milia, præter auxilia Syrorum, non pro minima parte ducenda, propè à ſeptentrionali muro caſtra collocarunt: Herodes quidem ſenatuſconſulto fretus, quibus rex fuerat declaratus: Soſius uero Antonio, à quo milites quibus præerat aſciret miſſos Herodis auxilio. Iudæorum autem intra ciuitatem agentium populus uarie turbatus erat.

tus erat. Nam circa templum infirmior multitudo conueniens, furore age-batur, multáque ueluti diuinitus de temporibus dictitabat: & qui audacio-res essent, in collegio conglobati, multis modis latrocinabantur: maxime & locis oppido proximis uictui necessaria diripientes, neque aut equis aut uiris alimen-ta relinquebant. Bellatorum autem constantiores, obsidentibus oppositi, è mu-ris opus aggerum prohibebant, & contra instrumenta oppugnantium, semper nouum aliquod obstaculum moliebantur. In nulla autem re, sicut in cuniculis, superabant. Rex autem aduersus latrocinia quidem occultas excogitauit mili-tum insidias, quibus eorum reprimerentur excursus: inopiam uero alimento-rum longinquis transuectionibus adiuuari disposuit: ac pugnæ intenti, quam-uis omnem modum audaciæ supergrederentur, Romanorum tamen peritia uin cebantur. Niholominus aperte cum his, certa morte proposita, confligebant. Ex improuiso autē Romanis per cuniculos intermedios emergentibus, prius quàm muri aliqua pars diueretur, alteram eius uicem muniebant. Prorsus autem ne-que manibus neque machinis deficiebant, quoniam usque ad ultimum repugna re decreuerant. Denique tanto exercitu circunsidente, per quinque menses obsi-dium tolerauerunt: donec quidam ex his, quos lectos habebat Herodes, ausi murum transgredi, ciuitatem irrupere, & post eos Sosij centuriones. Igitur an-te omnia fano proxima capiebantur: & infuso exercitu plurima ubique mors erat: Romanis quidem propter obsidionis moras iratis: Herodi uero, manu Iudaica summo intenta studio, ne quis penitus ex aduersarijs resideret. Macta-bantur autem quàm plurimi: & per angustiores uicos oppidi, & in domos com-pulsi, etsi ad templum etiam confugissent: nec ulla erat aut senectutis aut mulie-bris infirmitatis miseratio. Denique licet rex ubique mittens rogaret ut parce-rent, nemo tamen dexteram continuit: sed ueluti furentes, omnem persequeban-tur ætatem. Ibi tunc etiam Antigonus, neque priorem neque præsentem fortu-nam cogitans, domo descendit, & ad pedes Sosij prosternitur. Ille autem nihil eum tantæ mutationis causa miseratus, & intemperanter derisit, & Antigonam appellauit: neque tamen etiam custodia liberum dimisit ut fœminam. Itaque il-le quidem uinctus asseruabatur. Herodes autem quoniam hostes uicissent, ut ex-terna quoque auxilia sub iugum mitteret, prouidebat. Visendi enim templi, san-ctorúmque eius studio, omnis multitudo peregrina fuerat incitata. Ob eámque rem, hos minis, alios precibus, nonnullos armis etiam refrenabat: acerbiorem, quàm si uictus fuisset, existimans sibi fore uictoriam, si quod uideri nefas esset, culpa sua uisum fuisset. Mox autē etiam rapinas in ciuitate prohibuit, multa inue ctus in Sosium, si uacuefacto uiris & pecunijs oppido, Romani regem se solitudi nis reliquissent: qui pro tanta ciuium cæde, totius orbis terræ imperiū, uile pretiū iudicaret. Illo autem iustum esse dicente, ut pro labore obsidionis præclaram li-centiam milites haberent: ipse de suis facultatibus mercedem singulis distributu rum esse firmauit. Atq; ita redemptis patriæ reliquijs, promissa compleuit. Nam & militum quenque liberaliter, & pro merito duces, ipsumque Sosium regia largitate donauit, ut nemo egens pecunijs abiret. Post hæc Sosius aurea co-rona deo dedicata, ex Hierosolymis remeauit, Antonio uinctum Antigonum

ducens,

ducens. Et illum quidem uana spe uitæ cupidum usq; ad ultimum diem, ignauia
An. lib. 15. cap. 1. digna securis excepit. Rex autem Herodes discreta multitudine ciuitatis, suarum quidem partium studiosos, quo magis beneuolos sibi faceret, honorifice tractabat: Antigonianos autem neci tradebat. Et cum pecunia defecisset, diuiso quicquid ornamentorum haberet. Antonio eiusque comitibus misit. Non tamen omnino ne quid pateretur ademit. Iam enim Antonius Cleopatræ amore corruptus, in omni re cupidini cesserat. Etenim Cleopatra, ubi tantam cognationem
Amor Antonij & Cleopatræ. suam sæuitia persecuta est, ut neq; propinquus sanguine superesset, cædis rabiem contulit in extraneos: Syrorúmque optimates apud Antonium criminando suadebat eos interfici, ut eo modo cuiusq; possessiones dominio suo facilius quæreret. Postea uero quàm in Iudæos atq; Arabas usque extendit auaritiam, ut reges eorum Herodes & Malachus interirent, occulte moliebatur. Denicq; cum uel in parte præceptorum resipuisset Antonius, occidere quidem bonos uiros tantós que reges iniustum esse dixit: quod autem his morte propius erat, inter amicos ultra non habuit: sed multa terra ex eorum præcisa finibus, & quod erat in Hierichunte palmetum in quo Balsamũ gignitur: ciuitates, præter Tyrum, & Sidonem, cunctas intra flumen Eleutherum ipsi dedit. Quorum potita dominio, ad Euphratem usque Parthis bellum inferentem prosecuta Antonium, per Apamiam & Damascum in Iudæam uenit. Atque hic Herodes, licet magnis muneribus infensum eius animum mitigasset: tamen ducentis talentis annuis, abscissas regno suo possessiones, impetrat sibi locari. Ipsamque omnibus obsequijs parans, in Peluſium usque ducit. Nec multum interea tempus & Antonius ex Parthis aderat, captiuúmque Artabazin Tigranis filium dono Cleopatræ ducebat. Nam cum pecunijs omnicq; præda, Parthus illi statim condonatus est.

De insidijs Cleopatræ, & Herodis prelio contra Arabes & terræmotu. Caput XIIII.

An. lib. 15. cap. 5. COncitato autem bello Acciaco, Herodes quidem cum Antonio proficisci paratus erat. Et alijs per Iudæam turbis liberatus, & Hyrcanio potitus, quẽ uicum Antigoni soror tenebat. Veruntamen à Cleopatra callide, ne periculorum Antigoni particeps fieret, interclusus est. Regibus enim, ut diximus, insidias tendens, bellum in Arabas ut Herodi committeret, persuadet Antonio. Quos si uicisset, Arabiæ: sin autem uictus esset, Iudææ domina constitueretur: alterúmque potentium per alterum pessundaret. Sed hæc eius uoluntas ad Herodis cessit arbitrium. Nam primum pignoribus hostium captis, magnum quem conflauerat
Alijs Dion. equitatũ, circa* Dioſpolim in eos mittit, & quamuis fortiter resistentes, superauit. Cum autẽ iam uicti essent, maiore motu Arabes suscitantur: & infinita manus in
Alijs Chanã. uicũ Syriæ* Codescanathan congregati, expectabant Iudæos. Vbi rex eos Herodes cum exercitu aggressus, bellũ cõsultius administrare tentabat, castrácq; muro
An. lib. 15. cap. 16. cingi præcipiebat. Non tamen ei paruit multitudo, sed priore uictoria freti Arabas impetunt. Et prima coitione in fugam uersos urgebant: in persecutione uero
Alijs Calon. insidijs periclitatur Herodes, uici* Canathon indigenis ab Athenione dimissis, qui ex Cleopatræ ducibus semper ei fuerat inimicus. Nanque horum incursu recreati Arabes, pugnam repetunt: iunctisque agminibus circa saxosa loca & deuia.

dentia,Herodis militem fugant,plurimis cæde proſtratis.Qui uero ex prælio ſeruati ſunt,in uicum Ormizam confugiunt. Vbi etiam caſtra eorum cum hominibus circungreſſi Arabes,ſicut erant plena ceperunt. Neq; multo poſt accepta clade,Herodes aderat cũ auxilijs,ſerius quàm uſus popoſcit. Huius ei uulneris cauſa fuit,præpoſitorum militibus contumacia,quod iuſſis obedire noluerũt. Non enim repentino commiſſo prælio nullum Athenio inſidiandi tempus habuiſſet. Rurſus tamen ultus eſt Arabas, aſſiduis fines eorum incurſionibus inquietans, quodq; ſemel uictus eſt,ſæpe reuocauit. Sed dum inimicos perſequitur, incurrit ei diuinitus alia calamitas,ſeptimo regni anno & Acciaco bello feruente. Nanq; ueris initio terra mota, infinita quidem pecorum, triginta uero hominum milia peremit, cum exercitus manſiſſet incolumis, quoniam ſub diuo tendebat: ibiq; tamẽ Arabas in maiorem audaciam fama ſuſtulit, triſtibus nuncijs grauius ſem per aliquid affingens. Vnde uelut omni ſubuerſa Iudæa, terræ obtinendæ ſpe, quia neminem ſupereſſe credebant, in eam irruunt, legatis prius interfectis, qui ad ſe uenerant à Iudæis. Herodes autem aduentu hoſtium perterritam ſuorum multitudinem,tam magnitudine quàm aſſiduitate calamitatum fractam, ad repugnandum incitare tentabat, hæc dicens: Rationem habere non uidetur, cur uos præſens formido perculerit. Nam diuinæ quidem indignationis plagas mœrori uobis eſſe non miror. Ignauum eſt autem perpeti idem etiam, cum incurſus hominum repellendi ſunt. Ego enim tantum abeſt ut hoſtes poſt terræmotum pertimeſcam, quod magis non putauerim dominum hanc illis illecebram dimiſiſſe,ut pœnas redderent. Non enim tantum manu armisq; freti, quantum noſtris calamitatibus,ueniunt. Fallax autem ſpes eſt, quæ non ſuis uiribus nititur, ſed alienis aduerſis. Neque uero uel ſecundæ res uel contrariæ,apud homines certæ [illegible] ſed in utranque partem uideas fortunam nutare uiciſſim: & exempla uobis propria demonſtrabunt. Nempe prælio ſuperiore uictores, poſt ab hoſtibus uicti ſumus: & nunc ergo,quantum æſtimare licet, illi capientur, uictores ſe fore credentes. Nimis enim confidens incautus eſt: metus autem prouidentiam docet. Itaq; mihi quidem,hoc ipſum quod timetis,fiduciam ſuggerit. Nam cum ferociores quàm opus erat fuiſtis, & præter uoluntatem meam in hoſtes egreſſi eſtis,Athenion inſidiandi tempus inuenit. Nunc autem ueſtra cunctatio, & minus alacer animus,ut uidetur,certam mihi uictoriam ſpondet. Conuenit tamen ante prælium ſic eſſe affectos,in ipſo autem opere uirtutem erigere:conſceleratisq; hoſtibus planum facere,quod neq; humanum aliquod malum,neq; ira cœleſtis unquam deprimit fortitudinem Iudæorum,donec ſpiritum uitæ ducunt, uel eorum quiſquam in bonis ſuis Arabas dominari patietur, quos aliquoties penè captiuos abduxit. Nihil autem uos terreat rerum anima carentium metus: neq; arbitremini,terræ concuſſionem,alicuius futuræ cladis eſſe portentum. Naturalia nanq; ſunt elementorum quoq; uitia: nullúmq; damnum inferunt, niſi quod ex ipſis euenerit. Nam peſtilentiam quidem, uel famis uel terræmotus ſignum aliquod, tardius fortaſſe præceſſerit. Ipſa uero cum extiterint, ſui magnitudine finiuntur. Cæterum quid nobis amplius,quàm terræ concuſſio,bellum nocere poterit etiam uictis? imò enimuero maximum imminentis excidij monſtrum, non ſpon-

non ſponte ſua,neq; alienis manibus inimicis accidit, qui legatos noſtros præter omnium hominum leges crudeliter immolauerunt, talésq; deo pro belli euentu hoſtias ceciderunt. Non enim effugient maximum eius lumen inuictámque dexteram,ſed continuo pœnas dabunt: ſi patrio repleti ſpiritu,in uindictam uiolati fœderis animos excitemus. Pergite quiſq; nõ pro coniugibus, neq; pro liberis, aut pro patriæ periculis pugnaturi: ſed legatorum cædis ultores. Illi melius quàm nos qui uiuimus exercitum regent: uobiſq; mihi obedientibus, periclitabor ipſe pro cæteris. Pro certo enim ſciatis,fortitudinem ueſtram ſuſtineri nõ poſſe,niſi temeritate lædatur. His adhortatus milites,ubi eos alacres uidit, ſacra deo celebrauit: deinde cum exercitu Iordanem fluuium tranſgreſſus eſt. Caſtris autem Philadelphiæ poſitis,haud procul ab hoſtibus,quaſi de interiacente caſtello contenderet,pugnam eminus iritabat,quamprimum cupiens congredi. Nam & hoſtes premiſerant,qui caſtellum occuparent. Sed illos quidem regij facile repulerunt,collémq; tenuerunt. Ipſe uero quotidie producto ad prælium milite, inſtructáq; acie,Arabas laceſſebat. Cum autem nemo contrà procederet(quædam enim eos uehemens formido tenebat, & ante multitudinem dux Althenius timore obriguerat)uallum eorum diſturbat ipſe aggreſſus, eóq; modo coacti ad pugnam confuſis ordinibus, mixtiq; cum equitibus pedites egrediuntur: etſi multitudine ſuperiores, Iudæis tamen alacritate impares, quamuis audaciores eos faceret uictoriæ deſperatio. Et quamdiu quidem reſtiterunt,non magna eorum cædes facta eſt: ubi uero terga nudauerunt,multi à Iudæis,multi uero à ſemetipſis conculcati perierunt. Denicq; milia quinq; in fuga ceciderunt, cæteráque multitudo in uallum compulſa eſt,eósque ſtatim circumſeptos obſidebat Herodes. Et licet armis propè adeſſet excidium,tamen aquæ penuria uehementer urgebat. Cum rex arrogantius eorum legatos deſpiceret,& talenta quinquaginta pro redẽptione offerentibus,magis inſtaret: denicq; ardeſcente ſiti,cateruatim exeuntes,ultro ſe Iudæis tradebant,adeo ut quinque diebus quatuor milia uincirentur, ſexto reliqua multitudo ad pugnam deſperata ſalute procederet. Quibus cõgreſſus Herodes, iterum ſeptem milia circunſternit: tam magna plaga ultus Arabiam,extincto uirorum eius ſpiritu, tantum profecit, ut eius patronus ab ea gente optaretur.

Congreditur Herodes contra hoſtes.

Magna ſtrages Arabum.

Herodes exaltatus in regnum. Caput XV.

An.lib.15. cap.7.

MOx autem illum excepit deſueta rerum ſolicitudo propter amicitiam Antonij,poſt uictoriam Cæſaris apud Accium. Veruntamen plus timoris habebat,quàm ipſe patiebatur. Nec enim Cæſar uictum iudicabat Antonium,donec Herodes cum eo ſupereſſet. Itaq; rex periculis decreuit occurrere: Rhodúmque tranſmiſſus,ubi Cæſar eo tempore morabatur,adijt eum ſine diademate,ueſte quidem cultúq; priuato, ſed faſtu regio: neq; diſſimulata ueritate coràm eo hæc dixit: Ego,quidem Cæſar,rex factus ab Antonio,fateor utilem me fuiſſe regem Antonio. Neq; dubitauerim dicere, quod omnimodo armis quoq; me gratum expertus eſſes,niſi Arabes prohibuiſſent. Veruntamẽ & auxilia ei pro nitibus meis miſi,& multa frumenti milia: ſed nec accepta apud Accium plaga, bene de me meritum deſerui. Nam cum auxilij minus commodarem,optimum ei conſilium

Oratio Herodis ad Cæſarẽ

ſilium dedi, unam eſſe dicens Cleopatræ mortem aduerſorum correptionem. Quam ſi occidiſſet, & pecunias ei, & muros ad ruitionem, & exercitum, & memet ipſum belli cõtra te ſocium pollicebar: Sed profecto eius autes Cleopatræ amores, & deus, qui tibi uictoriam donaret, obſtruxit. Vnà ergo cũ Antonio uictus ſum, & regiam coronam cum eius fortuna depoſui. Ad te autem ueni, ſpem ſalutis de uirtute præſumens: & ne in examen adduceretur properans, qualis amicus alicuius fuerim. Ad hæc Cæſar: Imò uero ſaluus eſto, inquit, & nunc regnato certius. Nam meritus es qui plurimos regas, cum amicitiam tanta fide tuearis. Experire autem, ut etiã felicioribus fidus permaneas: ſiquidẽ ego præclariſſimam ſpem de tua magnanimitate mihi promitto. Recte tamen fecit Antonius, qui magis Cleopatræ quàm tibi paruit. Te nanq; lucrati ſumus propter eius amentiam. Prior autem ab officijs cœpiſti, quantum apparet, quem ad eorum gladiatores idonea auxilia miſiſſe perſcribit. Quare interim tibi decreto firmitatẽ regni præbeo. Experiar autem ipſe quoq; bene tibi aliquid facere, ut non quæras Antonium. Huius ſermonis humanitate, regem ne quid de amicitia ſua dubitaret, hortatus, & diadema illi impoſuit, & indulgentiam decreto conſignat: in quo multa magnifice in eius laudem allocutus eſt. Ille autem prius eum muneribus delinitum rogabat, ut Alexandrum quendam ſupplicem, ex amicis Antonij, iuberet abſolui. Sed uicit iracundia Cæſaris, multa illum & grauia pro quo rogabatur admiſiſſe dicentis, quibus repulit deprecantem. Poſtea uero ad Aegyptum euntem per Syriam Cæſarem, Herodes cunctis accepit regni diuitijs, tũmque primum cũ eo militem inſpiciente, circa Ptolemaidem equo uectus eſt, cœnámque illi cũ omnibus amicis exhibuit, atq; inſuper exercitui eius epulis cuncta diſtribuit. Proſpexit etiam ut per arida loca proficiſcentibus ad Peluſium, atque inde redeuntibus, aquarum copia non deeſſet. Nec fuit quicquam utenſilium, quod deſideraret exercitus. Pro his denique meritis paruum eſſe Herodi regnum, tam Cæſar q; milites exiſtimabant. Ideóque poſtquam uenit in Aegyptum, iam Cleopatra & Antonio mortuis, non ſolum cæteros eius honores auxit, uerum etiam regno partem finium addidit, quam Cleopatra dempſerat. Et præterea Gadara, Hippon, Samariam: maritimarumq́ue inſuper ciuitatum Gazam, & Anthedonem, & Ioppem, & Pyrgon Stratonis: & ad hæc ſatellites quadringentos Galatas ei donauit, quos antea Cleopatra ſtipatores habebat. Nulla res autem magis liberalitatem Cæſaris incitabat, quàm magnus animus accipientis. Poſt primã ucro Actiadem etiam regionẽ quæ Thracon uocatur, eius ditioni ſubdidit, eiq; continentem Bathaneam, itemq́ue Auranitem. Ex huiuſmodi cauſa Zenodorus qui domus Lyſaniæ conductor erat, nõ ceſſauit unquã ex regione quæ Thracon dicitur, latrones Damaſcenis immittere. Illi autem ad Varronem tunc rectorem Syriæ confugerunt, eumq; deprecati ſunt, quo ſuas miſerias Cæſari declararet. Cæſar autem his cognitis ei reſcripſerat, ut latrocinium penitus curaret extinguere. Varro autem milite aggreſſus loca ſuſpecta, expurgauit latronibus terrã, ipſamq; Zenodoro abſtulit: quam Cæſar, ne latronum denuo cõtra Damaſcũ receptaculum fieret, Herodi dedit, eumq; præterea totius Syriæ procuratorẽ conſtituit. Et decimo anno reuerſus iterum in prouinciam, ne quid eo incõſulto pro-

Reſponſio Cæſaris.

Herodi Cæſar diadema impoſuit.

An. lib. 15. ca. 9.

De Zenodoro.

curatoribus liceret amministrare præcepit: ac Zenodoro mortuo, terram omnem quæ inter Trachonem & Galilæam erat, eidem attribuit. Quod autem maius his omnibus existimabat Herodes, à Cæsare quidem post Agrippā amabatur, ab Agrippa uero post Cæsarem. Hinc ad summum felicitatis euectus, & ad maiorem subleuatus animum, maximam prouidentiæ partem obsequio pietatis impendit.

De urbibus & ædificijs instauratis & conditis ab Herode: Deq; munificētia, qua usus est erga exteras gentes: eiusq; felicitate. Caput XVI.

An. lib. 15. capitibus. 10. 12. 13. 14.

ITaque anno regni sui quintodecimo, & templum instaurauit, & duplum terræ spatium quàm fuerat circa templū, muro amplexus est, ingenti sumptu & magnificentia singulari. Augmento erant in ambitu fani magnæ porticus, eiq; iunctum à septentrione castellum: Et illas quidem à fundamentis erexit. Hoc autem nulla re minus, q̄ regni sedes largis opibus renouatum, Antoniā uocauit, in honorem Antonij. Quin etiā domo sibi regia in superiori parte ciuitatis extructa, duas ædes in ea maximas atq; pulcherrimas, quibus ne templum quidem usquā conferri posset, ædificauit: easq; amicorum uocabulis unam Cæsareā, Agrippiū alteram nominauit. Nec uero solis tectis memoriam eorū & cognomina circumscripsit, sed in totas etiam ciuitates studium liberalitatis extendit. Nam in Samaritica regione, oppidum muro pulcherrimo per uiginti stadia circundatum, Sebasten appellauit, deductus eò sex milibus colonorū, terrāq; fœcundissima his attributa: Vbi templum quoq; maximum inter ædificia collocauit, & circum id aream triū semis stadiorum Cæsari dedicauit, eiusdēq; oppidi habitatoribus præcipua legum beneficia præstitit. Insuper his alterius terræ adiectione donatus, à Cæsare, aliud ei templum circa Iordanis fontem candido marmore posuit, qui locus appellatur * Pannium. Vbi montis quidam uertex in præcelsum æditus, propter subiecti lateris uallem specus aperit umbrosum: qua profundæ altitudinis rupes, ad immensum liquentis guttæ receptaculū concauatur, ut stagnantis aquæ copia demittentibus aliquid, donec terram inueniant, lōgitudo nulla sufficiat. Foris aūt de speluncæ radicibus oriuntur fontes: & (ut quidam putant) hoc est Iordanis principium. Sed ueri fidem in posterioribus indicabimus. Quin & apud Hiericūta, inter castellum Cyprum & priores domos regias, meliores alias, & quæ commodiorem usum præberent aduenientibus fabricatas, eorundem amicorum nominibus uocitauit. Prorsus non est idoneus regni locus, quē honore Cæsaris nō dum reliquerit. Postea uero quàm fines suos templis repleuit, in prouinciā quoque *honores eius effudit, & in multis ciuitatibus templa quæ Cæsaria uocantur, constituit. Cum aūt inter maritimas ciuitates uidisset unam uetustate iā feſſam, quæ Stratonos pyrgos uocabatur, & pro loci natura munificentiæ suæ capacem, totam eam candido saxo reparatam, clarissima regia decorauit, & in ea maxime innatam sibi animi magnitudinem demonstrauit. Nam inter Doram & Ioppen, quarum media ciuitas sita est, omnis ora maritima adeo fuit importuosa, ut omnes qui ad Aegyptum ex Phœnice nauigarent, in salo fluctuare cogerentur, minas Affrici metuentes: Cuius etiam mediocris aura, tantas undarū moles ad

De Sebaste, condita.

Al. Panneas.

Al. nomen.

les ad ſcopulos erigit, ut remeante æſtu gurgitis, per aliquãtum ſpatium maris feritas augeatur. Sed rex liberalitate ac ſumptibus deuicta natura, Pyrrhæo maiorem portum fabricauit, & in eius penetralibus alias nauibus ſtationes fecit altiſſimas. Et quanquam omnis ei locus aduerſabatur, tamen ita cum difficultate certauit, ut firmitas quidem ſtructuræ nequaquam mari cederet: pulchritudo uero tanta eſſet, quaſi nulla res ardua præpediſſet ornatum. Metitus enim, quãtum diximus, portui ſpatium per uiginti ulnas in profundum ſaxa demiſit, quorũ pleraq; pedum quinquaginta lõgitudinis, & altitudinis nouem, & latitudinis decẽ, nonnulla uero etiam maiora fuerunt. Expleto autem ſpatio quod undam celabat, in *ducentos pedes murum dilatauit. Ex quibus centum repellendis erant fluctibus ante conſtructi, unde etiam procymia dicebantur: cæteri autem ſaxeo portus quo cingitur muro ſubiecti ſunt, magnis turribus interpoſitis, quarum maxima atque pulcherrima ex parente Cæſaris Druſium cognominata eſt: Crebri autem fornices ad deducenda quæ portus haberet: próq; fornicibus, & circum eos, pila ſaxea, & lata, quæ naues egredientes exciperet, deambulatio. Aditus autem ſeptentrionalis erat. Ventorum enim pro ſitu loci placidiſſimus eſt boreas. Ad oſtium uero, ſtatuæ ſiue coloſſi tres, utrinque fulti columnis: quarũ à leua quidem intrantibus, ſtantes ſolidas turris ſuſtinet: Dextra uero duo proceri lapides iuncti, & partis aduerſæ turris magnitudinem ſuperantes. Domus autem portui connexæ, candido itidem lapide, pariq́ue menſura ſpatiorum, ciuitatis uice tendentes in portum. Contra oſtium uero portus, in colle, Cæſaris templum magnitudine ſimul & pulchritudine præcipuum: ſtatuaq; in eo Cæſaris ſiue coloſſus non minor quàm Iouis apud Olympiam, cuius ad exemplar factus eſt, Romano autẽ par, & Iunoni, quæ Argis eſt. Opidum autem prouinciæ dedicauit, rebusq; adiectitijs portum. Cæſari uero conditoris honorem, unde ciuitati Cæſareæ agnomen impoſuit. Quinetiam & cætera opera, forum, theatrum, amphitheatrum, digna uocabulo collocauit: & quinquennali certamine inſtituto, nomen ei Cæſaris donauit. Primuſq; ipſe in centeſima nonageſima & ſecũda olympiade maxima præmia propoſuit: ut non ſolum uictores, ſed & proximi & tertij ſucceſſores eorum, regalibus diuitijs potirentur. Anthedona quoq; renouatam, quã bella ſubuerterant, Agrippium uocauit: nimiáque beneuolentia, nomen amici etiam portæ inſcripſit, quam ipſe in templo ædificauit. Sed nec parentes ſuos ita quiſquam dilexit, nam & patris monumentum optimo regni campo ciuitatem condidit, fluminum arborumq́ue ditiſſimam, eámque Antipatridem nũcupauit. Et ſuper Hiericunta caſtellum, natura tutum, & pulchritudine præcipuum, muro cinxit, atque in honorem matris Cyprum uocauit. Fratriq́ue Phaſelo turrim cognomine Phaſelidem Hieroſolymis ædificauit, cuius ambitus & in magnitudine liberalitas poſtea declarabitur. Aliamq́ue ciuitatem in regione quæ de Hiericũta in boream mittitur, Phaſelum nominauit. Cognatis autem & amicis æternæ gloriæ traditis, ne ſui quidem fuit immemor: ſed caſtellum contra montem Arabici lateris propugnaculo permunitum, de ſuo nomine Herodium uocauit: tumulúmque Aſtoiden, qui manu factus ſtadiorũ ſexaginta ſpatio ab Hieroſolymis abeſt, ſimiliter nominatum, munificentius accurauit. Etenim rotundis quidẽ tur-

*Al. trecentos.

An. lib. 15. cap. 10. 12. & lib. 17. cap. 5.

Agrippium.

Antipatrin.

Cyprus. Phaſelum.

Herodium.

ribus cacumen eius amplexus est. Ambitum autem compleuit ædibus regijs liberalissime exornatis: ut non solum interna membrorum facies clarior esset, uerū etiam foris parietes ac maceriæ, tectáque largis infusa diuitijs elucerent. Aquam etiam plurimam ingenti sumptu ex longo interuallo induxit, perque ducentos gradus marmoris candidissimi fabricauit ascensum. Erat autem totus collis manu factus, & uehementer excelsus. Qui & aliam circa radices eius regiam, ac diuersoria, quæ & sarcinas & amicos recipere possent, ædificauit: ut pro rerum quidem omnium copia ciuitas esse uideretur castellum: circumscriptione uero, domus regalis. Tantis autem constructis ædificijs, animi sui magnitudinem in plurimis etiam externis ciuitatibus demonstrauit. Nanque apud Tripolim & Damascum & Ptolemaidem, publicas balneas quæ gymnasia dicūt: Bibli autem murū exedras uero & porticus, foráque & templa Berithi ac Tyri: necnō & apud Sidonem, & Damascum theatra condidit. Maritimis autem Laodicēsibus aquæ ductū: apud Ascalona uero Nymphea siue lacus ornatissimos, & balneas, item peristylia, tam opere quàm magnitudine miranda constituit. Sunt quibus etiam lucos portusque præstitit. Multæ ciuitates ab eo, tanquàm regni sociæ, agris quoq; donatæ sunt. Ad exhibitionē uero thermarū alijs reditus annuos ac perpetuos delegauit, quemadmodum Comis, ne quando beneficij gratia deficeret. Ad hæc frumenta cunctis ministrauit egentibus: & insulis Rhodiorū ad instruendā classem pecunias sæpe, multisque in locis præbuit: incensumq; Pythium in melioré formam reparauit sumptibus suis. Quid dicam eius in Lycios aut Samios liberalitatem? perq; omnem Ioniam eorum, quæ desiderasset quisq;, largitiones? Nónne etiam Athenienses, & Lacedæmonij, & Nicopolitani, & in Mysia Pergamus, Herodis sunt plena donarijs? Nónne Anthiochensium Syriæ plateam, cum plena cœni ab omnibus uitaretur, per uiginti stadia prolixam, strauit polito marmore: decinandisque imbribus, cq; longa esset ornauit? Sed hæc quidem propria quis dixerit illorum, quibus ea detulit, populorum. Quod autem Eli densibus præstitit, non solum Achaiæ commune, sed etiā totius orbis terræ munus uidetur, per quem olympiaci certaminis gloria diffunditur. Nam cum hos deficere sumptuum uideret inopia, quodque solū ex ueteri gratia restabat effluere, non solum agonitheta ipse factus est, eo lustro, quod cum Romam nauigaret, offendit: sed etiam perpetuos pecuniarum quæstus instituit, ut nūquàm eius memoria agonithetæ munere fungi desineret. Inextricabile opus erit, debitorum siue tributorū remissiones exponere, sicut Phaselitas & Balaneotas: aliaq; circa Ciliciam municipia leuauit annuis pensionibus: licet multum eius animi magnitudinem timor fregerit, ne quam pateretur inuidiam: uelut maius aliquid auctoritatis paretur, si beneficijs amplioribus afficeret ciuitates, quàm qui eas haberēt. Quin & corpore usus est, quod animo cōueniret. Cumq; summus uenator esset, in hoc tamen ipso, equitandi peritia quæ cuperet, assequebatur. Denique uno die quondam quadraginta feras subegit. Est autem aprorū altrix illa regio, sed magis ceruis & onagris frequentatur. Bellator autem erat, qui sustineri non posset. Itaque multos etiā in exercitatione terrebat: quibus & torquendo iaculo directissimus, & sagittarum librator uidebatur egregius. Præter animi autem coporisq; uirtutem,

Frumenta ab Herode egētibus administrata.

tem,fortuna quoque ſecunda uſus eſt.Raro enim contra uotum eius, belli ceſſit euentus. Et ſi quando id accidit,non ipſius culpa,ſed aut proditione quorundã, aut temeritate militum factum eſt.

De diſſidio Herodis cum filijs Alexandro & Ariſtobulo. Caput XVII.

AT uero publicam ei felicitatẽ mœrores inuidere domeſtici, & aduerſi caſus ex muliere cœperunt,quam maxime diligebat.Nam quia regis meruit poteſtatem repudiata quã prius acceperat uxorem,ex Hieroſolymis genus ducentẽ, quæ Doſis uocabatur,Mariamnen ſibi coniunxit,Alexandri filiam Ariſtobuli filij:unde domus eius in diſcordiam uenit. Et antea quidem, maxime uero poſtquàm Roma regreſſus eſt. Nam primum Antipatrũ ex Doſide filium,eorum cauſa quos de Mariamne ſuſceperat, expulit ciuitate; ſolis feſtis diebus eò commeandi facultate conceſſa. Deinde auum coniugis Hyrcanum, ex Parthis ad ſe reuerſum propter inſidiarum ſuſpicionem peremit.Quem captum quidem,occupata Syria, Barzafarmanes abduxerat:miſerati uero gentiles liberauerant,qui ultra Euphratem colebant. Et ſi monitis eorum paruiſſet,ne ad Herodem tranſiret,non interiſſet, Verum mortis eius illecebra,fuit neptis matrimonium. Hoc enim fretus,multóque amplius patriam deſiderans uenit. Herodem autem commouit, non quod regnum affectaret, ſed quod ipſi iure deberetur. Quinque autem filiorum quos ex Mariamne ſuſceperat,duæ fœminæ,cæteri mares erant. Horumq; minimo Romæ in ſtudijs mortuo,duos maiores natu,& propter matris nobilitatem,& quod iam regnanti ſibi fuiſſent geniti,regie producebat. Sed enim fortior amor his Mariamnes ſuffragabatur: qui in dies ſingulos proficiẽs, adeo ſuccendebat Herodem,ut eorum nihil ſentiret, quæ propter dilectam ſibi dolerent.Tantum nanq; in eum Mariamnes erat odium,quantũ ipſe illam amabat.Habẽs igitur ex rebus quidem ipſis,inimicitiarũ probabiles cauſas,ex amore uero fiducium,in os ei,quæ Hyrcano auo ſuo feciſſet obijciebat,quæq; in fratrẽ Ariſtobulum egiſſet.Nec enim uel huic,quanq; puer erat,parcebat:quem pontificem in decimoſeptimo ætatis anno creatum,poſt honorem ſtatim occidit. Atq; ille quidem cum ſacra ueſte amictus,ad aram acceſſiſſet feſto die, populus omnis illachrymauit:& tamen noctu miſſus in Hiericunta,ibi ſicut mãdatum fuerat,lacu ſubmerſus à Galatis,interijt.Hæc igitur Herodi Mariamne probro dabat,ſororemq; eius & fratrem maledictis atrocioribus dehoneſtabat. Sed ille quidem amore mutus erat.Graui autem indignatione mulieres fæuiebant: & quo maxime commoueretur Herodes,inſimulabant eam adulterij: præter alia multa,quæ ueriſimilia fingerentur,hæc accuſantes,quod in Aegyptum imaginem ſuam miſiſſet Antonio:próq; immoderata libidine,abſentem ſe properaſſet oſtendere uiro,mulierum cupidine inſanienti,& qui uim poſſet inferre. Id ueluti fulmen alij quod emiſſum perturbauit Herodem,maxime quidem amoris cauſa æmulatione ſuccenſum.Deinde etiam cogitantem Cleopatræ fæuitiam, cuius gratia & Lyſanias rex,& Malachus Arabs erant perempti.Nõ enim coniugis amiſſione,ſed morte ſua periculum metiebatur.Itaq; profecturus Ioſippo Salomes ſororis ſuæ uiro,quem fidum habebat,& pro affinitate beneuolum,commendabat uxorem: mandato ei dãm,ut eam interficeret,ſi etiam ſe occidiſſet Antonius. Verum Ioſippus

An.lib.15.cd. 3.8.9.& lib. 16.ca.13.

Mors Hyrcani.

ſippus non maligne,ſed regis amorem mulieri cupiens demonſtrare,quod ab ea nec mortuus pateretur diuelli,ſecretū ei ſermonem aperit.Et illa reuerſo Herode, multaq; inter fabulas de affectu iurante,quodq; nunq; eſſet alterius mulieris amore captus:ualde,inquit,amor nos tuus mandatis Ioſippo cōprobatus eſt,quibus ut me occideret, præcepiſti.His auditis quæ occulta credebat,amens erat Herodes ilico: nec unquā Ioſippum mandata ſua proditurum fuiſſe ratus,niſi eam corrupiſſet,præ dolore inſaniebat.Cūq; ſtratis exiluiſſet,in regia ſpatiatur,ibiq; tunc Salome ſoror eius arrepto tempore criminandi,ſuſpicionem de Ioſippo cōfirmauit.Vnde Herodes immoderate æmuli dolore furens, confeſtim utrunque iuſſit interfici.Deinde pœnitudo ſequebatur inſaniam:& poſtq; iracundia concidit,amor iterum caleſcebat. Tanta uis aūt cupidinis erat, ut ne mortuam quidē putaret eam,ſed præ ægritudine tanq; uiuam alloqueretur:donec proceſſu temporis,funere cognito,mœroris magnitudine,quem ſuperſtitem dilexerat,æquauit affectū.Maternæ autem iracundiæ ſuccedunt filij,& immanitatē ſceleris reputantes,non aliter ſuſpectū patrem q; ſi hoſtis eſſet,habebant.Idq; & antea q; diu Romæ in ſtudijs erant,& multo magis poſtq; in Iudæam reuerſi ſunt.Siquidem cum ætatibus eorum,mentium quoq; roborabatur affectio.Iā uero maturi conjugio,unus amitæ ſuæ Salomes,quæ matrem amborum accuſauerat,filiam duxit:alter Archelai Cappadocum regis.Vnde acceſſit etiā libertas odio,& occaſiones ex eorum confidentia delatoribus collatæ ſunt. Itaq; apertius quidā cum rege loquebantur,quod ei per utrunq; filium inſtruerentur inſidiæ:Alter quidē ultrices materni exitij ſimul cū fratre armaret manus:alter uero,hoc eſt Archelai gener,ſocero fretus etiā fugam pararet,ipſum apud Cæſarem accuſaturus Herodē. His igitur criminationibus repletus Herodes,ueluti ppugnaculo ſibi futurū aduerſus filios ,adducit Antipatrū ex Doſide ſuſceptum:hiſq; illū præponere modis omnibus cœpit.Quī cū hanc mutationem tolerabilem non putarent,ac priuata matre æditū proficientem uiderent ,indignationem cohibere pro ſua nobilitate non poterant:ſed in ſingulis quibus offenderentur,irā prodebant. Et illi quidē in dies ſingulos magis magiſq; negligebantur.Antipater aūt etiam ſui cauſa fauorabilis erat: nam & patri blandiri callide nouerat, & uarias inter fratres ſuos calumnias conferebat,quædā ipſe dictitans, amicos uero ſuos ad alia uulganda ſubmittens,donec omnino ſpem regni abſcidit fratribus ſuis. In teſtamento em̄ ipſe quoq; aperte iam ſucceſſor fuerat declaratus.Deniq; tanq; rex etiā ad Cæſarem miſſus eſt,cultúq; regio & cæteris obſequijs præter diadema utebatur. Tēpore aūt illo ualuit etiā ſuam matrem in cubile Mariamnes inducere:duobusq; armorū generibus in fratres uſus,blāditijs & opinationibus, regi obrepſit,ut etiam de filiorum morte cogitaret. Quapropter Alexandrū quidem ſecū Romam pater abſtractū,ueneni ſibi dati reū apud Cæſarem poſtulauit.Ille autem uix deplorandi copiam nactus:& licet apud imperitiſſimū iudicem,tamē Herode & Antipatro prudentiorem:delicta quidem patris uerecunde ſuppreſſit,in ſe uero delata crimina fortiter diluit:periculorūq; ſocio fratre purgato,mox de Antipatri calliditate,& de ſuis iniurijs queſtus eſt: cū præter innocentiæ conſcientiā eloquētia iuuarentur,Erat enim acerrimus in dicēdo,poſtremo proloquutus quod eos paterl

An.li.16. cap.4.

benter

benter occideret,auxit facinus,& lachrymas quidē cunctis exeuſſit. Verum Cæſa rem ſic affecit,ut eorū accuſationibus ſpretis, Herodem ſtatim reuocaret in gratiam. Hæc aūt lege reconciliatio facta eſt,ut aduleſcētes quidem patri in omnibus obedirent,ille autem relinqueret regnum cui uellet. Poſtea rex Roma reuerſus,licet ſoluiſſe criminibus filios uideretur,nondum tamen erat ſuſpicionibus liberatus:quoniam argumentū odij ſequebatur Antipater, & ſi uerecundia reconciliatoris palàm proferre inimicitias non auderet. Cū autem Ciliciā præternauigans Eleuſam delatus eſſet,ſuſcepit eū benigniſſime Archelaus, pro ſalute generi gratiam referens:& redintegratæ concordiæ cauſa lætus (quippe nihil moratus amicis Romæ ſcripſerat,ut in cauſa dicenda ſuffragarentur Alexandro) & uſq; ad Zephyriū deduxit talentis triginta donatū. Poſtea uero cꝫ Hieroſolymam peruenit Herodes,populo conuocato,tribuſcꝫ filijs propè aſtantibus cauſam reddit profectionis: multasq; deo gratias agit,multas etiā Cæſari, qui domus ſuæ perturbationem ſedaſſet:& quod regno maius eſſet, concordiā filijs præſtitiſſet,quam ego,inquit,arctius copulabo. Nā ille quidem me regni dominū & ſucceſſorū iudicem conſtituit. Ego aūt cum mea commoditate illi gratias refero,treſcꝫ filios meos reges deſigno,huiuſcꝫ ſententiæ me ſociū primum dominū fieri precor,deinde uos. Nanq; huic ætas,illis nobilitas ſucceſſionē regni conciliat,& quidem magnitudo eius etiā pluribus ſufficit. Quos autē Cæſar iunxit,& pater inſtituit,obſeruate:non iniuſtis eos,neq; diſparibus,ſed meritis colentes honoribus. Nec em̄ tanta quis reficiet eū lætitia,cui præter ætatem obſequitur, quantū ei quem deſpiciet doloris infliget. Quos aūt ſimiles coniunctos eſſe oporteat,propinquos atq; amicos ego diſtribuā,& concordiæ ſponſores illos conſtituam:pro certo ſciēs,ſeditionū contentionumq; cauſas ex contubernalium naſci malitia: hōsq; ſi boni fuerint,affectiones tueri. Rogo autē,ut non ſolū iſti,ſed etiam primates ordinum exercitus mei in me ſolū ſpem habeant in præſentia. Non enim regnū,ſed regni honorem filijs meis trado: & iucunditate quidem quaſi rectores potientur,pondus autē rerum tametſi nolim,meum eſt. Conſideret autem quiſquis ueſtrū ætatem meā,uitæq; inſtitutum,necnon etiam pietatem. Nam neq; ſenex adeo ſum, ut de me cito deſpereturneq; uoluptatibus aſſuetus, quæ aduleſcētiū quoq; uitā ſpatio breuiore concludunt. Diuinitatē uero ita coluimus,ut in longum nos æuū progreſſuros eſſe credamus. Quod ſi quis in contemptū meum filijs meis placere maluerit,etiam pro illis mihi ſupplicīū dabit. Ego enim,non quod inuideam ex me genitis,honorifice eos haberi ueto:ſed quia noui hæc aduleſcētibus ſtudia ferociæ nutrimenta ſuggerere. Itaq; ſic cogitent qui ad eos ſe applicant,bonis quidem apud me paratum eſſe præmiū,ſeditioſis uero apud ipſos etiam quibus lenocinabantur, infructuoſam fore malignitatem. Omnes profecto mecum,hoc eſt,cum filijs meis ſentient. Nanq; ipſis expedit me regnantem,méq; his eſſe concordem. Vos autem ò boni filij ſacram primum retinentes mente naturam:cuius affectiones inter feras beſtias ſaluæ ſunt:deinde Cæſarem qui nos reduxit in gratiam,méque tertium qui ea quæ iubere liceat rogem, fratres permanete. Iam nunc autem uobis, & ueſtimenta & obſequia dabo regalia. Dominúmque oro conſeruare iudicium meū,ſi concordes eritis. Hæc locutus,ſingulos benigne conſalutauit, populumq́ue dimiſit, alios conuenientia dictis eius optantes: qui ue-

De Alexādro regis Archelai genero.

ro mutationis erãt cupidi,ne audiſſe quidem ſe quicquam ſimulantes:Fratres au tẽ diſſenſio non reliquit,ſed peiora ſuſpicantes alius de alio digreſſi ſunt.Nanq; Alexander & Ariſtobulus ægre ferebant confirmatum eſſe Antipatro meritum. Antipater autem ſuccenſebat uel ſecundo loco fratres haberi. Sed tamen ille pro uarietate morũ,& reticere ſecreta nouerat,& quanto ſibi eſſent odio multa frau de celabat. His autem pro nobilitate generis, in lingua erat quicquid ueniſſet in mentem: Et multi quidem his inſtigandis operam dabant, plures autem amicorum ſeſe explorandi cauſa inſinuabant. Itaque omne quod dictum eſſet apud Alexandrum, ſtatim apud Antipatrum erat,& ab Antipatro ad Herodem cum adiectione deferebatur. Nec uel ſimpliciter aliquid prolocutus,aduleſcens innoxius habebatur, ſed cuncta eius uerba in crimina uertebantur: maximáque mi-

Delationes Antipatri pro fratribus perfidis.

nimis affingebantur, ſicubi liberior paulo fuiſſet. Semper autem,qui eum irritarent, ſubmittebat Antipater, ut mendacia ſua ueras occaſiones haberent: multíſque falſò uulgatis,unum quid comprobatum,fidem omnibus faceret.Sed huius quidem amicorum quiſque aut natura taciturnus erat,aut muneribus parabatur, ne quid occultum expromeret: nec erraſſet aliquis, ſi Antipatri uitam malitiæ dixiſſet arcanum. Alexandri uero familiares,aut pecunia corruptos,aut impulſos blanditijs, quibus expugnauit omnia,proditores ac fures eorum quæ contra ſe dicerentur ſiue agerentur,effecerat. Cum autem caute uniuerſa committeret,aſtutis etiã criminationibus aditus ad Herodem moliebatur:fratriſque perſonam gerens alijs delatoribus ſubornatis utebatur. Siquid in Alexandrum nuntiaſſent fauore ſimulato, id quod primo reprehendiſſet, mox otioſe aſtruendo, regis iracundiam prouocabat:omniáque ad inſidias referebat,& ut necem patris Alexander optare uideretur. Nihil enim maiorem fidem calumnijs ſuggerebat, quàm ſi eum purgaret Antipater. His accenſus Herodes, quantum in dies ſingulos de affectu aduleſcentium detrahebat, tantum adijciebat Antipatro. In eandem uero partem inclinati ſunt etiam qui regno parebant: hi uolentes, alij pro imperio,ſicut Ptolemæus amicorũ chariſſimus,regisque fratres,ac tota progenies: omnia nanque in Antipatro ſita erant: & quod Alexandro fuit acerbiſſimum,cuncta in eorum perniciem,matris Antipatri conſilio gerebantur.Nouerca enim ſæuior erat,multóq; plus q̃ priuignos oderat,quos regina mater ediderat.Sed quanquam omnes,ut Antipatro magis obſequerentur,ſpes inducebat: non minus tamen præcepta regis quenq; ab aduleſcentibus ſeparabant:qui chariſſimis edixerat,ne quis ad Ariſtobulum uel eius fratrem accederet,aut ſe ad eos applicaret. Non ſolum autem regalibus erat formidini,uerumetiã externis amicis. Nulli enim regum tantũ poteſtatis Cæſar dederat,ut fugitiuos ſuos, quãuis ex ciuitatibus non ſubiectis ei, liceret educere.Aduleſcẽtes autem delata in ſe facinora neſciebant,hisque propterea capiebantur incautius.Nullus enim palàm incuſabatur à patre:ſed affectu refrigeſcente paulatim intelligentes,aduerſus dolorem aſperius excitabantur. Eodem autem modo etiam Pheroram patruum, & Salomen amitam, contra illos commouit Antipater aſſidue, uelut cum uxore ſermocinando, quibus in eos inſtigaretur. Huius autem inimicitijs conſpirabat Alexandri quoque uxor Glaphira, multa de ſua nobilitate commemorans,

tans,cunctarumq; se quæ in regno uiuerent dominam esse dictitans: paternum enim genus à Temeno,maternum autem à Dario Istapsis filio ducere, multũq; ignobilitatem despiciẽs sororis & uxorum Herodis:quarum quæq; propter formam,non propter nobilitatem esset electa. Nanq; multas ei fuisse diximus uxores:quod licet & Iudæis more patrio plures habere,quodq; rex pluribus oblectaretur. Omnibus igitur,propter superbiam & contumelias Glaphiræ,inuisus erat Alexander.Salomen autem Aristobulus,& si socrus eius erat, ipse inimicam sibi reddidit,& ante quidem propter maledicta Glaphiræ sæuientem:frequenter em̃ humilitatem generis obiiciebat uxori: quodq; ipse plebeiã, reginam uero frater suus duxisset Alexander. Hoc Salomes filia cum fletu matri nũciauit. Addebat autem,quod aliorum quoq; fratrum matres idem Alexander & Aristobulus, si regnum obtinuissent,textrices cum ancillis facere minitarentur,ipsos quoq; uicorum scribas,scilicet irridẽtes,quod literarum studijs operam darent.His commota Salome,quod iracundiam cohibere non posset,Herodi cuncta indicauit. Satis autem idonea uidebatur contra generum dicens. Et præter hæc alia quædam criminatio diuulgata est,quæ succendit animum regis. Audiuit enim Alexandrũ & Aristobulum crebro matrem implorare,casumq; eius cum gemitu atq; imprecationibus conqueri: ac sæpe illo quædam ex Mariamnes uestimentis posterioribus diuidente,cõiugibus minitari solitos esse,quod cito pro regalibus delicijs nigris uestibus induerent.His de causis,Herodes licet constantem animum adulescentium formidaret, tamen ne spem correptionis abscideret, ad se eos uocauit: Romam enim nauigaturus erat:& quasi rex pauca interminatus, pluribus quasi pater monuit:rogauitq; ut fratres diligerent,promissa priorum peccatorum uenia, si post hæc meliores fierent. Illi autem criminationum inuidiam deprecando,fictas eas esse dicebant,purgationisq; suæ fidem rebus ipsis posse constare:uerum quoq; ipsum debere,omissa facilitate credẽdi,aditum maledictis obstruere. Nunquam enim calumniatores defore,dum cui persuadeatur,extabit. Cum his eum mature placuissent,qui ut patrem præsenti metu reiecto,de post futuris mœrere cœperunt. Etenim cognouere Salomen sibi esse infensam,& patruum Pheroram:uterq; autem sæui & graues erant: sed amplius Pheroras,qui totius quidem regni præter diadema socius esset:proprios autem reditus haberet cẽtum talentorum, totiusq; trans Iordanem terræ fructus ipse caperet,à fratre sibi donoratæ. Quinetiam tetrarcham eum fieri beneficio Cæsaris,idem Herodes impetrauerat:regaliq; cõiugio dignatus erat,sorore uxoris suæ nuptum ei collocata.Et post illius mortem,desponderat ei filiarum suarum maximam, trecentis talentis in dotem datis. Sed regale matrimonium Pheroras,ancillæ amore captus,refugerat. Quamobrem iratus Herodes, filiam quidem nuptum dedit fratris filio, qui post à Parthis occisus est.Mox autem morbo Pheroræ uenia data,indignationem remisit.De hoc autem erat uetus opinio,quod etiam uitta regina Herodem opprimere uoluisset ueneno. Sed tunc plurimis delatoribus aditus erat,ut quamuis amantissimus frater esset Herodis,fide tamen eorum quæ audisset,adduceretur ad metum. Itaq; de multis qui suspecti erant habita quæstione,postremo ad Pheroræ amicos uenit, quorum nulla quidem fuit de maleficijs aperta confessio,

An.lib.16. cap.7.

confeſſio,ſed quod amita ſuſpecta, in Parthos cogitaſſet effugere prodiderunt: huius autē conſilij & fugæ conſcium eſſe Ariſtobulum Salomes maritum:cui rex eam tradidit,poſtquam ſuperior adulterij cauſa peremptus eſt: ſed nec Salome criminatione libera manſerat. Nam & hanc frater Pheroras accuſabat, quod cū Sylæo procuratore Obodæ regis Arabum de nuptijs conſtituiſſet,quem inimiciſſimum Herodes habebat. Conuicta autem & in hoc,& in omnibus,quæ Pheroras detulerat, indulgentiam meruit:itaque ipſum etiam rex Pheroram crimínibus ſoluit. Domus uero tempeſtas in Alexādrum tranſijt,totáq; capiti eius incubuit. Tres erant Eunuchi regis chariſſimi,& ex genere famulatus neminē id latebat. Vni enim uinum miniſtrare fuit cura,alteri cœnam apponere, tertius autē dormitum eum collocabat,& cū ipſo cubabat:hos muneribus maximis Alexander cupiditati ſuæ ſubiecerat. Itaq; poſtquam regi hæc ſunt indicata, ui tormentorum coacti, & ſtuprum ſtatim confeſſi ſunt, & quibus eſſent ad hoc promiſſis inducti apperuerunt: quomodo eos fefelliſſet Alexander nullam in Herode ſpē habendam eſſe,improbo ſene,commemorans: & qui capillos inficeret,ut ob hoc etiam eum aduleſcentem putarent:uerum ſe coli oportere,qui etiam inuito eo regni eſſet futurus ſucceſſor. Neq; multo poſt,ab inimicis pœnas repeteret,fortunatósque amicos ſuos beatósq; faceret,ac præ cæteris ipſos. Quin & obſequia potētiū Alexandro clàm parēre,militumq; rectores. Itemque ordinum principes occulte ad eū conuenire dixerunt. Hæc Herodes adeo pertimuit,ut non auderet ſtatim delata proferre: ſed exploratores die noctúque ſubmittens, dicta factáque ſingula ſcrutabatur: & de quibus ſuſpicio eſſet, ilico trucidabat. Itaque regnum eius acerbiſſima iniquitate repletum eſt. Nam pro ſuo quiſque odio uel inimicitijs, calumnias finxere, multiqúe regis iracundia cædis cupida contra aduerſarios abutebantur: & mendacio quidem confeſtim fides habebatur. Erant autem criminationibus ipſis uelociora ſupplicia. Denique accuſabatur qui modo accuſauerat: & cum eo qui ante iuſtus eſſet,ducebatur ad pœnam. De uita nanque periculum regis quæſtiones breuiore compendio terminabat. Ad hoc autem ſæuitiæ proceſſerat, ut nec eorum quenquam humanitus aſpiceret,qui accuſati nō eſſent: uerumetiam amicis immitiſſimum ſeſe præberet. Itaque multis etiam regno interdixit, & in quos poteſtatem non habebat, in eos dictis aſperis ſæuiebat. Acceſſit malis Antipater, collectaqúe propinquorum caterua, nullum criminationis genus omiſit. Tantus autem ineptia ſua regem commentiſque delatorum timor inuaſit, ut ſtricto inſtare ſibi gladio uideretur Alexandrum. Denique ſubito & ipſum correptum in uincula coniecit, & in amicorum eius tormenta perrexit: Multi autem tacite moriebantur, nulla uoce ſupra conſcientiam prodita. Alij uero, quibus mendacium impatientia doloris extorſit, de patris eum inſidijs cum fratre Ariſtobulo cogitaſſe dixerunt:tempusqúe obſeruare,ut illo dum uenaretur occiſo,Romam profugerent. His tamen etſi uerisimilia non erant, ſed neceſſitate cruciatus ex tempore fingebantur: libenti tamen animo rex credebat, pro conſolatione accipiens uincti filij, ne id feciſſe uideretur iniuſte. Verum Alexander quoniam ſuſpicionem patris nullo modo aboleri poſſe arbitrabatur, ultro malis aſſentiēdū putauit,ac digeſtis aduerſus inimicos quatuor

An lib.17. cap.8.

tior libris, fatetur insidias, eorũq; se plurimos socios habere perscribit: ante oẽs autem Pheroram & Salomen. Hanc enim etiam stupro sibi quondam esse mixtam, cum uirn noctu adhibuisset inuito. Iamq; libri in manibus erant Herodis: multa & grauia de optimatibus clamantes, cũ mature in Iudæam Archelaus uenit, metuens genero simul ac filiæ, quibus etiam prouidentissimo consilio succurrit, regisq; minas arte dissoluit. Mox enim cum eo cõgressus, ubi nam est, clamat, exitiabilis gener meus? aut ubi parricidale caput aspiciã, quod meis manibus ipse lacerabo: addamq; filiam meam bono marito nouo? Nam etsi consilij particeps non est: quia tamen eiusmodi uiri coniũx fuit, inquinata est. Miror autem patientiam tuam, cuius periculum agitur, quod adhuc uiuit Alexãder: ego nanque ita ex Cappadocia properans ueniebam, ut & qui illum reperirem olim dedisse supplicium: & de filia quæstionem tecum haberem: quã tui tuæq; dignitatis contemplatione illi desponderam. At nunc de utroque nobis consulendum est: licet nimium pater sis, & ad puniendum insidiatorem filium minus fortis. Permutemus dexteras, & alter alterius iracundiæ uicariæ succedamus. Talibus increpans, quamuis pertinacem, fallit Herodem. Itaque ille quos Alexander perscripserat libros, legendos ei præbet, singulisq; capitulis insistens, cum eo deliberabat. Vnde occasionem sui consilij nactus Archelaus, paulatim causas in eos qui scriptis continebantur, & in Pheroram contulit. Cum autem sibi credere regem uideret, considerandum est, inquit, ne forte adulescentulus tot nequissimorum insidijs circumueniatur: non tamen ab adulescentulo, nec enim apparere causam, cur in tantum ruerit scelus, qui & nunc regno potiretur, & successionem regni speraret, nisi aliquos haberet huius persuasionis autores, qui ad deteriorem partem lubricũ ætatis impellerent. Ab eiusmodi nanque hominibus, non solum adulescentulos falli, uerum etiã senes, domósque clarissimas totáque regna solere subuerti. Consentiebat dictis Herodes, iramque paulatim remittebat in Alexandro, & in Pheroram excitabatur. Nanq; hoc erat librorum quatuor argumẽtum: qui ubi propensiorem esse regis animum sensit, & in omnibus apud eum amicitiam Archelai præualere, quam honeste non posset, ex impudentia salutem quæsiuit. Relictóq; Alexandro, confugit ad Archelaum: Et ille: non, inquit, uidet quo se pacto eximat tot criminibus inuolutum, quibus manifeste conuinceretur regem insidijs uoluisse decipere, omniumq; malorum præsentium adulescenti causa fuisse: nisi malit omissis artibus callidis, & negandi pertinacia, quibus insimularetur omnia confiteri, & à fratre, præsertim cui dilectus esset, ueniam petere. Nanque ad hoc ei modis omnibus se quoque opem laturum. Paruit Archelao Pheroras, atráque ueste cum lachrymis, ut quàm miserabilis appareret, instructus, ad pedes Herodis accessit: ueniamque meruit postulans, & se quidem sceleratum esse fatebatur. Nanque omnia quæ sibi obijcerentur, fecisse. Horum autem causam esse dimi nutionem mentis atque insaniam, ex mulieris amore conceptam. Itaque postquam stetit Pheroras suimet ipse accusator ac testis, tunc eum iam Archelaus excusando, Herodis iracundiam mitigabat, proprijs usus exemplis: Etenim se quoque à fratre multo grauiora perpessum, naturale ius dicebat antepositi se uindictæ. Quippe in regnis, uelut in magnis corporibus, semper aliquam

An. lib. 16. ca. 8. 9.

Astutia Archelai regis.

partem

partem pondere ipſo tumeſcere: quam recidi quidem non oporteret, leniter ue-
ro curari. Multa in hunc modum locutus Archelaus, Herodem quidem Phero-
ræ placidum reddidit, ipſe autem Alexandro tandiu manebat iratus, filiamque
ab eo diſtractam ſecum abducturum eſſe firmabat, donec Herodem cõpulit ul-
tro pro aduleſcentulo deprecari, ut iterum ei filiam deſponderet. Satis autem cũ
grauitate Archelaus cui uellet eam præter Alexandrum collocari, permiſit: maxi-
mi enim pendere, quo iure inter ſe affinitatis inuiolata permaneant: Rege autem
ſibi filium ab eo donatum affirmante, niſi quod matrimonium diremiſſet, quod
& liberos iam haberẽt, uxor quoq; ab aduleſcente diligeretur: quæ ſi remaneret,
peccatorum foret obliuio: ſi uero diſcederet, cauſa de omnibus deſperãdi: melio-
rem nanq; fieri audaciam, ſi domeſticis affectionibus diſtrahatur: uix tandẽ ceſ-
ſit, unaq; & ipſe rediit cum aduleſcente in gratiam, & patrem eius reduxit. Procul
dubio tamen eum Romam mitti debere, ait, cum Cæſare collocuturũ: de omni-
bus enim ſeſe literas ad eum feciſſe. Conſilium quidem Archelai, quo generũ pe-
riculo liberauit, peractum erat, & redintegrata concordia in epulis: & humanitate
conuictus, familiariter uerſabantur. Abeuntem autem muneribus talentorũ ſe-
ptuaginta, ſolio quoque aureo gemmis ornato, & Eunuchis: & concubina donat
Herodes, quæ Panichis uocabatur. Itemq; amicorum eius, quenq; pro merito,
quin & cognati regis omnes, iuſſu eius Archelao dona clariſſima dederunt: eũq;
tam ipſe quàm optimates Antiochiam uſq; proſecuti ſunt. Nõ multo poſt qui-
dam in Iudæam uenit, Archelai conſilijs multo potentior: qui non ſolum reconci-
An. lib. 16. ca. 11. De Eurycle. liationem gratiæ Alexandro quæſitam fecit irritam: uerumetiam cauſa fuit ut pe-
riret. Laco erat genere nomine Eurycles ad regni deſiderium amore pecuniæ cor-
ruptus. Iam enim luxũ eius regia tolerare non poterat. His ampliſſimis donis He-
rodi oblatis: uelut eorum quæ aucuparetur illecebra, cum ſtatim multiplicata re-
cepiſſet, immaculatam liberalitatẽ nihil eſſe ducebat, niſi regnum ſanguine cõpa-
raſſet. Itaq; regem adulatione falſisq; de ipſo laudibus: & ſermonis calliditate cir-
cũuenit: maturéq; perſpecto eius ingenio dictis, ſimul & factis quæ illi placerẽt, in-
ter primos eius amicos habetur. Nã & rex & omnes eius comites libenter ciuem
Spartæ patriæ cauſa, præcipuo dignũ honore ducebant. Ille autem poſtq; fragi-
litatem domus animaduertit: fratrumq; inimicitias, & quemadmodum pater in
ſingulos eſſet animatus, Antipatri quidem hoſpitio præuentus erat. Simulata ue-
ro amicitia fallebat Alexandrũ, olim ſe & Archelai ſocium eſſe mentitus, quo eti-
am citius quaſi probatus obrepſit. Moxq; ab eo fratri quoq; Ariſtobulo cõmen-
datus eſt. Pertentatis autem perſonis omnibus aliã alio modo ſubibat: ac primũ
ſi: Antipatri mercenarius, & Alexandri proditor: illum exprobrando caſtigans,
quod cũ fratrum ſit maximus, ſpei ſuæ negligat inſidiatores: Alexandrum uero,
quod regina creatus, & regiæ uir coniugis, filium priuatæ mulieris pateretur regno
ſuccedere, præſertim cum haberet magnam occaſionem Archelaum: quæ quidẽ
aduleſcẽti uera fide ſuadere uidebatur, quod amicitiã ſimulaſſet Archelai. Vnde
nec Alexander quicquam metuens, & de Antipatro quæ ſe mouerent apud eum
querebatur: & quod nihil mirum faceret Herodes, ſi cum matrem illorum inter-
emerit, ipſis quoq; regnum eius auferret: quorum cauſa Eurycles & miſereri eos

& dole-

& dolere pariter ſimulans etiam Ariſtobulum ad ea dicenda pellexit: Atq; ita querelis in patrem utroq; deuicto referens, ad Antipatrum ſecretò diſcedit: affi-cto quoq; inſidiarum mendacio, quas ei fratres paraſſe firmabat, ac penè iam ſtrictis gladijs in eum irruere. Ob hæc autem multa pecunia donatus ab Antipatro, laudator eius erat apud patrem, & ad extremum necis Alexandri & Ariſtobuli redempta opera, ipſe accuſatoris partibus fungitur. Cumq; audiſſet Herodem uitam ei ſe rependere pro beneficijs ſibi delatis, & lucem referre dixit hoſpitio: Olim Alexandrum exacuiſſe in eum gladium, & cõfirmaſſe dexteram: uerum ſceleri tanto fuiſſe impedimẽto, quod ſocietatem facinoris aſſimulaſſet. Alexandrum enim dicere, non bene ſecum Herodem actum putare, quod regnũ obtinuiſſet alienum: & poſt matris eorum necem, principatum eius dilaceraſſet, niſi etiam degenerem cooptaret hæredem, auitumq; ipſorum regnum Antipatro ſpurio propinaret. Proinde ſemet Hyrcani manes & Mariamnes ultum ire. Nec enim decere ſucceſſionẽ regni ab huiuſmodi patre ſine cæde ſuſpicere: multis autem rebus ad hoc excitari quotidie, quia nihil ſibi omnino loqui ſine calumnia liceret. Nam ſi de nobilitate aliorum fiat mẽtio, ſine ratione ſe contumelijs affici, patre dicente, ſolus generoſus Alexander, & cui pater ſit pro ignobilitate dedecori, inuentionibus quoq; offendere, ſoliq; Antipatro indulgentem: ob quæ uelle mori nõ recuſare, niſi ex uoto inſidiæ ſucceſſiſſent: ſin eũ occidiſſet, primum ſalutis occaſionem fore Archelaum ſocerum ſuũ, ad quem facile poſſit effugere: deinde Cæſarem, qui nunc uſq; ignoraret mores Herodis, nec enim ſic ei aſtaturum ut antea, patris præſentiam formidando, nec de ſuis tantum criminibus locuturum, ſed primum totius gentis ærumnas, & quod ad necem uſq; tributis opprimeret uulgaturum. Deinde in quibus delicijs, quibusq; actibus partæ ſanguine pecuniæ conſumptæ ſint, & qui uel quales ex illis fuerint lucupletati, quæ cauſa ciuitatis plagatæ: ibi autem quæſiturum & aui & matris necem, omniaq; ſcelera regis retecturum: quibus cognitis, nemo ſe iudicauerit parricidam. His Eurycles in Alexandrum falſò delatis, Antipatri laudes proſequebatur, illum ſolum qui partem diligeret eſſe confirmans, quiq; adhuc inſidias retardaſſet. Rex autem nondum præteritæ ſuſpicionis dolore compreſſo, intolerabilis iracundiæ feritate turbatur. Iterumq; hoc tempus nactus Antipater, alios accuſatores fratribus ſubornauit, qui eos dicerent cum Iocundo & Tyranno dàm colloqui ſolitos eſſe, equitũ regis olim principibus, tunc uero propter quaſdam offenſiones ordinibus motos. Hac deniq; indignatione ſuccenſus, confeſtim eos tormentis Herodes ſubdidit. Illi autem nihil eorum ſe, quæ crimini darentur, ſcire confeſſi ſunt. Sed oblata eſt quædam uelut ad præpoſitum caſtelli Alexandrij ab Alexandro ſcripta epiſtola, deprecante, ut cum Ariſtobulo fratre ſe in caſtellum reciperet, ſi patrem interfeciſſent: tamq; armis quàm alijs ſubſidijs eos uti permitteret. Hanc Alexander Diophanti commentum eſſe dicebat, q regis erat notarius, homo audaciſſimus, & cuiuſlibet manus literas imitari percallidus. Itaq; multis ſæpe falſò conſcriptis, ab hoc poſtremo occiſus eſt* Ac cito autem caſtelli præpoſito, nec eius indicio quicquam Herodes eorum, quæ delata erant, uerum eſſe cognouit. Sed quamuis nullum documentum ualidũ

Iocundus et Tyrannus accuſati.

Diophãtes.

Aliàs torto

proferretur,filios tamẽ abſolutos aſſeruari præcepit.Eurydẽ uero domus ſuæ peſtem,ac totius ſceleris fabricatorem,bene de ſe meritũ,datoremq; ſalutis appellans,talentis quinquaginta donauit.Ille autem prius quàm certa fama nuntiaret,ad Archelaum properat,auſuſq; dicere,quod Herodem reconciliaſſet Alexandro,ab illo quoq; pecunias capit.Deinde in Achaiam tranſgreſſus,ad ſimilia facinora male quæſitis abuſus eſt.Poſtremo apud Cæſareã accuſatus, quod diſſentionibus repleuiſſet Achaiam,& ciuitates ſpoliaret, inde fugatus:atq; hoc eum modo pœnæ Alexandri & Ariſtobuli perſecutæ ſunt.Hoc loco dignum eſt Coum* Euaretum huic Spartiatæ conferre.Nãq; his cum amiciſſimus eſſet Alexãdro,eodemq; tempore quo Eurydes ibidem erat aduenisſet,percontanti regi ſuper his quæ ille inſimularet,iuratus nihil ſe ab aduleſcentibus audiſſe firmauit.Nec tamen id quicq; miſeris profuit apud Herodem, ſolis maledictis aures paratiſſimas aperientem:eumq; gratioſiſſimũ ſibi iudicantẽ,qui ſecum eadẽ crederet,ijsdemq; moueretur. Incitabat præterea Salome crudelitatem eius in filios:Nanq; ad hanc Ariſtobulus,quo ſe periculis inuolueret,quam & ſocrum habebat & amitam,monitũ miſerat,ut ſaluti ſuæ cõſuleret, quaſi rex eam decreuiſſet occidere,iterum inſimulatam,quorũ ante fuerat accuſata,quod Sylæo Arabi nubere cupiẽs,quẽ ſciret eius inimicum,occulta illi ſecrata regis nũciaret. Et hoc fuit extremũ,quo tanq; tempeſtate oppreſſi aduleſcentes, non ſecus ac turbine peſſundati ſunt.Salome enim protinus cõtendit ad regem,eiq; monita Ariſtobuli prodit:atq; ille ulterius durare non paſſus,utrunq; filiũ uinxit,& ſeparatos aſſeruari præcepit. Deinde Volumniũ militiæ magiſtrũ,& ex amicis ſuis Olympum,deſcripta ferentes indicia,proficiſci iuſſit ad Cæſarem:qui poſtq; Romam naui delati,regis literas reddiderunt:uehementer quidem Cæſar in aduleſcentes exarſit,uerum eius poteſtatem in filios à patre auferendam nõ duxit.Deniq; reſcribit ei,ut ipſe ſui dominus eſſet arbitrij:melius tamẽ facturũ dicẽs, ſi in cõmuñi conſenſu propinquorũ ſuorũ prouinciæq; rectorũ de inſidijs quæreret:eoſq; ſi delato crimini reperiret aſtrictos,occideret:ſi uero fugam tantũ eſſe meditatos mediocri ſupplicio contentus eſſet.Paret ſcriptis Herodes:cumq; Berithum,quò Cæſar iuſſerat,peruenisſet,cogit iudicium.Præſederunt autem rectores, quibus à Cæſare ſcriptũ fuerat,Saturninus & Penaius legati,& cũ his Volumnius procurator,itemq; propinqui regis & amici,necnon & Salome & Pheroras,& poſt hos optimates Syriæ,præter Archelaum regem:nanq; hũc Herodes, quod Alexandri ſocer eſſet,ſuſpectum habebat.Sed filios quidem ſatis prouido conſilio in iudicium non produxit:ſciebat enim quod ſi tantum uiſi fuiſſent, omni modo ad miſericordiam cũctos impellerent:ſi uero etiam dicẽdi copiã nacti eſſent, facillime Alexander obiecta dilueret.Igitur quidem illi cuſtodiebantur in Palæſto,uico Sidoniorum Exorſus autem rex,ueluti cum præſentibus ageret, cõmouebatur,& inſidias quidem timide obijciebat:nã probationibus deficiebat. Maledicta uero & probra & iniurias,& peccata plurima in ſe admiſſa proſequebatur: eáq; morte grauiora eſſe confeſſoribus demonſtrabat. Poſtremo cum nemo contradiceret, ſemetipſum argui miſerabiliter queſtus, acerbamq; uictoriã incere,ſingulos ſententiam proferre rogat in filios: & primus Saturninus con-

demnand-s

Aliâs Euariſtum.

De Coo Euaracto.

An.lib.16. ca.12.

Salomes accuſatio pernicioſiſſima

Filij Herodis uincti.

An.lib.16. ca.13.

demnandos esse adulescentulos, sed non morte pronunciauit, nec enim fas esse, cum tres ipse astantes habeat filios, mortem alienis decernere. Idem etiam duobus legatis uisum est, eosq; nonnulli alij secuti sunt. Tristem uero sententiam primus Volumnius dixit, cunctiq; post eũ Herodis æmulatione, uel odio: neq; indignatione quisquam necandos esse adulescentes iudicauit. Tunc autem uniuersa Iudæa & Syria, suspensa quidem opperiebatur huius tragœdiæ finem: sed nemo existimabat Herodis crudelitatem ad parricidium usq; processuram. Ille tamen filios Tyrum traxit: atq; inde naui Cæsaream deuectos, quo mortis genere perimeret cogitabat. Interea uetus quidã regis miles, Tyro nomine, qui & filium habebat, Alexandro assuetum atq; amicum, & ipse diligebat adulescẽtulos: præ nimia indignatione mẽtis in postremo circumiens clamitabat, conculcatam esse iusticiam, ueritatem periisse, naturam esse confusam, uitamq; hominum iniquitatis esse plenam, & omnia quæ dolor contẽptori uitæ dictasset. Deinde ipsum etiam regem ausus adire: mihi uero inquit, omnium uideris esse infelicissimus, qui contra charissimos nequissimis credas. Siquidem Pheroras & Salome fidem apud te aduersus filios tres habent, quos sæpe ipse mortis supplicio dignos esse iudicasti: neq; aduertis hoc eos agere, ut iustis successoribus destitutus, cum solo remaneas Antipatro, capi facile regem optantes. Veruntamen cogita, ne ille quoq; militibus odiosus sit, propter cædẽ omniũ fratrum. Nullus em̃ est, qui non adulescentiũ misereatur, principum aũt plurimi etiã palàm grauiter ferunt. Hæc dicens, simul eos quibus res indigna uideretur nominabat. Rex autẽ statim illos & ipsum cũ filio cõprehendi iubet. Ibiq; tum alius quidã regalis tonsor, nomine Tryphon, nescio qua exagitatus insania, semetipsum indicans prosilit: ac mihi quoq; Tyro, inquit, iste persuasit, ut occasione tondendi nouacula te occiderem: magnaq; inde Alexandrum daturum munera pollicebatur. His auditis, Herodes & Tyronem eiusq; filium, & tonsorem subdidit quæstioni. Cũq; illi pernegarent, tonsor autem amplius nihil diceret, Tyronem uehementius torqueri iussit: tumq; filius eius, patris miseratione cõmotus, cuncta se regi, si eũ sibi condonasset, indicaturum promisit. Eoq; relaxato, ipsius occidendi patrem suum habuisse uoluntatem, dixit, impulsum ab Alexandro. Hoc autem quibusdam fictum ab adulescente uidebatur, quo tormentis eriperet patrem, nonnulli uerum esse firmabant. Herodes tamen, & militũ principibus & Tyrone pro concione accusatis ita in eos armauit populum: ut ibidem cum eo tõsorem, lignorũ & lapidum ictibus interimerent. Filios uero in Sebasten missos, quæ non longo à Cæsarea interuallo distaret, offocari præcipit: eaq; re mature perfecta, in castellum Alexandrium mortuos asportari, cũ Alexandro materno auo sepeliendos. Hic finis quidem Aristobulo & Alexandro uitæ fuit.

Audaciã Tyronis increpãtis Herodem.

An. lib. 16. cap. 11. De Tryphone regis tonsore.

Filios suos Herodes offocari præcipit.

De conspiratione Antipatri contra patrem. Caput XVIII.

ANtipatrum uero, cum iam sine cõtrouersia successionem regni speraret, intolerabile gentis excepit odium, cunctis scientibus illum omnes fratribus suis conseruisse calumnias: nihiloq; minus timor eum non mediocris solicitabat, crescente sobole perẽptorum. Erant enim Alexandro ex Glaphira filij duo,

Odiũ omniũm in Antipatrum. Ant. lib. 17. cap. 12.

Tigranes & Alexander:itemq; Aristobulo ex Beronice Salomes filia,Herodes & Agrippa & Aristobulus,filiæq; Herodias & Mariamne.Sed Glaphiram quidem Herodes cum dote sua in Cappadociam dimisit, postquam Alexandrum interfecit,Beronicen autem Aristobuli coniugem,auunculo Antipatri nuptum dedit:qui ut Salomen,quam infensam habebat,sibi reconciliaret, istas nuptias excogitauit.Idem uero etiam Pheroram muneribus alijsq; obsequijs,atq; amicos præterea Cæsaris ambiebat,magnas Romam mittendo pecunias. Saturninum enim cum alijs omnibus apud Syriam donis expleuerat. Hoc autē magis inuisus erat cunctis,quod plura donabat,uelut opes tantas non munificētia largiretur,sed metu consumeret.Itaque eueniebat,ut nec accipientium beneuolentia quicquam profecerit:quibusq; nihil dedisset,acerbiores inimicos haberet.In distributionibus autem munerum quotidie largior erat,cum præter spem uideret orbos pueros ab Herode curari:quantumq; illum peremptorum cædis pœniteret, prolis eorum miseratione significari.Conuocatis enim propinquis atq; amicis suis,& pupillis astantibus cum lachrymis oppleſſet oculos,dixit: Horum quidem mihi patres fortuna quædā tristis eripuit,ipsos autem orbitatis miseri cordia cum natura cōmendat.Experiar itaq; ut &si pater infortunatissimus fui, auus tamen sim prouidentior,& à quibus post me regantur,amantissimos mihi relinquam.Despondeo igitur filiam tuam Pherora maximo filiorum Alexandri,ut ei curator sis necessarius:tuo uero Antipater filio,Aristobuli filiā:eris enim hoc modo pater orbatæ.Sororem uero eius meus Herodes accipiet,ex pontifice auo materno prognatus.Et de his quidem hoc sit iudicium meum,neq; uel quisquam dirimat,qui me amabit.Precor autem dominum etiam bono regni mei, meorumq; nepotum copulare nuptias,atq; hos pueros placidioribus,quàm patres eorum oculis aspicere.Postquam hæc locutus est,effleuit,& puerorū dexteras iunxit,benignissimeq; consalutatis singulis dimisit consilium. Statim diriguit Antipater,quantoq; dolore affectus esset neminem latuit pupillorū. Nāq; honorem apud patrem quoq; sibi derogatum existimabat: iterumq; de rebus cunctis periculum fore,si Alexandri filius præter Archelaum etiam Pheroram tetrarcham adiutorem habere licuisset.Ad hæc reputabat odium suum,& orbitatis miserationem,qua tota gens flectebatur,quanto uiuentium puerorum studio,& quanta memoria mortuorum, ipsius scelere tenerentur Iudæi. Itaq; omnimodo dirimere sponsalia statuit,& callide quidem patri surripere timuit sæuienti,acriterq; uigilanti ad suspicandum.Palàm uero eum supplex adire ausus est, coramq; deposcere, ne se honore priuaret, quo dignum esse iudicasset,nudumq; regis nomen habere uellet:regni autem substantiā penes alios esse. Nec enim posse rerum obtinere dominatum,si præter auum Archelaum,etiam Pheroras Alexandri filio socer esset adiunctus.Instantissime uero precabatur, quia numerosa esset regia,progenies nuptias permutari. Nouem nanq; regi uxores erant, sed harum septem unde filios suscepérat ,ipsum Antipatrum ex Doside, Herodem autem ex Mariamne pontificis filia:itemq; Antipam & Archelaum ex Marthace Samaritide, filiamq; Olympiadem, quam frater eius Iosippus habuerat: ex Hierosolymitide uero Cleopatra Herodem & Philippū, necnon

Vxores & proles Herodis, earūq; coniugia.

ex Pal

ex Palla de Phaſelū. Habebat autem filias quoq; alias, * Boſamen & Salomen: unam ex Phædra, & alteram ex * Ioppide: duasq; uxores ſine filijs, conſobrinam & ſororem, & præter has Alexandri & Ariſtobuli ſorores duas ex Mariamne. Cum igitur tanta prolis copia ſupereſſet, aliter nuptias iungi poſtulabat Antipater. Rex autē perſpecto eius animo, quid de pupillis cogitaret, uehementer iratus eſt: quippe filiorum quos interfecerat caſum reputans, reputabat, ne etiam hi quandoq; criminationum Antipatri præmium fierent. Sed tunc quidem ſæuioribus dictis eum protelat. Poſtea uero blāditijs eius adductus, ſponſalia reformauit: ac primum ipſi Antipatro Ariſtobuli filiam collocat, filium uero eius iungit filiæ Pheroræ. Hinc licebat aduertere, quantum Antipatri ualuerit adulatio, quod idem in ſimili cauſa impetrare Salome non potuit. Hanc enim quamuis ſoror eſſet, atq; hoc ſæpe intercedente Iulia uxore Cæſaris poſtulaſſet, Arabum regi Sylæo nubere non paſſus eſt: ſed inimiciſſimam ſibi fore iurauit, niſi ab hoc ſtudio deſtitiſſet. Poſteaq; inuitam Alexæ, cuidam ex amicis ſuis, in matrimonium dedit: eiusq; filiarum unam Alexandri filio, alterā Antipatri auunculo tradidit. Natarum autem Mariamnes una, ſororis filium habebat Antipatrum, altera fratris Phaſelum. Sic * interempta pupillorum ſpe Antipater, & pro ſua commoditate affinitatibus iunctis, expectatione certa nitebatur: adiectaq; malignitati fiducia, nequaquam erat tolerabilis: nam quia ſingulorum odium uitare non poterat, ſecuritatem ſibi ex terrore quærebat: cū præterea Pheroras ei ueluti iam confirmato regi obſecundaret. Quin & mulierum conflata in aula conflictio, nouas turbas excitabat. Etenim Pheroræ uxor cum matre ac ſorore ſua, necnon & matre Antipatri, multa in regno inſolenter agebat: auſa etiam duas regis filias cōtumelioſe tractare: cui rei maxime ab Antipatro erat abiecta. Itaq; cum illi inuiſæ eſſent, alias quidē morigeras habebāt: ſola uero Salome aduerſabatur eorum concordiæ: quodq; non bono regis coirent, apud ipſum inſimulabat. Cognita uero eius delatione, mulieres (quodq; Herodes ægre tuliſſet) aperto quidem cōuentu & familiaritate abſtinuerunt, contra uero & diſcordare inter ſe rege audiente ſimulabant. Cum his adeo colluderet Antipater, ut palàm Pheroram minime dubitaret offendere, occultos autem cœtus & nocturnas comeſationes agebant: earumq; conſenſionem fecit obſeruatio firmiorem: cum horum nihil ignoraret Salome, ſed Herodi cuncta nunciarat. Ille autem ardens iracundia, maximeq; aduerſus Pheroræ cōiugem, quod eam præter cæteras accuſaret Salome, aduocato cognatorum amicorum conſilio, & talia multa mulieris & filiarum contumelias crimini dedit, quodq; Phariſæis mercedem contrà ſe præbuiſſet, fratremq; ſibi hoſtem reddidiſſet expugnatum uenenis. Poſtremo conuerſus ad Pheroram, utrum, ait, ſe fratrem an uxorem uellet optare? Cumq; ille ſe citius uita dixiſſet quàm coniuge caritu rum, incertus quid ageret, ad Antipatrum ſermonem contulit: ac ne cum Pherora, uel eius coniuge, aut quouis alio, qui ad eam pertineret, unquam colloqueretur edixit. Verum ille palàm præcepta cuſtodiens, in occulto cū his pernoctabat: metuensq; obſeruationem Salomes, per amicos in Italia degentes, ut Romam proficiſceretur, effecit: ipſorum perlatis literis, ubi Antipatrum alí-

Aliàs Rex emanam. *Aliàs Helpide.* *Aliàs incorrupta. An. lib. 17 cap. 1.* *An. lib. 17 cap. 4.*

quanto poſt tempore ad Cæſarem mitti oportere perſcriberent. Igitur Herodes nihil moratus, eum miſit: cunctis quæ uſui forent, magnaq; pecunia liberaliter inſtructum, teſtamentumq; unà portandum ei dedit, in quo rex ipſe Antipater inſcriptus erat, & Antipatri ſucceſſor Herodes, ex Mariamne pontificis filia procreatus. Quin & Sylæus Arabs itidem Romam, neglecto Cæſaris præcepto, nauigauit: de his cum Antipatro certaturus, de quibus cum Nicolao cauſam ante dixerat. Non leue aũt cũ Areta rege ſuo certamẽ habebat, cuius & alios amicos interfecerat & Soëmum in Petra oppido potentiſſimum, redemptoq; Fabato diſpenſatore Cæſaris fautore utebatur etiam in Herodem. Sed maiore pecunia data Herodes Fabatum à Sylæo remouit: ac per ſemetipſum quæ Cæſar iuſſerat exigebat. Ille autem cum nihil dediſſet, accuſabat apud Cæſarem Fabatũ, diſpenſatorẽ eſſe dicens, non quæ ipſi, ſed quæ Herodi expedirent. Quibus cõmotus ad iracundiam Fabatus, adhuc autem apud Herodem in honore maximo habebatur, ſecretorum Sylæi proditor factus eſt, regiq; indicauit, quod Sylæus Conrinthium eius ſatellitẽ pecunia corrupiſſet, eumq; aſſeruari oporteret. Neq; rex id facere dubitauit: quoniam Corinthius iſte, licet in aula regis eſſet educatus, ex Arabia tamen fuerat oriundus. Igitur mox non illum ſolum corripi, ſed etiam duos alios Arabas iuſſit apud eum repertos, unum Sylæi amicum, alterũ Philiarchum. Qui ſubditi quæſtioni, magna pecunia Corinthio ut Herodẽ occideret, perſuaſiſſe confeſſi ſunt. Illi quidem etiam à Saturnino rectore interrogati, Romam tranſmiſſi ſunt.

De ueneno Herodi parato, & quomodo compertum ſit. Caput XIX.

HErodes autem Pheroræ uehementius imminebat, ut repudiaret uxorem. Aliquid enim quod mulierẽ plecteret excogitabat, quia multas in eã odij cauſas haberet, donec ipſum etiam fratrem cum ea ſupra modum indignatus eiecit. Pheroras autem æquo animo accepta iniuria, in tetrarchiam ſuam receſſit, iuratus unum ſibi exilij finem fore mortem Herodis, neq; ad eum reuerſurũ eſſe dum uixerit. Deniq; nec ægrotum, quamuis ſæpe accitus fratrem uiſere uoluit, cum quibuſdam mandatis eum quaſi moriturus uellet inſtruere. Sed ille quidẽ præter ſpem cõualuit. Poſtmodum aũt Pheroras in morbum incidit, tumq; Herodis patientia demonſtrata eſt. Nam & uenit ad eum, & hũmaniſſime curatũ uoluit: ſed morbũ ſuperare non quiuit: in diebus enim paucis eſt mortuus. Quẽ licet uſq; ad ultimum uitæ diem dilexiſſet Hexodes, tamen quod illum quoque ueneno peremiſſet, fama uulgatum eſt. Verum eius corpore in Hieroſolymam portato, luctum maximum cunctæ genti denunciauit, clariſſimaq; funus ſepultura dignatus eſt. Vnus quidem interfector Alexandri & Ariſtobuli, hunc exitum uitæ ſortitus eſt. Tranſijt autem in Antipatrum autorem pœna ſceleris, ex interitu Pheroræ nacta principium. Quidam enim ex eius libertis, cum regem triſtes adijſſent, fratrem ipſius Pheroram ueneno interceptum eſſe dicebant. Nam quendam ei cibum obtuliſſe coniugem ſuam, non eo quo ſolebat modo conditum: eoq; ſumpto illum morbo protinus eſſe correptum. Veniſſe autẽ ante biduum, matris ac ſororis eius accitu, quandam ueneficam mulierculam ex Arabia

Pheroras moritur.

An. lib. 17 cap. 5.

ex Arabia, ut uenenum Pheroræ conficeret amatorium: & pro amatorio dedis se mortiferum Sylæi consilio: nanq; illi notum fuisse. Perculsus igitur plurimis suspicionibus rex, ancillas & nonnullas libertinas quæstioni subiecit. Ibiq; tum exclamat aliqua doloris impatiens: Deus cœli terræq; rector, in matrem Antipatri, quæ horum nobis malorum causa est, uindicet. Hoc rex initium nactus, persequebatur ulterius indaginē ueritatis. Mulier uero & matris Antipatri familiaritatē cum Pherora eiusq; uxoribus, & occultos eorum conuentus aperuit: quodq; Pheroras & Antipater redeuntes à rege, tota cum illis nocte potare soliti essent, seruis omnibus exclusis & ancillis. Vna quidem libertinarum hæc indicauit. Cum autem ancillæ separatim singulæ torquerentur, patuit omnium dicta congruere: qua de causa Romam quidem Antipater ex composito, Pheroras uero trans flumen secedere curauisset. Nam sæpe illos in sermone dixisse, quod post Alexandrum & Aristobulum ad ipsos eorumq; coniuges transiturus esset Herodes. Nec alicui posse parcere, qui Mariamnæ eiusq; filijs minime peperciisset: ideoq; melius esse, ab hac belua quàm longissime fugere. Sæpe autem dixisse matri Antipatrum conquerentem, quod cum ipse iam canus esset, pater in dies singulos iuuenescceret, secq; fortasse priusquam regnare incipiat moriturum: aut si unquam ille decesserit, (quando autem istud fiet?) uoluptatem sibi successionis omnino fore breuissimam. Pullulare præterea hydræ capita, hoc est, Alexandri & Aristobuli filios: sibi autem filiorum quoq; spem ademptam esse patris iniuria: qui non eorum quenquam post mortem suam regni successorem, sed Mariamnes filium scripsisset hæredem. Qua quidem in re prorsus eum senectute delirare, si testamento suo standum abitraretur. Se nanq;, ut ex eius progenie nemo superesset, curaturum: Quinetiam cum omnes patres, quibus inuisi unquam filij fuerunt, odio uincat: plus tamen eum etiam fratres odisse. Deniq; nuper sibi, ne cum Pherora colloqueretur, centum talenta donasse: atq; cum Pheroras diceret, quid enim per nos lædebatur? respondisse Antipatrum, utinam cunctis ablatis nudos se dummodo uiuos relinqueret. Verum hoc nequaquam fieri posse, ut tam pestiferam bestiam quisquam effugiat, sub qua nec amicis esse palàm liceret. Deniq; nunc occulte, inquit, cōuenimus: licebit autem aperte, si uirorum spiritum manusq; habeamus. Hæc in tormentis ancillæ prodiderūt, & quod Pheroras cum illis Petram fugere cogitasset. Vt omnibus autem dictis Herodes crederet, centum talentis effectū est. De his enim soli Antipatro dixerat. Igitur ante alios in Dosidē Antipatri matrē, furor eius erūpit: camq; omni ornatu, quem illi donauerat, spoliatam, multis comparato talentis, expellit. Deinde ira deposita Pheroræ, mulieres à tormentis recreabat. Timore autem pauidus erat, & ad omnes suspiciones excitabatur: multosq; innocentes metu, ne quem nocentium prætermitteret, in tormenta ducebat. Hinc ad Samaritam se cōuertit Antipatrum, qui procurator erat Antipatri, & ex illius tormētis comperit, necandi sui causa ex Aegypto Antipatrū uenenum malū petijsse, per aliquem Antiphili collegam: idq; ab eo Antipatri auunculū accepisse Theudionē, ac Pheroræ tradidisse: cui mandasset Antipater, ut Herodē occideret, dum ipse Romæ abesset, ac suspicione careret: Pheroram *Antipater Samarites*

uero uenenū uxori ſuæ dediſſe ſeruandū. Itaq; hanc euocatam, ſtatum rex quod acceperat afferre iubet Illa uero quaſi allatura egreſſa, de tecto ſe præcipitem dedit, ut eo modo probationis & regis uerbera præueniret. Sed dei prouidentia, ſicut apparet, quæ ab Antipatro pœnas repeteret, non in caput, ſed in alteram delata partem, periculum mortis euaſit. Portataq; ad regem, ubi reſipiſcere potuit, (nam caſus eam perturbauerat) & quamobrem ſe præcipitaſſet interrogata, adiurante rege, quod uera dicenti remitteret omne ſupplicium: ſin falſa promere maluiſſet, corpus eius tormētis abſumeret, neq; ſepulturæ quicquam reliqueret. Pauliſper tacuit: deinde: quid, inquit, ſecreta cuſtodio, cum Pheroras obierit, Antipatro qui nos omnes perdidit ſeruitura? Audi rex, & tecum deus teſtis mihi ueritatis, qui falli non poteſt. Cum Pheroræ morituro lachrymans aſſiderem, tūc ille me ad ſe uocauit: En multū, inquit, mulier de fratris erga me animo ſum deceptus. Nā qui ſic me diligeret, inuiſum habui, & necare cogitaui: qui tanto nūc mei, quamuis nec dum mortui, dolore confunditur. Sed ego quidem ob impietatem precium fero: tu uero quod in eum ſeruas, relictum nobis ab Antipatro uenenum, huc affer propere, meq; uidente conſume, ne ad inferos quoq; ultricem huius ſceleris conſcientiam deferam. Ita ut iuſſit attuli, & magnam quidem uenenī patrem ſub obtutibus eius in ignem effudi: modicum uero mihi propter dubios caſus, & quæ te metuerem, reſeruaui. His dictis, illa quidem omnino paululum quiddam ueneni habentem pyxidem profert. Rex quidem in matrem fratremq; Antiphili contulit quæſtionem. Verum hi quoq; Antiphilum ex Aegypto attuliſſe pyxidem fatebātur, illumq; uenenum à fratre apud Alexandriam exercente medicinam accepiſſe dicebant. Totum autem regnum circumeuntes Alexandri & Ariſtobuli manes, ipſi erant incertarū rerum exploratores atq; indices, & à ſuſpicionibus remotiſſimas approbationes trahebant. Deniq; etiā pontificis filiam Mariamnen, conſciam eſſe maleficiorum patuit. Hoc enim tortis eius fratribus demonſtratum eſt. Rex autem matris audaciam filij quoq; penuria coërcuit. Nam quem illa pepererat Herodem, patri ſucceſſorem ſcriptum ex teſtamento deleuit.

Mariamne uenefici orū conſcia.

De Antipatri in Herodem malignis ſtudijs deprehenſis & ultis. Caput XX.

Bathillus apprehenſus.

POſt hæc etiam Bathillus, nouiſſima conſiliorum Antipatri fides documentis acceſſit. Nanq; is erat quidem libertus eius: aliud autem uenenum ferēs, hoc eſt, aſpidum uirus, aduenerat, aliorumq; ſerpentum ſuccos: ut ſi prius fuiſſet inualidum, hoc ſe Pheroras cum ſua coniuge in regem armaret. Idem uero præter ſuſceptam contra ſalutem patris audaciam, uelut operam ſubciſiuam, habebat epiſtolas aduerſum fratres compoſitas ab Antipatro. Erant autem Romæ in ſtudijs Archelaus, & Philippus, iam aduleſcentuli, magnicq; animi, regis filij, quos Antipater uelut imminentes ſpei ſuæ remouere feſtinans, quaſdam in eos literas ipſe finxit, amicorum nomine Romæ degentium. Nonnullis autem corruptis ſcribere perſuaſit, quod multis patrem maledictis caperent, ac de Alexandri & Ariſtobuli nece manifeſte quererentur, ſéque accitos eſſe grauiter ferrent: iam enim pater eos redire præceperat, idq; maxime

Doli Antipatri in Archelaum & Philippum.

ſolici-

ſolicitabat Antipatrum. Quinetiam priuſquam proficiſceretur, in Iudæa conſtitutus Antipater, eiuſdem modi contra eos Romæ literas mercabatur patrēq; adeundo uitandæ ſuſpicionis cauſa, fratres purgare ſimulabat: quædam falſa ſcripta, quædam uero aduleſcentiæ peccata eſſe commemorans. Quo quidem tempore ſcriptoribus epiſtolarum, quas in fratrum perniciem ſimulabat, pluribus pecunijs datis, ſumptuum confundere tentabat indicia, ueſtē precioſam, uariaq; ſtragula, poculáq; argentea, necnon & aurea comparanda, aliáq; plurima inſtrumenta, ut preciorum magnitudine mercedes falſarijs erogatas cælaret. Denicq; ducenta talenta retulit expenſa, & eorum maxima fuit occaſio cauſa Syllæi. Vniuerſis autem malis eius tunc minoribus maiore contectis cum omnia quidem tormenta de parricidio, epiſtolæ uero de iteratis fratricidijs conclamarent, nemo tamen ex Iudæa uenientium, quo loco fortunæ domus eſſent ei nunciauit, quamuis inter ſcelus probatum & ipſius reditum ſeptem menſium interualla fluxiſſent. Ita erat inuiſus omnibus. Fortaſſe autem etiam quibus indicandi uoluptas fuit, per interfectorū fratrū manes obmuteſcebant. Denique Roma literas miſit, continuo ſe uenturum eſſe, quodq; honorifice dimiſſus eſſet à Cæſare nuncians. Rex autem inſidiatorem manibus tenere deſiderans: timensq; ne ſi quid præſciſſet, forte caueret, ipſe quoq; literis beneuolentiam ſimulans, & alia familiariſſime ſcripſit, & ut reuerſionem ſuam maturaret orauit. Nam ſi properaſſet, matris ſuæ quoq; offenſionem poſſet componere, quā expulſam eſſe non ignorauit Antipater. Primam quidem iam de morte Pheroræ ſuſceperat epiſtolam apud Tarentum, eumq; uehementer luxerat: id autem nonnullis de patruo laudabile uidebatur: ſed quantum intelligi datur, cauſa doloris erat, quod inſidiæ pro uoto non ceſſerant. Neq; tam Pheroram flebat quàm maleficiorum miniſtrum. Præterea metus eum quidam ob ea quæ cōfecerat occupabat, ne quando forte deprehenderetur uenenum. Tunc autem in Cilicia patris epiſtola ſibi reddita, quam ſupra memoraui, ſtatim quidem feſtinabat: ſed poſtquam in Celendrim delatus eſt, ſubit eum quædam materni caſus cogitatio, anima iam per ſemetipſam diuinante. Et amicorum quidem prudentiores ei ſuadebant, ne prius patrem conueniret, quàm pro certo cognoſceret, quibus ex cauſis matrem ſuam repudiaſſet. Nanq; timere, ne forte criminationes eius auctæ fuiſſent. Minus autem prudentes, & uiſendæ patriæ cupidi magis, quàm quid Antipatro eſſe utile conſiderantes, ut properaret monebant, ne ex ipſa mora & patri cauſam prauiæ ſuſpicionis, & occaſionem præberet calumniantibus. Nunc enim ſi quid motum eſt, in abſentem eſſe factum, nec enim præſente illo quenquam id auſurum fuiſſe. Abſurdum autem uideri, propter ſuſpiciones incertas certis bonis carere, neque mature ſe patri reddere, ab eoq; regnum accipere, quod ſolo ipſo niteretur. Paruit his Antipater, impellente fortuna, tranſmiſſusq; in Sebaſtum Cæſariæ portum defertur. Occurrit autem illi præter opinionem maxima ſolicitudo cum omnes eum deuitarent, nullusq; auderet accedere. Nam & ſi ſemper æque inuiſus erat odio, tamen ut proderetur, tūc data libertas eſt. Multos autē auertebat ex rege formido, quoniam cunctas iam ciuitates de Antipatro fama repleuerat, ſolusq; de ſe

An. lib. 18. cap. 8.

Antipater euocatur Roma.

Male ſibi cōſcius Antipater dolet Pheroræ mortem.

quid

quid ageretur Antipater ignorabat. Nec enim uel darius eo quiſquã deductus eſt,cum Romam nauigaret,& ignobilius inde ſuſceptus eſt.Enimuero clades ille domeſticas intelligens,calliditate cælabat,metúq; penè mortuus,uultu confidentiam ſimulabat.Et neq; fugæ ſpes ulla erat,neq; circunſtantibus malis emergere poterat:certumq; nihil ei de domo,ne ibi quidem nuntiabatur:id enim regis interminatio prohibuerat.Vnde interdum etiam ſpes eum pertentabat hilarior,aut nihil eſſe deprehẽſum,aut ſi quid eſſet,hoc ſeſe impudẽtia ſua diluiturũ ac dolis,quæ ſola inſtrumẽta ſalutis haberet.Itaq; his armatus,ſine amicis in regiam uenit,quod à prima ianua cum iniuria ſunt repulſi.Forte autẽ Varus Syriæ rector intus aderat.Ingreſſus inde ad patrem,confirmatusq; audacia,uelut eius ſalutãdi cauſa, propius accedebat:Cum ille obiecta manu,& capite declinato,exclamabat:Et hoc parricidæ eſt,ut me amplexari uelis,qui tot maleficijs inuolutus ſis,corrumpitur impium caput:neq; me attingas, priuſquã criminibus te exuas.Dabo enim tibi iudicium & iudicem,qui opportune præſto eſt, Varũ. Abi,& quemadmodum te purges in diem craſtinum meditare. Nam & tempus indulgeo calliditatibus tuis.Ad hæc metu obſtupefactus Antipater, quia reſpondere nihil potuit,reuerſus eſt.Cum autẽ ad eum ueniſſet mater & uxor, cunctas ei probationes expoſuerunt.Tumq; recepta mente, quo pacto ſeſe defenderet cogitabat.Poſtero autem die rex adhibito propinquorum atq; amicorum conſilio, Antipatri quoq; amicos uocat. Ipſe autem cum Varo reſidens, cunctosq; iudices iuſſit adduci, in quibus erant etiam ſerui matris Antipatri quidam pridem comprehenſi, qui ab ea literas ad eum deportauerunt huiuſcemodi:Quoniã illa omnia patri tuo cognita ſunt,caue ne ad eum uenias,niſi aliquod auxilium à Cæſare impetraueris.Itaq; his unà cum alijs introductis,ingreditur Antipater. Cũq; pronus ante pedes patris cecidiſſet: oro,inquit,pater,ne quid de me præiudices, ſed integras aures ſatiſfactioni meæ præbeas.Demonſtrabo enim me innoxium, ſi tu uelis.Ille autem magna uoce imperato ei ſilentio,ad Varum locutus eſt:Quod & tu Vare, & quiuis iuſtus iudex, Antipatrũ morte dignum iudicauerit, certe ſcio. Vereor autem ne mea quoq; tibi ſit inuiſa fortuna,omniq; calamitate dignũ deputes,qui tales filios genuerim. At quin hoc tibi magis miſerandus uideri debeo, quod erga tam ſceleſtos indulgentiſſimus pater fui. Nam illis prioribus adhuc aduleſcentulis regnum detuleram, eosq; Romæ educatos amicos Cæſaris feceram:ſed quos alijs inuidendos regibus æmulandosq; conſtitui,meæ ſalutis hoſtes inueni, quorum tamen interitus Antipatro magis profuit. Iſti enim, quod aduleſcens & ſucceſſor meus futurus eſſet,maxime ſecuritas quærebatur.At uero hic aduleſcentulus,belua, patientia mea ſupra quàm ſatis erat expletus,in me ſatietatem ſuam profudit,eiq; diu uiuere ſum uiſus, meamque ſenectutem grauiter tulit, rexq; fieri non niſi parricidio paſſus eſt:quæ quidem profecto noui qua ratione cogitauit:quod eũ ex agro abiectum reduxerim,& excluſis quos mihi regina pepererat filijs, regni mei uicarium declarauerim.Equidem tibi Vare confiteor meæ mentis errorem. Ego ille contra me filios iritaui,qui Antipatri gratia ſpes eorum iuſtas abrupi. Quid enim tantum de illis,quantum de iſto bene ſum meritus? cui uiuus etiam poteſtatem

Antipater ad patrẽ ingreditur.

Herodes apud Varũ accuſat Antipatrum.

poteſtatem meam penè conceſſi: aperte autem regni ſucceſſionem testamento reliqui, & præter deſtinatos ei ſeparatim quinquaginta reditus talentorum, ſumptum paſſim mea pecunia ſubminiſtraui: ac nuper Romam quoq; nauigaturo dedi trecenta talenta: quemq; ſolum ex omni familia mea, tanquã patris ſeruatorem, Cæſari commendaui. Aut quid illi tantum ſceleris, quantum Antipater admiſerunt, quódue de his habui tale iudicium, quale demonſtraui huius inſidias? etiam approbo, qui auſus eſt aliquid parricida, rurſumq; ueritatem dolis ſperat obtegere: quod tibi Vare cauendum ſit. Nam ego iſtam beluã noui, & quàm ſit ueriſimilia dicturus, iam nunc proſpicio, fletusq; ſimulatos. Hic eſt qui me quondam monebat, ut uiuum Alexandrum cauerem, neq; meũ corpus oibus crederẽ. Hic eſt qui uſq; ad cubile meũ ſolebat ingredi, & circunſpicere ne quis mihi forte paraſſet inſidias. Hic ſomni mei cuſtos erat, & ſecuritatis dator, q; conſolaretur ſomniũ peremptorũ, & uiuentiũ fratrũ benetuolẽtiam dijudicaret. Hic propugnator & ſatelles meus. Cum eius callidĩtas Vare in mentem uenerit, & quem admodum ſingula ſimulaſſet, uix me credo uiuere, tamq; graue inſidiatorem quo pacto effugerim miror. Veruntamen quia fortuna quædam excitat contra me domum meam, mihiq; amiciſſimi ſemper infenſi ſunt, ego quidẽ fatorum iniquitatem flebo, & mecum ipſe ſolitudinem gemã. Nemo autem qui meum ſanguinem ſitierit elabetur, etiamſi per omnes filios meos indicia uentura ſint. Hæc dicens, ipſe quidem interrupto ſermone tacuit, dolore confuſus. Nicolao autem uni ex amicis probationes iuſſit exponere. Inter hæc autem Antipater ſublato capite, cum proſtratus ante patris pedes maneret, exclamat: Tu pater meas partes defendiſti. Nam quomodo ego parricida, quẽ tu ſemper ſeruatorem te habuiſſe cõmemoras? Aut ſi ficta, ut dicis, ſimulataq; mea pietas fuit, cur in alijs tam callidus, in hoc adeo demens fui, ut non intelligerem, quod ſi homines lateret tanti ſceleris cogitatio, cœleſtem latere iudicem omnino nõ poſſet, qui ubiq; præſto eſſet, & cuncta conſpiceret? An fratrum exitus ignorabã, quos ob id deus ultus eſt, quia de te male tractauerant? Quid autẽ fuit cur me tua ſalus offenderet? Spes regni? Sed regnabam. Odij ſuſpicio? Sed diligebar. An ex te metus aliquis? Quin tui ſeruans, alijs timendus eram. Sed egeſtas cauſa fuit? Multo minus. Quis enim magis expenſarum habuit poteſtatem? Si autem omnium hominum perditiſſimus eſſem, immaniſq; beſtiæ animũ gererem, certe manſueti patris beneficijs uincerer: quem, ſicut tu dixiſti, reduxeris, totq; filijs antepoſueris, uiuusq; regem declaraueris, aliorumq; bonorũ magnitudine reddideris inuidendum. O me miſerum, acerbiſſimamq; peregrinationem meam, quam longo labori tempus magnumq; inſidiantibus ſpatium præbuit. Sed tamen tibi pater tuiſq; rebus abieram, ne Sylæus tuam contemneret ſenectutem. Roma mihi teſtis eſt pietatis, & princeps orbis terræ Cæſar, qui me patris amatorem ſæpe uocitabat. Accipe pater has eius literas, fictis in me criminationibus ueriores: hiſque me defendo. Hæc affectus erga te mei argumenta certiſſima recordare, quàm ingrate hinc nauigauerim, latentes in regno contra me inimicitias non ignorans. Tu pater inuitus me perdidiſti, tu compuliſti ut darem accuſandi tempus inuidiæ. Verum ad indicia ueniam. Ecce adſum, ter

Reſpondet Antipater.

ſum terra mariq; nihil uſquam parricida perpeſſus. Sed nondum me hoc argumento diligas. Nam & apud deum, & apud te pater, condemnatũ me eſſe ſcio. Condemnatus autem deprecor, ne aliorum tormentis fidem habeas, in me feratur ignis, per piſcera mea pergant inſtrumenta pœnarum, ne parcas ſceleſto corpori. Nam ſi parricida ſum, tormentorum expers mori non debeo. Talia cum lachrymis atq; ululatu uociferans, & omnes alios, & Varum ad miſericordiã prouocauit: ſolum autem Herodem, quo minus fleret, iracũdia continebat, documẽtis ueris intentũ. Ibi aũt. Nicolaus, iuſſu regis multa de Antipatri calliditate præfatus, & miſericordiæ ſpem abſtulit, & atrociſſimam accuſationem inſtituit, cuncta quidem regni maleficia illi aſcribens: maxime uero fratrum interitum, quos ipſius calumnijs interfectos eſſe demonſtrans, etiam ſuperſtitibus eum inſidiari quaſi ſucceſſionis captatoribus affirmabat. Nam qui patri uenenũ paraſſet, multo minus à fratribus abſtineret. Cum autem ad ueneni probationẽ ueniſſet, per ordinem proferebat indicia, etiam de Pherora crimen exaggerans, ueluti illum quoq; Antipater fratricidam feciſſet, corruptiſq; regis amiciſſimis, ſcelere omnẽ domum repleuiſſet. Atq; ita multis alijs dictis exprobratis perorauit. Varus autem cum reſpondere iuſſiſſet Antipatrũ, & ille nihil amplius elocutus, quàm, deus teſtis eſt innocentiæ meæ, ſilensq; iaceret, uenenum petit, idq; alicui damnatorum capitis ex cuſtodijs bibendum dedit: eoq; ſtatim mortuo, quædam in ſecreto cum Herode ſermocinatus, geſta in concilio Cæſari ſcripſit. Poſteroq; die inde diſceſſit. Nihiloq; minus rex Antipatro uinculis tradito, cladis ſuæ nuntios ad Cæſarem miſit. Poſt hæc Salomen appetiſſe inſidijs arguebatur Antipater. Quidam enim de ſeruis Antiphili Romam uenerat, epiſtolas ferẽs alicuius Agmes nomine, ancillæ Iuliæ: quibus ad regem ſcriptis, indicauerat Salomes epiſtolam inter literas Iuliæ repertam, clàm ei beneuolentiæ cauſa miſiſſe. Ipſius autem Salomes epiſtolis & maledicta in regem acerbiſſima, & accuſatio maxima continebantur. Sed omnes ab Antipatro erant fictæ: isq; Agmen pecunia corruptam, ad Herodem eas mittere perſuaſerat. Epiſtola enim eiuſdem mulierculæ ad ipſum ſcripta id prodidit, cuius uerba hæc ſunt: Sicut uoluiſti patri tuo ſcripſi, & alias epiſtolas miſi, certo ſciens, regẽ ſorori ſuæ minime poſſe parcere, ſi eas recitauerit. Bene autem facies, ſi conſummatis omnibus, pollicitationum tuarum memor fueris. Hac epiſtola & quæ in Salomen ſunt compoſita deprehenſis, regem ſubijt cogitatio, ne forte etiam Alexander falſis epiſtolis fuiſſet compreſſus: quodq; penè ſororem propter Antipatrũ occidiſſet, anxius erat. Itaq; non eſt ultra cunctatus, quo minus ab eo ſumeret omnium cauſa ſupplicium: ſed ne propoſitis ſatisfaceret, graui morbo impeditus eſt. De Agme tamen ancilla, & in Salomen factione conflata, dedit literas ad Cæſarem: ac propterea teſtamento mutato exemit nomen Antipatri, regemq; ſcripſit ex Archelao & Philippo natu maiorem. Nam & hos Antipater inſimulauerat. Cæſari autem poſt alia pecuniaria munera mille talenta, & uxori eius ac filijs, itẽq; amicis & libertis, propè quinquaginta, cæteriſq; omnibus agrorum & pecuniarum non parum diſtribuit, ac ſororem Salomen dariſſimis donis honorauit. In teſtamento quidem iſta correxit.

Profertur Varo uenenum.

Epiſtola Agmes ad Antipatrũ.

De Aqui-

De Aquila aurea, morteq; Antipatris & Herodis. Caput XXI.

MOrbus autē ingraueſcebat, quod eum ſenectus pariter ac mœror urgeret: & annos iam ſeptuaginta natus eſſet: & filiorum cladibus animum adeo habebat afflictum, ut nec in bona ualetudine quicquam iucunditatis admitteret. Acriorem autem faciebat ægritudinem, quod Antipater uiueret. Hunc enim nō opere ſuperuacuo, ſed cum ipſe conualuiſſet, cogitabat occidere. Ad has ei calamitates accidit etiam populi quidam tumultus. Erant in ciuitate ſophiſtæ duo, qui ſumme ſcire leges patrias uidebantur: & propterea per omnem gentem maxima gloria prædicabantur, Iudas filius Sepherei, & alter Magnali Mathias. Hos non pauci adoleſcentium ſectabantur, cum leges exponerent, & in dies ſingulos pube rum exercitum cōgregabant. Qui cum regem audiſſent mœrore ac morbo tabeſcere, apud notos loquebantur, opportunū iam tempus eſſe, ut deus uindicaret, fabricatáq; aduerſus leges patrias opera deſtruerentur. Siquidem in templo nefas ſit, imagines aut uultus, aut cuiuſlibet animalis cognomine ſimulacrum habe ri. Hoc propterea dicebatur, quod ſupra maximam portam templi rex aquilam collocauerat auream. Eamq; tunc monebant ſophiſtæ ut tollerent: pulchrum eſſe dicentes, etiam ſi quod inde periculum immineret, pro legibus patrijs mori nō recuſare: ſic enim decedentibus, & animam immortalem, & bonarum rerum ſenſum perſeuerare perpetuo: minus autē fortes, & ſapientiæ ſuæ neſcios amare animam imperitia: magiſq; morbo cupere, quàm uirtute defungi. Dum hæc illi diſſererent, rumor ſubito peruagatur, regem ferè iam mori: unde etiam cōfidentius adoleſcentes conamen adorti ſunt: ipſoq; meridie, cum plurima multitudo uerſaretur in templo, craſſis demiſſi funibus, aquilam ex tecto auream ſecuribus abſcidebant. Qua re ſtatim regis duci nunciata, nō parua ille manu comitatus ad templum cucurrit: & propè ad quadraginta iuuenes cōprehenſos, regi exhibuit. Qui primum interrogati, an aquilam ipſi auream concidere auſi eſſent, feciſſe confeſſi ſunt: deinde quo iubente, lege patria reſponderunt. Cum uero, quid exultarent tantum, quibus mors immineret, ab his quæreretur: quia poſt mortem bonis plurimis frui ſperarent, aſſeruerunt. His itaq; rex cōmotus, magnitudine iracundiæ morbum ſuperat, atq; in cōcionem procedit. Deinde multum in eos quaſi ſacrilegos inuectus, & quod occaſione legis patriæ quædam maiora tentaſſent, uelut impios ſupplicio dignos eſſe iudicauit. Populus autem metuens, ne per multos quæſtio iret, precabatur, ut primum facinoris ſuaſoribus, deinde in eo deprehenſis pœnæ ſubditis, cæteris indignationem remitteret. Tandem igitur exoratus, & ipſos rex qui funibus demiſſi erant cū ſophiſtis uiuos incendit. Et reliquos qui unà comprehenſi ſunt, obtruncandos carnificibus tradidit. Hinc totum eius corpus morbo occupatum uarijs doloribus deferebatur. Nam febris quidem nō mediocris erat: prurigo autem intolerabilis habebat omnem corporis ſuperficiem. Aſſiduis autem uexabatur colli tormentis, pedēsq; tanquam ex intercutis uitio tumuerant. Quin & inflatio uentriculi, putredóq; teſticulorum uermiculos generans: ac præterea creber anhelitus, & irrupta eum ſuſpiria membrorúmque omnium contractio fatigabat: ut qui hæc ad diuinitatem referrent, pœnas eas eſſe dicerent ſophiſtarum. Ille autem, quamuis cum tot uitiorum cruciatibus luctaretur,

An. lib. 17. cap. 8.

An. lib. 17. cap. 9.

retur,uitæ tamen cupidus erat,& remedijs excogitatis ſalutem ſperabat.Denique Iordanem tranſgreſſus,apud Calliroën aquis calidis utebatur: quæ in lacum feracem bituminis,quæ Aſphaltitis uocatur, effluentes, pro dulcedine potui ſunt: ubi autem corpus eius,quod medicis oleo calidiori foueri placuerat,in arcem plenam demerſum ita diſſolutum eſt, ut etiam lumina quaſi mortuus reſoluta torqueret.Deinde perturbatis qui eum curabant, ad clamorem quidem illorum reſpicere uiſus eſt.Deſperata uero ſalute,militibus quinquagenas drachmas, multámque pecuniam rectoribus atque amicis diuidi iuſſit. Cum autem rediens ad Hierichunta ueniſſet,atra iam bili correptus,& penè ipſi morti innitebat,factúmque nefarium excogitauit.Collectos enim cuiuſque uici ex omni Iudæa nobiles, in locum cui nomen eſt Hippodromũ,concludi præcepit. Deinde Salome ſorore & Alexandro marito eius ad ſe uocatis: ſcio,inquit,mortem meam feſtis gaudijs celebraturos eſſe Iudæos. Verum per alios lugeri potero, & prædariſſimos honores ſepulturæ aſſequi, ſi quæ præcipio feceritis: Hos uiros qui habentur in cuſtodia,cum animam efflauero,ſtatim militibus circundatos occidite: ut etiam inuita omnis mihi Iudæa, omniſque domus illachrymet. Et ſimul his mandatis,legatorum quos Romam miſerat epiſtolæ ſunt allatæ, quibus Acmen ancillam Iuliæ iuſſu Cæſaris interemptam, & Antipatrum morte damnatum eſſe,indicabatur.Quin & ſi pater eum in exilium dare mallet,id quoque permiſiſſe Cæſarem, ſcriptum erat.Herodes autem paululum hoc nuncio recreatus, doloribúsque rurſum uictus(nam inedia tuſſiſque pariter uiolentia diſtendebatur)fatum præuenire conatus eſt: ſumptóque malo, etiam cultellum popoſcit: ſectũ enim comedere cõſueuerat. Deinde circunſpecto ne quis arbiter impediret,tanquam ſe percuſſurus dexteram ſuſtulit. Cum uero Aciabus cõſobrinus eius accurriſſet, manúmq; continuiſſet, ululatus maximus in regia ſtatim,quaſi rex mortuus eſſet,excitatus eſt. Eóque propere audito, Antipater fiduciam repetit: lætúsque iam cuſtodes,promiſſa etiam pecunia,rogabat,ut ſe ſoluerent, atq; dimitterent: quod eorum princeps non ſolum ne fieret,obſtitit, ſed etiam regi uelociter nunciauit. Ille autem fortius exclamans, quàm uires ægrotantis ualebant, continuo ſatellitibus miſſis,occidit Antipatrum: mortuúmque ſepeliri præcepit in Hyrcanio. Deinde rurſum corrigit teſtamentum, & ſucceſſorem quidem Archelaum natu maximum Antipatri fratrem ſcripſit,tetrarcham uero Antipam.Poſt interitum autem filij,quinque diebus exactis, moritur: annos quidem triginta quatuor,ex quo interfecit Antigonum, regno potitus: triginta uero & ſeptem,poſtquam rex à Romanis declaratus eſt.Et in alijs quidem omnibus, ſecunda fortuna uſus eſt,ac ſi quis alius.Regnum enim quod priuatus ſibi quæſierat,tanto cõſeruatum tempore, filijs ſuis reliquit. In rebus autem domeſticis infeliciſſimus fuit.Salome autem,antequam reſciret mortem regis exercitus, cum marito progreſſa, uinctos abſoluit, quos occidi mandauerat: ipſum dicens mutaſſe conſilium,& unumquenque iuſſiſſe domum dimitti.Atque ita poſt hos abeuntes,militibus indicatur. Quibus in concionem cum alia turba in amphitheatrum apud Hierichunta collectis,Ptolemæus anuli regis cuſtos, quo ſignare ſolitus erat, & fortunatum illum eſſe cœpit dicere,& multitudinem conſolari.Relictámq; ab eo militibus

An. lib. 17. cap. 10.

An. lib. 17. cap. 11.

militibus epistolam recitauit, in qua multum rogabat, ut beneuolo animo successorem suum fouerent. Deinde post epistolam testamentum legebat, in quo Philippum quidem hæredem Trachonis, proximarúmque regionum: tetrarcham uero, sicut supra diximus, Antipam: regem autem Archelaum scripserat: eidémque anulum ad Cæsarem ferre mandauerat, assignatámque regni administrari noticiam. Omnium nanque dispositionum suarum dominum, & confirmatorem Cæsarem esse uoluit: cætera uero seruari iuxta superius testamentum. Quo perlecto, confestim clamor secutus est omnium Archelao gratulantium: militésque per cuneos & populos adeuntes, suámque promittebant, deicq; beneuolentiam precabantur. Hinc ad sepeliendum regem operam contulerunt. Nihil autem munificentiæ prætermisit Archelaus, sed omnem ornatū extulit regium in funeris pompa ducendum. Lectus quippe totus erat gemmis auróque distinctus, thorus autem purpura uariatus, corpusq; super eum uelatum itidem purpura. Capiti autem diadema erat impositum. Corona uero desuper aurea, sceptrúmque ad dexteram, & circa lectum filij cum propinquis. Præterea satellites, agménque tetrarchicum, Germanicq; & Galatæ uelut ad bellum instructi, omnes antecedebant. Cætera uero militum manus armata, ducésque suos ordinúmque principes sequebantur decenter. Quingenti autem serui ac liberti odores ferebant: corpus autem per ducenta stadia portatum est in castellum Herodion: ibicq; secundum ipsius regis mandata sepultum est. Et Herodis quidem regis hic finis fuit.

Pompa funeris Herodis & sepultura.

FLAVII IOSEPHI DE BELLO IVDAICO LIBER SECVNDVS.

De Successoribus Herodis, & ultione direptæ aureæ Aquilæ. Cap. I.

Vrbarum autem nouarum principium fuit Archelao Romam proficiscendi necessitas. Diebus enim septem in lugendo patrem consumptis, epulisq; ferialibus prolixe populo exhibitis (Hic autem mos apud Iudæos necessario multos ad inopiam redegit: Nam qui eum neglexerat, impius æstimabatur) candida ueste indutus, procedit ad templum. Ibicq; uarijs fauoribus exceptus à plebe, ipse quoq; in excelso tribunali, solióq; aureo residens, humanissime uulgus admisit: eisq; & quod sepulturam patris sedulo curauissent, gratias egit, & quod sibi quasi certo iam regi, magnos honores habuissent. Verum se tamen, ait, non potestate solum interim, sed etiam ipso regis nomine temperare, donec à Cæsare sibi fuerit confirmata successio, qui etiam testamento rerum esset omnium dominus constitutus. Idcirco enim se apud Hierichunta uoluntati exercitus restitisse, cum sibi diadema uoluisset imponere. Cæterum alacritate ac beneuolentia, æque militibus etiam populo plenam se uicissitudinem relaturum, si ab his, quorum etiam esset imperium, certus rex declaratus fuis-

An. lib. 17. cap. 11.

tus fuiſſet: ſtuidiumque ſibi eſſe, ut erga illos rebus omnibus patre melior appareret. His gauiſa multitudo, ſtatim eius mentem magnis tentare petitionibus cœpit. Nanque alij tributa leuari, alij uectigalia tolli, quidam ſolui cuſtodias acclamabant. Cunctis autem poſtulatis, in gratiam populi facile annuebat Archelaus. Deinde celebratis hoſtijs, cum amicis erat in epulis. Ecce autem ſubito poſt meridiem congregati non pauci, nouarum rerum ſtudioſi, ubi communis luctus de rege ceſſauit, propria lamenta ſuſcipiunt, flentes eorum caſum, quos propter abſciſſam ex porta templi aquilam auream Herodes morte damnauerat. Dolor autem non occultus erat, ſed dariſſimis queſtibus, fletúque iuſto & planctu ciuitas perſonabat, uirorum cauſa uidelicet, quos pro templo ac legibus patrijs interijſſe dicebant. Eorum autem mortis pœnas, ab illis quos Herodes pecunia donaſſet, repetendas eſſe damitabant: ac primum, quem is conſtituerat pontificem reijciendum, aliumque pietate præſtantem, magiſque purum optari debere. Quibus etſi mouebatur Archelaus ad ultionem, tamen eum profectionis feſtinatio continebat: metuens, ne ſi multitudinem reddidiſſet inimicam, motu eius impediretur. Quamobrem monendo magis, quàm ui experiebatur ſedare turbatos: miſſoque magiſtro militum, ut quieſcerent, eos rogabat. Sed illum ſeditionis autores, ubi ad templū uenit, priuſquam uerbum faceret, lapidibus perturbarunt, & alijs poſt eum mulcendi ſui gratia miſſis, multos enim legabat Archelaus, iracunde omnia reſponderunt. Neque ſi numero aucti fuiſſent, ocioſi fore uidebantur. Itaque inſtante azymorum die feſto, qui apud Iudæos Paſcha uocitatur, plurima uictimarum copia plenus, infinita quidem ad templum ex agris multitudo religionis cauſa deſcendit: cum illi qui ſophiſtas lugebant, in templo conſiſterent, nutrimenta ſeditioni quærentes. Hoc autem metu Archelaus, antequam omnē populum morbus iſte corrumperet, cohortem militum & chiliarchum qui etiam ſeditionis principes comprehenderent, eò dirigit: contra quos omne uulgus excitatum, multos lapidum ictibus interfecit. Saucius uero chiliarchus uix elabitur. Et illi quidem ſtatim, ueluti nihil mali actum eſſet, ad celebranda ſacra conuerſi ſunt. Sed Archelao ſine cæde iam multitudo comprimi non poſſe uidebatur. Quamobrem totum illis immiſit exercitum, pedites per ciuitatem ſimul omnes, equitéſq; per campum: qui cum ſacrificijs occupatos ſingulos inuaſiſſent, propè ad * nouem milia hominum occiderunt: reliquam uero manum per muros proximos deiecerunt. Præcones autem ſequebantur Archelaum, iuſſu eius unumquemque ut domum recederet, admonendo. Itaq; cuncti neglecta diei feſtiuitate, abiere. ipſe autem cum matre, necnon & Popla, & Ptolemæo, & Nicolao amicis, ad mare deſcendit: relicto Philippo regni procuratore, itémque rerum familiarium curatore. Vnà uero egreſſa eſt cum filijs ſuis Salome, fratriſque regis filij, genere que, ſpecie uelut Archelao ad obtinendam ſucceſſionem adiumento futuri: certa uero cauſa, quæ contra leges in templum admiſſa fuerant, delaturi. Interea ſit illis Cæſareæ obuiam Sabinus Syriæ procurator, ad Iudæam ueniens, ad pecunias cuſtodiendas Herodis. Quem ulterius progredi Varus inhibuit, multis accitus Archelai precibus, intercedente Ptolemæo. Et tunc quidem Sabinus in gratiam Vari, neque ad arces uenire properauit, neque theſauros paternæ pecuniæ

dauſit

An. lib. 17. cap. 12.

Alijs 3000.

Nauigatio Archelai.

dauit Archelao: ſed uſque ad cognitionem Cæſaris ſe otioſum manere pollicitus, apud Cæſaream commorabatur. Poſtea uero quàm ſibi obſtantium unus Antiochiam petijt, alter, hoc eſt, Archelaus Romã nauigauit, mature profectus in Hieroſolymam, regiam tenet: cuſtodumq; principibus, itemq; diſpenſatoribus euocatis, rationes pecuniarũ diſcutere conabatur, & arces occupare tentabat. Non tamen immemores Archelai mandatorũ cuſtodes erant, ſed in obſeruando ſingula quæque perſeuerabant, cauſam cuſtodiæ magis Cæſari, quàm Archelao tribuentes. Cum hoc autem Antipas quoq; de regno certabat, poſteriore ſuperius Herodis teſtamentũ firmius eſſe defendens, in quo rex ipſe Antipas fuerat ſcriptus: eiq; ſe tam Salome quàm multi alij cognati, qui cum Archelao nauigarant, ſuffragio fore promiſerant. Ducebant autem ſecum matrem, fratremq; Nicolai Ptolemæũ, in quo pro fide apud Herodẽ probata, nõ nihil uidebatur eſſe momenti. Nanq; illi fuerat amicorũ chariſſimus. Oratori aũt Irenæo propter dicendi acrimoniam plurimũ cõfidebat: unde etiam qui ſe monuerant, ut Archelao pro ætatis merito & ſecundi teſtamenti uoluntate cederet, audiendos eſſe nõ cenſuit. Romæ uero migrauerunt ad eum cunctorum ſtudia propinquorũ, quibus inuiſus erat Archelaus, quicq; præcipue liberi omnes ſuiq; iuris eſſe cupiebãt: & aut Romano magiſtratu adminiſtrari, aut ſi hoc non impetrarent, Antipam regẽ habere. Ad hoc etiam Sabini ope nitebatur Antipas, qui Archelaũ per epiſtolas accuſauerat apud cæſarem, Antipam uero multum laudauerat. Itaq; dicta crimina, Salome & cæteri, qui cum ea ſentirent, Cæſari tradiderunt: & poſt eos Archelaus geſtorum ſuorum perſcripta capitula, patriſq; anulum per Ptolemæum, rationesq; adminiſtrationis intromiſit ad Cæſarem. Ille autem ſecum præmeditans ea, quæ ab utraq; parte dicerentur, ubi & regni magnitudinem, multitudinemq; redituum animaduertit, atq; inſuper Herodis familiam numeroſam, perlectis etiam Vari ac Sabini literis, optimates Romanorum ad concilium uocat, in quo tunc primum ex Agrippa ac filia ſua natum Caium ſedere iuſſit, filiũ adoptiuum: atq; ita partibus proſequendi copiam dedit. Igitur Salomes filius Antipatri (nanq; is erat orator acerrimus eorum, qui aduerſabantur Archelao) accuſationem propoſuit, inſimulans Archelaum, quaſi uerbis quidem de regno uideretur contendere, re autem uera iamdudum rex eſſet effectus: & apud aures modo Cæſaris cauillaretur, quem iudicem ſucceſſionis expectare noluiſſet. Nam poſt Herodis mortem, quibuſdam ut diadema ſibi imponerent, ſubornatus, regis eum more in ſolio aureo reſidentem, partim ordines militiæ permutaſſe, partim condonaſſe promotiones: & inſuper his omnia annuiſſe populo, quæ uelut à rege impetranda petijſſet: maximorumq; reos criminum, quos pater ſuus uinxerat, abſoluiſſe: qui cum iſta feciſſet, modo regni umbram à domino poſtulaturus ueniſſet, cuius ſibi corpus ipſe rapuiſſet, ut non rerum ſed uocabulorum dominum eſſe Cæſarem demonſtraret. Ad hæc ei, quod etiam luctum patris aſſimulaſſet, obijcebat: cum interdiu quidem perſonam componeret in mœrorem, noctu uero ad comeſationes uſque potaret. Denique ſeditionem uulgi ex hac indignatione conflatam eſſe dicebat. Totius enim orationis ſuæ uires, eorum multitudine qui circa templum cæſi fuerant, aſtruebat. Hos enim ad diem feſtum

An. lib. 17. cap. 13.

Antipater pro Antipa.

quidē ueniſſe: ad hoſtias uero, quas ipſi mactandas uenerant, crudeliter eſſe iugulatos: tantúmq; in templo funerū eſſe cōgeſtum, quantū nullū ab externis illatū bellum implicabile congeſſiſſet. Itaq; huius crudelitatis Herode præſcio, ne ſpe quidem regni unquam eum dignum eſſe uiſum, niſi cum ſanæ mentis inops erat, anima deterius ægrotante, quàm corpore: & quem in ſecundo teſtamento ſucceſſorem ſcriberet, ignorabat: præſertim qui priore teſtamento ſucceſſorem ſcriptum incuſare nihil poſſet, quod incolumi corpore, omniq; uitio purgata mente feciſſet. Vt tamen quis firmius eſſe ponat morbo laborantis arbitrium, ipſum ſe Archelaum abdicaſſe regia dignitate, multis in eam contra leges admiſſis. Nam qualem fore, ſi acciperet à Cæſare principatum, qui antequam acciperet, tantum populum peremiſſet? Multa in hunc modum proſecutus Antipater, multis ex numero circunſtantium propinquorū in ſingula crimina teſtibus exhibitis, peroravit. Surrexit autem Nicolaus defenſor Archelai, & ante omnia cædem in templo neceſſario factam eſſe perdocuit. Nam quorum necis argueretur, non regni ſolum, ſed etiam ipſius iudicis, id eſt, Cæſaris hoſtes fuiſſe: aliorum autem criminum ſuaſores aduerſarios demonſtrauit. Secundum uero teſtamentum idcirco ratum manere poſtulabat, quod Herodes in eo ſucceſſoris ſui firmatorem Cæſarem conſtituiſſet. Nam qui tantum ſaperet, ut rerum domino poteſtate ſua cederet, nec unquam in hæredis erraſſe iudicio, ſed ſano corde quem conſtitueret, elegiſſe: qui per quem conſtitui deberet, non ignorauit. Cum autem omnibus expoſitis, etiam Nicolaus peroraſſet, in medium progreſſus Archelaus, ad genua Cæſaris accedit ocyus. Quo perbenigne à Cæſare erecto, eo quod paterna quidem ſucceſſione dignus eſſet, oſtendit: certum uero nihil pronunciauit. Sed illo die dimiſſo concilio, ſecum ipſe de cognitis deliberabat, utrū ex his qui teſtamento continerentur, aliquem regni oporteret cōſtitui ſucceſſorem, an toti familiæ diſtribui principatum. Multitudo enim perſonarum egere ſubſidio uidebatur.

De pugna & ſtrage Hieroſolymis inter Iudæos & Sabinianos. Caput II.

An. lib. 17. cap. 14. SEd antequam de his quicquam ſtatueretur à Cæſare, mater Archelai Marthace, morbo correpta moritur. Et uariæ literæ de Syria perlatæ ſunt, Iudæos defeciſſe nunciantes: quod Varus fore proſpiciens, in Hieroſolymam poſtquam Archelaus nauigarat, aſcendit, ut incentores ſeditionis prohiberet. Et quia multitudo ceſſatura non uidebatur, ex tribus quas è Syria duxerat ſecum, cohortibus, unam in ciuitate reliquit: atq; ita in Antiochiam ipſe remeauit. At Sabinus cum poſtea in Hieroſolymam ueniſſet, cauſas nouarum rerum Iudæis præbuit: modo uim cuſtodibus, ut ſibi arces traderent, adhibendo, nunc maligne regis exquirendo pecunias. Non autem ſolis relictis à Varo militibus fretus erat, ſed etiam ſeruorum ſuorum multitudine, quos etiam omnes armatos auaritiæ miniſtros habebat. Feſto autem quinquageſimo die, quæ pentecoſte à Iudæis uocatur, ſepties ſeptem diebus exactis rediens, ex eorum numero uocabulum nacta, non religionis ſolennitas populum ſed indignatio congregauit. Deniq; concurſus infinitæ multitudinis ex Galilæa, itémq; Idumæa & Hierichunte, transq; Iordanem poſitis regionibus, factus eſt: cum indigena ex ipſa ciuitate populus Iudæorum, & numero ſimul & alacritate præſtaret: & tripartita manu terna caſtra collocauerunt, una

runt,una in ſeptentrionali regione templi, altera in meridionali Hippodromum uerſus,tertiáque in occiduo prope regiam tractu,circunſeſſoſque Romanos undiq; obſidebant.Sabinus autem multitudine pariter,eorúmque ſpiritu perterritus, crebris quidem Varum nunciis precabatur, ut quàm mature ferret auxilium, quaſi laniandam cohortem, ſi quid moræ interueniſſet. Ipſe uero in altiſſima caſtelli turri, quæ Phaſelus uocabatur, euadit, fratris Herodis cognomine, quem Parthi necauerunt. Hinc militibus cohortis,ut in hoſtes irruerent,ſignum dabat. Nam præ timore quibus ipſe præerat, deſcendere nullus audebat. Eius autem præcepto milites obedientes, in templum uolant, uehementiq; cum Iudæis pugna confligunt. In qua dum nemo deſuper adiuuaret, imperitos belli peritia ſuperabant. Poſtea uero quàm multi Iudæi porticibus occupatis, à uertice ſagittis eos appetebant, plurimi conterebantur: & neque ex alto iaculantes, ulciſci facile poterant, neque cominus dimicantes ferebant. Ab utriſque tamen afflicti ſuccendunt porticus, opere, magnitudine atque ornatu mirabiles. Ibiq; tum multi flamma ſubito comprehenſi,aut ea conſumebantur,aut in hoſtes deſilientes ab ipſis occidebantur,alij retrorſum cedentes præcipitabantur ex muro: nonnulli deſperata ſalute, incendij periculum ſuis gladijs præueniebant. Qui tamen ex mœnibus obrependo in Romanos feciſſent impetum,metu attoniti nullo negotio ſubigebantur: donec omnibus aut interemptis, aut timore deiectis, theſauro dei defenſoribus deſtituto,manus milites attulerunt,& quadraginta ex eo talenta diripuere: quorum quæ furto ſublata non ſunt, congregauit Sabinus.At Iudæos multo plures, magiſque pugnantes, tam uirorum quàm opum interitus in Romanos contraxit.Obſeſſaq; his regia minitabantur exitium, niſi quamprimum inde ſecederent: Sabino, ſi uellet, unà cum cohorte militum abeundi copiam pollicentes. Quibus opitulabantur regalium plurimi, qui ad eos ſponte tranſfugerant. Pars tamen bellicoſior erat,Sebaſtenorum tria milia. His que Rufus & Gratus præpoſiti,unus peditum rector,at uero equitũ Rufus:quorum uterq; ui corporis atq; prudentia,etiam ſi nullam manũ obedientem haberent, magnũ tamen momentũ belli Romanis addidiſſent. Itaq; Iudæi quidem inſtare obſidioni ſimul,& caſtelli mœnia tentantes,& ad Sabinum clamantes,ut nullo impediente diſcederet, habituros tanto poſt tempore patriam libertatem. Sabinus autem quamuis optaret euadere,fidem tamen pollicitationibus nõ habebat:ſed eorum lenitatem,inſidiarum eſſe illecebram ſuſpicabatur: ſimulq; auxiliũ Vari ſperans,obſidionis periculũ perferebat. Eodem tempore per Iudæam plurimis locis tumultus erat, multóſq; ad regni cupidinem tempus impulerat. Nam in Idumæa quidem duo milia ueteranorũ, qui ſub Herode militauerant, cõgregati,armiſq; inſtructi cũ regalibus decertabant. Quibus*Aciabus regis consobrinus,ex uicis munitiſſimis repugnabat,campeſtre prælium declinando. Inferiori autem Galilææ,Iudas filius Ezechiæ latronum principis, ab Herode quondam rege capti, qui tunc illas regiones uaſtauerat, non parua multitudine collecta, ruptiſque regijs armamentarijs, & omnibus quos circa ſe habebat armatis, contra potentiæ cupidos manus mouebat. Trans flumen quoque Simon quidam, ex regalibus ſeruis, pulchritudine ſimul & uaſtitate corporis fretus, im-

Rufus & Gratus.

An.lib.17. cap. 15.

Aliàs Alcibiades.

Simon paſtor quidam.

positō sibi diademate, cum latronibus, quos cōgregauerat, ipse circuiens, & apud Hierichunta regiam, & multa alia magnifica diuersoria igni corrupit: facilem sibi prædam ex incendio comparans. Omnésque habitationes, in quibus aliquid decoris erat, concremasset, nisi Gratus legionum rector, ex Trachone sagittarios, itémq; Sebastenorum pugnacissimos ducens, properasset occurrere. Vbi peditū quidem in pugna multi consumpti sunt: ipse autem Simonem compendio preuenit, ardua ualle fugientem, & ex transuerso percussum in ceruice deiecit. Incensæ sunt autem, & quæcunq; Iordani proximæ fuerunt sedes regiæ, apud Betharantes, quorundam aliorum manu conflata ex locis ulterioribus. Tunc etiam pastor quidam, cui nomen erat Athonges, regnum affectare ausus est, quod ut speraret, ui corporis animæq; fidutia mortem contemnentis impulsus est, ac præterea fratrum sibi similium robore, quorum singulis tanquam ducibus & satrapis attributa manu armatorum, ad incursus utebatur. Ipse autem ueluti rex maiora negotia procurabat. Et tum quidem etiam coronam sibi imposuit. Non paruo autem post tempore, cum fratribus suis uastando territoria, & occidendo præcipue Romanos, itemq; regios, perseuerauit: cum nec Iudæorum quisquam effugeret, qui lucrum aliquod ferens uenisset in manus. Ausi sunt autem apud Amathuntem, compertum Romanorum agmen obsidere, qui frumenta cohorti atq; arma portabant. Vbi Arium quidem centurionem, & quadraginta fortissimos iaculis confecere. Cæteri uero in periculo constituti similia sustinendi, auxilio Grati qui cum Sebastenis aduenit, elapsi sunt. Multis in hunc modum contra indigenas, itémq; alienigenas per omne bellum gestis, post aliquod tempus tres ex his comprehensi sunt: natu quidem maximus ab Archelao, duo uero, qui ætate sequebantur, in manus Grati ac Ptolemæi delati. Nam quartus Archelao pactione concessit. Sed hic finis eos postea secutus est. Tunc autem latrocinali bello cunctam inflammabant Iudæam.

De quodā pastore Athōge.

De Vari gestis circa Iudæos crucifixos. Caput III.

An. lib. 17. cap. 16.

VArus autem, acceptis Sabini & principū literis, toti cohorti metuens, opem his ferre properabat. Itaque cum duabus reliquis cohortibus, & quatuor alis equitum, in Ptolemaida profectus, eôdem regum atque optimatum auxilia conuenire iussit. Ad hæc à Berithijs etiam, cum per eorum transiret oppidum, mille & quingentos accepit armatos. Vbi uero in Ptolemaidem tam cætera manus auxiliorum, quàm propter Herodis inimicitias, Aretas rex Arabum, non cum exiguo numero equitum peditumque peruenit, statim exercitus partem in Galilæam, quæ Ptolemaidi propinqua erat, dirigit, amici sui Galli filio his rectore præposito. Qui mox & aduersus quos ierat, omnes in fugam uertit: & Sephori ciuitate capta, ipsam quidem incendit, incolas uero eius seruitio subiugauit. Varus autem ipse cum omni exercitu Samaria potitus, ciuitate quidem abstinuit, quod inter aliorum turbas, nihil eam mouisse deprehendit: castris autem ad uicum positis, qui appellatur Aroti, Ptolemæi possessionem propterea direptam à barbaris, & ab amicis Herodis, qui Ptolemæo infensi erant, inde ad Saffo progreditur, alterum uicum tutissimum: quem similiter, omnésque reditus ibi repertos, fuerant depopulati. Cædis autem, igniśque plena erant omnia.

nec præ-

nec prædæ barbarorum quicquam obſtabat. Exuſta eſt autem Emaus iuſſu Vari, necem Arij cæterorúmque indigne ferentis, habitatoribus eius fuga diſperſis. Hinc progreſſus ad Hieroſolymam cum exercitu, ſolo uiſu Iudæorum caſtra diſiecit: & alij quidem per agros abiere fugientes: qui uero intra ciuitatem degebant, ſuſcepto eo, ſeditionis cauſas in alios conferebant, nihil quidem ſe penitus mouiſſe dicentes, ſed propter diem feſtum receptam neceſſario multitudinem, in ciuitate obſeſſos eſſe potius cum Romanis, quàm cum diſſidentibus conſpiraſſe. Ante uero obuiam ei uenerant Ioſippus, Archelai conſobrinus, & cum Grato Rufus, agentes exercitum regium, & Sebaſtenos, & ex Romana cohorte milites ornatus habitu conſueto. Sabinus enim nec in os Vari uenire paſſus, iamdudum ex ciuitate ad mare diſceſſerat. Varus autem diſpartitum aduerſus autores tumultus, per agros dimiſit exercitum: multiſque ſibi exhibitis, quos minus turbulentos inueniſſet, cuſtodiæ tradidit: maxime uero nocentium propè ad duo milia cruci ſuffixit. Adhuc autem circa Idumæam ſupereſſe decem armatorum milia nunciato, confeſtim Arabas domum abire iubet: quod eos non auxilianti um more uti militia, ſed pro ſua libidine, & ſupra quàm ipſe uellet, agros uaſtare perſpexit: ſuis autem comitatus agminibus, in aduerſarios properabat. Verum illi ſe Varo priuſquam in manus ueniretur, Aciabi conſilio tradiderunt. Varus autem multitudini uenia data, duces eius interrogandos miſit ad Cæſarem. At illi cum ignouiſſet cæteris, nonnullos regis cognatos (erant enim quidam inter eos Herodis propinqui) ſupplicio ſubiugari præcepit, quod omnino contra regem ſuum arma accepiſſent. Varus autem hoc modo rebus apud Hieroſolymam compoſitis, eadémque cohorte, quæ dudum in præſidio ciuitatis fuerat, ibi relicta, Antiochiam rediit.

De Toparcho Iudæorum inſtituto. Caput IIII.

ROmæ autem Archelao alia rurſus cum Iudæis cauſa cõflata eſt: qui ante ſe ditionem permiſſu Vari, legati exierant, ius genti ſuæ liberũ petituri. Erant autem numero quinquaginta, qui uenerant: aſtantibus unà cum populo qui Romæ degerent, octo milibus Iudæorum. Itaq; conuocato à Cæſare optimatũ Romanorum, amicorum concilio, in Palatini Apollinis templum, quod priuatum ipſius erat ædificium, admirandis opibus exornatum, multitudo quidem Iudæorum conſtitit cum legatis, contraq; Archelaus cum amicis. Cognatorum autem amici ab utraq; parte ſecreti aderant. Nam & cum Archelao ſtare propter odiũ, atq; inuidiam recuſabant, & cum accuſatoribus conſpici pudore Cæſaris prohibebantur. Inter quos erat etiam Philippus Archelai frater, beneuolo animo, duabus ex cauſis præmiſſus à Varo, ut & Archelao ſubueniret & ſi regnum Herodis nepotibus eius diſtribui placuiſſet, partem aliquam mereretur. Iuſſit autem accuſatores exponere, quænam contra leges feciſſet Herodes: primum non ſe regem, ſed omnium qui uſquam fuiſſent, tyrannorum crudeliſſimum toleraſſe dicebant. Deinde multis ab eo trucidatis, ea pertuliſſe ſuperſtites queſti ſunt, ut beatiores mortui putarentur. Non enim tormenti ſolum eum laceraſſe corpora ſubiectorum, ſed etiam gentis ſuæ ciuitatibus deformatis, exteras ornauiſſe populiſq; alienis Iudææ ſanguinẽ condonaſſe. Pro antiqua uero felicitate ac patrijs

Ant. lib. 17. cap. 17.

legibus

legibus, nationem ſuam tanta egeſtate ſimul ab eo, atque iniquitate repletam, prorſus ut plures ex Herode dades paucis annis ſuſtinuerint, quàm omni æuo maiores ſui, poſtquam ex Babylone diſceſſere, perpeſſi ſunt, Xerxe tunc regnante, ad diſcordias concitati. Verum ſe tamẽ ad hanc mediocritatem, & aduerſæ fortunæ conſuetudinem proceſſiſſe, ut etiam ſucceſſionem uoluntariam acerbiſſimæ feritatis ſubirent: qui & Archelaum tanti tyranni filium, patre mortuo regem appellaſſent: nihil morati, & unà cum eo luxiſſent mortem Herodis, ac pro eius ſucceſſore uota celebraſſent: Illum autem quaſi metueret, ne non certus eius filius uideretur, ex cæde triummilium ciuium regni ſumpſiſſe primordia: & quia principatum meruerit, tot immolaſſe deo hominum uictimas, tot feſto die templum cadaueribus impleuiſſe: Recte igitur eos, qui de tantis malis ſupereſſent, aliquando reſpexiſſe calamitates ſuas, & belli lege cupere uulneribus excipiendis ora præbere, atque ab Romanis precari, ut Iudææ reliquias miſericordia dignas exiſtimarent: neúe quod ex ea natione reſtaret, his obiicerent, à quibus crudeliſſime lacerabatur: ſed patriam ſuam coniungi Syriæ finibus, ac per iudices Romanos adminiſtrari decernerent: Hoc enim modo probatum iri Iudæos, qui nunc ueluti turbulenti, ac belli cupidi reprehenduntur, moderatis rectoribus obedire. Iudæorum quidem accuſatio eiuſmodi petitione concluſa eſt. Cum autem ſurrexiſſet contrà Nicolaus, primum criminibus quæ in reges erant propoſita, diſſolutis, nationem cœpit arguere: quia neq; gubernari facilis eſſet, naturá que regibus uix parêret. Vnà etiam propinquos Archelai, qui ſe ad accuſatores contulerant, inſimulabat. Sed tum quidem partibus Cæſar auditis, conuentum diremit. Paucis autem diebus poſt, mediam regni partem ſub toparchiæ nomine dedit Archelao: etiam regem, ſi ſe dignum præbuiſſet, facturum eſſe pollicitus. Reliquam uero dimidiam, in duas tetrarchias diuiſit: duobuſque aliis Herodis filiis attribuit: unam Philippo, alteram illi qui cum Archelao de regno certauerat. Huius parti ceſſerat trans flumen regio, & Galilæa: quarum ducenta talenta reditus erant. Bathanea uero & Trachon, & Auranitis, & quædam partes domus Zenonis, circa Iamniam uicum, Philippo deſtinatæ ſunt: quæ talentorum centum reditus miniſtrabant. Archelai uero toparchia Idumæam, omnémque Iudæam, & Samariam habebat: quarta tributorum parte leuata, pro munere quia non rebellaſſet cum cæteris. Ac ciuitates quibus imperaret, ei traditæ ſunt, Stratonis pyrgus, & Sebaſte, & Ioppe, & Hieroſolyma. Cæteras autem, Gazam & Gadaram, & Hippon, regno auulſas, Syriæ Cæſar adiecit. Erant autem reditus Archelai, quadringenta talenta. Quin & Salomen præter illa, quæ teſtamento regis ei relicta erant, Iamniæ dominam, & Azoti, & Phaſelidis, idem Cæſar conſtituit: regiámque apud Aſcalonem largitus eſt: ex quibus omnibus talentorum ſexaginta reditus colligebantur. Domum uero eius toparchiæ ſubiugauit Archelai. Cum autem cæteris quoque Herodis propinquis teſtamento relicto ſoluiſſet, duas eius filias uirgines extrinſecus quingentis milibus pecuniæ donauit: eásq; nuptum Pheroræ filiis collocauit. Diuiſo autem Herodis patrimonio, etiam ſibi relictas ab eo facultates ad mille talenta eis diſtribuit: exceptis ſuo nomine quibuſdam rebus uiliſſimis propter honorem defuncti.

De ſubdi-

De ſubditicio falſoq; Alexandro eoq; deprehenſo. Caput V.

INterea quidam iuuenis natione Iudæus, apud aliquem libertinum Romanorum, in Sidoniorum oppido educatus, illum ſe format ſimilitudine, quem Herodes necauerat, Alexandrum eſſe mentitus, fallendi ſpe Romam uenit. Huius autem facinoris habebat ſocium quendam gentilem ſuum, omnes regni actus optime ſcientem: à quo inſtructus, affirmabat eorum ſe miſericordia, qui ſui atque Ariſtobuli occidendi cauſa miſſi fuerant, ſimilibus corporibus ſubditis, mortui eſſe ſubreptos. Denique his multos iam Iudæos fefellerat, in Creta degentes: ac liberaliter illic acceptus, Melumq; inde tranſmiſſus, ibiq; ampliore quæſtu cumulatus, etiam hoſpites ſuos magna ueriſimilitudine Romam ſecum nauigare pellexerat. Erat poſtremo delatus in Dicæarchiam: multiſque muneribus ab Iudæis eius loci donatus, quaſi rex à paternis amicis deducebatur. Ad hoc enim fidei proceſſerat formæ ſimilitudo, ut qui Alexandrum illum uiderant, planéque nouerant, hunc eum eſſe iurarent. Igitur omnes etiam Romæ Iudæi, uiſendi eius ſtudio circunfuſi properabant: & infinita multitudo per uicorum anguſtias, quocunque ferebatur, conueniebat. Tanta nanque dementia multos ceperat, ut illum ſella portarent, ac regale obſequium propriis ei ſumptibus exhiberent. Sed Cæſar Alexandri uultum optime ſciens (accuſatus enim apud eum fuerat ab Herode) & ſi priuſquam uideret hominem, fallaciam ſimilitudinis aduerterat, hilariori tamen animi ſpe nonnihil indulgendum putauit: & Ladum quendam, qui Alexandrum bene cognoſceret, miſit, ut ad ſe aduleſcentem deduceret. Qui illo conſpecto, ſtatim perſonæ differentiam coniectura deprehendit. Maxime autem, ubi corporis eius duritiam, & ſeruilem formam conſiderauit, intellexit omne commentum. Satis autem commotus eſt dictorum eius audacia: de Ariſtobulo percontantibus, ſaluum quidem illum eſſe commemorabat: conſulto uero non adeſſe, quia apud Cyprum degeret cauendo inſidias: minus enim ſe circunueniri poſſe diſiunctos. Itaque Ladus quidem ab aliis ei ſeparato uitam dixit à Cæſare præmium fore, ſi tantæ fraudis prodidiſſet autorem. Id autem ſe facturum ille pollicitus, ad Cæſarem ſequitur: & Iudæum indicat, qui formæ ſuæ ſimilitudine abuſus eſſet ad quæſtum. Tanta enim dona ex ciuitatibus eum ſingulis abſtuliſſe docuit, quanta uiuus Alexander non accepiſſet. Riſit his Cæſar: & falſum quidem Alexandrum, propter habitudinem corporis, remigum numero inſeruit, ſuaſorem uero eius interfici iuſſit. Melius autem ſumptuum detrimentum, pro amentiæ precio ſatis eſſe indicauit.

An. lib. 17. cap. 18.

Proditur dolus

De Archelai exilio. Caput VI.

TOparchia uero ſuſcepta, memor diſcordiæ ſuperioris Archelaus, non ſolum Iudæis, ſed etiam Samarienſibus crudeliter abuſus eſt. Nonóq; principatus ſui anno legatis contra ſe ab utriſque ad Cæſarem miſſis, ipſe quidem in exilium pellitur Viennam, Galliæ ciuitatem: patrimonium uero eius, theſauris Cæſaris adiudicatur: Quem quidem, priuſquam euocaretur ad Cæſarem huiuſcemodi ſomnium uidiſſe commemorant: Nouem ariſtas plenas & maximas à bobus comedi ſomniauerat: accitos deinde uates, Chaldæorumq; nonnullos, quidnam illo

An. lib. 17. cap. 19.

illo putarent indicari ſomnio, conſuluerat. Aliis autem aliter interpretantibus. Si mon quidam Eſſæus genere, dixerat ariſtas annos arbitrari, bouésq; rerum mutationes: eo quod agros arando uerterent ac mutarent. Ideóq; regnaturum quidem illum eſſe tot annos, quot ſignificaſſet numerus ariſtarum: uarias autem rerum mutationes expertum, eſſe moriturum. Hiſq; auditis, Archelaus quinq; dies poſt, ad cauſam dicendam eſt euocatus. Dignum autem memoria, duxi etiam coniugis eius Glaphiræ ſomnium, Archilai filiæ Cappadocum regis, referre: Quam cum Alexander prius habuiſſet uxorem, frater huius de quo loquimur, Herodis filius regis, à quo ille interfectus eſt, ſicut iam deſignauimus, poſt illius mortem Iubæ regi Libyæ nuptam, eóque defuncto domum reuerſam, domiq; apud patrem in uiduitate degentem, Toparches Archelaus ubi cõſpexit, ad hoc amoris accenſus eſt, ut eam ſtatim repudiata coniuge ſua Mariamne, ſibi copularet. Hæc igitur breui tempore, poſtquam in Iudæam rediit, uidere uiſa eſt inſtantem ſibi Alexandrum dicere: Satis fuerat tibi Libycum matrimonium: ſed tu illo non contenta, rurſus ad meos penates reuerteris auidiſſima uiri tertij, & quod grauius eſt, mei fratris iuncta matrimonio. Equidẽ nõ diſſimulabo cõtumeliam, téq; licet inuitam recuperabo. Atq; hoc expoſito ſomnio, uix biduũ ſuperuixit.

Interpretatio ſomnij.

De Simone Galilæo. De tribus ſectis apud Iudæos. Caput VII.

An. lib. 18. cap. 1. 2.

IGitur Archelai finibus in prouinciam circunſcriptis, procurator equitũ apud Romanos Copinius miſſus eſt, ea ſibi à Cæſare poteſtate mandata. Hoc diſcepante, Galilæus quidam, Simon nomine, defectionis arguebatur: quia indigenas increparet, ſi tributum Romanis pendere paterentur, dominósq; poſt deũ ferre mortales. Erat autem propriæ ſectæ ſophiſta, nulla in re ſimilis aliis. Etenim tria ſunt apud Iudæos genera philoſophiæ. Horum unum Phariſæi profitentur, alterum Sadducæi, tertium uero, quod etiam probabilius habetur, Eſſæi colunt, gente quidem Iudæi, uerum inter ſe mutuo amore coniunctiſſimi: & qui præter cæteros uoluptates quidem quaſi maleficia uitarent: continentiam uero ſeruare, neq; cupiditati ſuccumbere, uirtutem maximam ducerent. Itaq; nuptias quidem faſtidiunt, alienos uero filios, dum adhuc molles ſunt, eruditioni traditos, pro cognatis habentes, ſuis moribus diligenter inſtituunt. Non quia coniugia uel humani generis ſucceſſionem cenſeant perimendam: ſed quia cauendam putent intemperantiam fœminarũ, nullam earum uni uiro fidem ſeruare credentes. Quin & diuitiarum contemptores ſunt, rerúmq; apud eos communicatio admirationi habetur, neq; inuenias alteri alterum opulentia præſtare: legémq; ſibi dixerunt, ut qui diſciplinam ſuam ſectari uellent, bona contubernio publicarent: Ita enim fore, ne uel paupertatis humilitas, uel diuitiarum dignitas appareret: ſed permixtis facultatibus, uelut inter fratres, unũ eſſet omniũ patrimoniũ. Probro autem ducunt oleũ, & ſi quis uel inuitus unctus fuerit, munditijs corpus abſtergere: quoniam ſqualorem decorem putant, dummodo ſemper in ueſte ſint candida. Deſignatos autem communium rerum procuratores habent, & ad uſus omnium ſingulos indiuiſos. Non eſt autem illis una ciuitas certa, ſed in ſingulas multi domicilia transferunt: & aliunde aduenientibus ſectæ ſuæ profeſſoribus, quicquid habeant promptum exhibent quaſi propriũ. Deniq; tanquam conſuetiſſimi ad eos

Eſſæorum dogmata.

ingrediun-

ingrediuntur,quos nunquam ante uiderunt. Hinc eſt,quia cum peregrinantur, propter latrocinia tantum armantur: neque præterea quicquam ferunt. In ſingulis autem ciuitatibus,ex eodem collegio ſpecialis curator hoſpitum conſtituitur: qui eorum ueſtimenta cæteraq; uſui neceſſaria tueatur. Amictus autem cultusq; corporis,omnibus pueris,in metu & ſub cura magiſtri agentibus, par eſt. Nec uero ueſtitum ſiue calceos mutãt,niſi aut omnino conciſſis prioribus,aut longi temporis uſu conſumptis. Nihil aũt inter ſe mercantur aut uendunt: ſed egenti quiſque quod habet præbẽs,refert ab eo quod ipſe non habet:quãuis etiam ſine permutatione cunctis libera ſit facultas,à quibus libuerit accipiendi quod opus ſit. Præcipue circa deum religioſi ſunt. Nanq; ante ſolis ortũ nihil profani loquũtur, ſed ei patria quædam uota celebrant,quaſi ut oriatur precantes. Deinde ad quas uenerunt ſinguli artes,à curatoribus dimittũtur. Cumq; ad horam quintam ſtudioſe fuerint operati, rurſus in unum congregantur:linteisque præcincti uelaminibus, ita corpus aquis frigidis abluunt. Atque hac luſtratione facta in eadem ſecreta coẽunt, quo neminem alterius ſectæ hominem aſpirare conceſſum eſt: ipſiq; purificati, uelut in ſanctum quoddam templum in cœnaculum ueniunt: quibus ibi cum ſilentio reſidentibus,piſtor quidem panes ordine,unum autẽ uaſculum ex uno pulmento ſingulis cocus apponit. Deinde uoce cibũ ſacerdos anteuenit:neq; guſtare quenq; fas eſt, niſi prius deo celebretur oratio. Poſt finem quoque prandij uota repetunt. Nam & cum incipiunt,& cum deſinunt,quaſi datorem uictus deum laudibus canunt. Tunc ueluti ſacris illis depoſitis ueſtimẽtis uſq; poſt meridiem,ad opera ſe conferunt. Similiterq; inde reuerſi cœnant,conſedentes etiam hoſpitibus,ſi quos fortaſſe interueniſſe repererint. Neque uero clamor unquam tectum illud, neque tumultus inquietat:cum etiam loquẽdi ordine alius alij cedant:eorumq; ſilentium,extra tectum conſtitutis,arcanum quoddã uideatur horribile. Cuius quidẽ rei perpetua ſobrietas cauſa eſt, quodq; apud eos edendi aut potandi modus ſaturitate diffinitur. Sed quamuis aliquarum rerum nihil ſine præcepto faciunt curatoris,tamen in his duobus,hoc eſt in iuuando & miſerendo,ſui iuris ſunt. Nam & ſubuenire dignis,cũ opus eſt,ſuo arbitrio cuiq; licet,atq; indigentibus alimenta porrigere. Sanè cognatis dare aliquid ſine curatoribus,interdictum. Iidem iracundiæ moderatores iuſti ſunt, indignationẽ cohibent, fidẽ tuentur,paci obſecundant: & omne quod dixerint,iureiurando fortius habent. Ipſum autem iuſiurandum quaſi periurio deterius uitant. Iam enim mendacio condemnatum arbitrantur, cui ſine deo non creditur. Summum autem ſtudium ueterum ſcriptis adhibent: ea maxime inde, quæ animæ & corpori expediant,eligentes. Hinc illis morborũ remedia,ſtirpes medicæ, quamq; uim propriam ſinguli lapides habeant, à rimantibus conquiruntur. Sectæ uero ſuæ ſtudioſis non ſtatim cum eius una collectio:ſed per annum integrum extrinſecus commoranti cuique eundem uictus ordinem tribuunt: dolabram quoque, & quod prædictum eſt perizoma, & albam ueſtem tradentes. Cum uero proceſſu temporis experimentum continentiæ dederit, accedit etiam ad communem cibum: & purioribus, ob caſtificationem ſcilicet,aquis participat: neque tamen in conuictum aſſumitur. Poſt oſtenſionem quippe continentiæ, duobus annis alijs

mores eius probantur. Cumque dignus apparuerit, tunc demum in consortium assumitur. Prius uero q̃p incipiat communem habere cibum, magnis execrationibus adiurat se primum quidem colere deum, deinceps quoq; erga homines seruare iustitiam, & neq; propria sponte nocere cuiq̃, neq; ex præcepto obesse: quin immo iniquos om̃es odisse, & collaborare semper iustitiæ sectatoribus, fidem omnibus seruare, maxime uero principibus. Neq; enim absq; uoluntate dei, quem q̃p posse ad principatus potentiam accedere. Si uero ipse cæteris præsit, nũquam abuti, nunquam se abusurum uiribus potestatis ad contumeliam subiectorum, sed neq; ueste aut ambitioso aliquo ornatu reliquis eminere, ueritatẽ semper diligere, & habere propositum cõuincere mentientes. Manus uero à furto, & animã puram seruare ab iniustis compendijs: & neq; aliquid de mysterijs cõsecrarios celare. Neque profanis eorum quippiam publicare, etiam si intentata quispiã morte compellat. Super hæc autem addunt, nihil se de dogmatibus aliud q̃p ipsi susceperint, tradere. Fugere autem latrocinia, & conseruatum iri similiter dogmatis sui libros: angelorum nomina his quidẽ execrationibus explorant, & quasi præmuniunt accedentes. Deprehensos uero in peccatis, à sua congregatione depellunt: & qui taliter fuerit condemnatus, miserabili plerunq; morte consumitur: Illis quidem sacramentis ac ritibus obligatus, neq; capere ab alijs oblatum cibum potest. Herbas uero pecudum more decerpens, & fame exesus per membra eorum pitur. Ob quod etiam plurimos plerunq; miserati, & extremum spiritum agentes, receperunt: sufficienter pro peccatis eorum, quæ usq; ad mortem adduxerãt, pœnas luisse censentes. In iudicijs uero sunt diligentissimi atq; iustissimi. Disceptant autem non minus quàm centum in unum coacti: quod autem ab his decretum fuerit, immobile manet. Veneratio quoq; apud eos post deum magna legiferi est: ita ut si quis eum blasphemauerit, morte damnetur. Senibus uero obedire & plurimum, quorumque decreto reprobabile arbitrantur officium. Cum simul denique sederint decem, nullus unus nouẽ loquitur inuitis. Expuere quoq; in medium eorum, uel in dexteram sui partem, quisq; deuitat. Sabbatis quoq; operationem aliquam contigisse, omnibus Iudæis diligentius cauent: neque cibum sibi solũ pridie præparant, ne uidelicet illo die ignẽ accendant: sed neq; uas aliquod transponere præsumunt, imò nec aluum purgãt. Alijs autem diebus fodientes foueam uno (uerbi gratia) pede altam, *ekai illi cum illa dolabra, quam tradi nuper accedentibus diximus, demissa ueste sese diligentissime cõtegẽtes, ne scilicet splendori diuino iniuriam faciant, in eadem fouea ab onere uentris leuantur, ac deinceps terram quam effoderant, reducunt: idq̃ ipsum faciunt in locis secretissimis: Et nempe cum naturalis sit ista purgatio, nihilominus tamen solenne habent, ut quasi ab immunditia diluantur: Decernuntur autem inter se, secundum susceptæ abstinentiæ tempora, in ordines quatuor: tantumq̃ hi qui iuniores sunt, inferiores præcedentibus æstimantur, ut si aliquos eorum contigerint, quasi à contrectatu alienigenæ diluantur. Viuũt autem q̃p longissime, ita ut plurimi eorũ usq; ad centenariam proferantur ætatem, propter simplicitatem scilicet uictus: quod eis nimirũ accedere puto propter institutionem bene in omnibus ordinatam. Sunt autem etiam aduersorum cruciatus, siquidem uincunt firmitate consilij. Mortem

uero,

uero,ſi cum decore obeũda ſit,iudicant etiam immortalitate meliorem. Prodidit autem eorum in omnibus negotijs animos,bellum quod geſtum eſt cum Romanis. Tunc ſiquidem per artuum confractiones & ignes,ac per tormenta omnigena tranſeuntes,ut uidelicet uel in legiſlatoris aliquid loquerentur iniuriam,uel ciborum quippiam quod non ſolent,ederent,ad neutrum horum potuerunt cõpelli:ſed neq; deprecari ſuos tortores,aut inter ipſa fiere ſupplicia:in medijs quinimmo cruciatibus ſubridentes,& eis qui tormenta admouerant,illudentes,conſtantes animos cum quadam hilaritate reddebant, ſcilicet quaſi qui eos eſſent denuo recepturi. Opinio quippe apud illos firmata conſiſtit,corruptibilia quidem eſſe corpora,materiamq; eorum nõ eſſe perpetuam:animas autem immortales ſemper manere, & de æthere ſubtiliſſimo commeantes,quaſi carceribus ita corporibus implicari,uelut quas illecebra naturalis attraxerit. Cum uero fuerint à carnalibus releuatæ uinculis,quaſi de ſeruitute longiſſima liberatas, ita ilico lætari eas, ſublimesq; ferri. Et quidem bonis concinentes in hoc Græcorum ſententijs,pronunciant ultra Oceanũ degere, ubi eis ſit repoſita perfruitio: Illic quippe eſſe regionem,quæ neq; imbribus,neq; niuibus,neq; æſtibus,aggrauetur:ſed quã Oceano oriens Zephyrus,& leniter aſpirans amœnet. Malis autem animabus procelloſa loca & hyberna delegant,plena gemitibus, exercendarum ſine fine pœnarum. Videntur autem mihi ſecundum hanc ipſam intelligentiam Græci quoque fortibus ſuis,quos Heroas & ſemideos uocauerunt,beatorum inſulas ſequeſtraſſe:improborũ autem animabus locũ apud inferos impiorũ:in quo etiam cruciari quoſdam commẽtati ſunt ,Siſyphos uidelicet,& Tantalos,& Ixiones,& Tityos: principio quidẽ immortales eſſe animantes exiſtimantes, ob adhortationẽ utiq; uirtutis dehortationẽq; nequitiæ:bonos quippe fieri in huius uitæ conuerſatione meliores,per ſpem bonorũ:etiam poſt lucem redhibendorũ:improborũ aũt impetũ retardari æſtimãtium:quoniam & ſi in huius uitæ ſpatio latuerint,poſt obitum tamen ſint immortalia tormenta paſſuri. Hæc ſunt ergo, quæ Eſſæi de diuinitate animæ philoſophantur. Planè illecebrã ineuitabilẽ eis,qui ſemel de eorũ ſapientia guſtauerint,reponentes. Sunt autem in eis, qui etiam futura noſſe promittãt,ſacris uidelicet libris,& uarijs ſanctificationibus, prophetarumq; dictis à primis ætatibus adhærentes :raro autem accidit,ut prædictiones eorum fruſtratio conſequatur. Eſt autem aliud etiam Eſſenorum collegium, cibos quidem & mores legumq; ſimilia cum prioribus habens:diſtat uero opinione coniugij. Maximam ſiquidem uitæ hominum partem,ſucceſſionem ſcilicet,amputare eos,qui abſtineant nuptijs arbitrantur: quippe ſi in eãdem omnes uelint ire ſententiam, defecturum confeſtim genus humanum fore. Nihilominus autem cum tanta ipſi moderatione conueniunt,ut per triennium explorent ualetudinem fœminarum. Et ſi conſtanti purgatione apparuerint idoneæ partui, ita eas in matrimonia aſciſcunt. Nemo tamen eorum cum prægnante concumbit:ut oſtẽdant,quia non uoluptatis nuptias, ſed cauſa inierint liberorum. Lauantibus autem fœminis,ita ut uiris perizomatum ineſt amictus: Tales ſunt mores huius collectionis. Duo autem priorum quaſi ordines ſunt: Ex quibus Phariſæi dicuntur, qui certiorem legalium rituum notitiam profitentur: & hi primum dogma habent,

Qui ſint Phariſæi.

ut εἱμαρμένην & deo uniuerſa deputent:& quidē uel agere quæ iuſta ſunt,uel ne/gligere,ſecundum maiorem partem eſſe in hominibus profitentur: adiuuare ta/men in ſingulis & εἱμαρμένην. Animam autem quidem omnem incorruptā eſſe, tranſire autē in alia corpora ſolas bonorum, improborum autem interminabili ſupplicio cruciari. Sadducæi porrò,id eſt,ſecunda collectio,εἱμαρμένην omnifari/am negant:& deum extra omnem mali patrationem inſpectionemq; conſtitu/unt. Aiunt autem electioni hominum uel bonum uel malum eſſe propoſitum:& ſecundum uoluntatem propriam,alterutrum unumquēq; cōiungi. Animarum autem generaliter uel ſupplicia denegant uel honores. Et Phariſæi quidem ſocia/biles,& qui ſtudeant ſe mutua dilectione complecti:Sadducæi uero & inter ſe fe/ris moribus diſcrepantes, & conuerſatio eorū circa exteros inhumana: Hæc ſunt quæ de Iudæorum philoſophis dicenda repperi:Nunc ad inceptum reuertor.

Qui ſint Sad/ducæi.

De Pilati regimine. Caput VIII.

An.lib.18. cap. 5.

ARchelai regno in ordine prouinciæ iam decedente,reliqui,id eſt,Philippus & Herodes,qui cognominabatur Antipas,tetrarchias ſuas regebant. Salo/me enim moriens,Iuliæ Auguſti cōiugi,regionem quam rexerat,& Iamniam, & in Phaſelide Palmeta teſtamento reliquit. Delato autem ad Tiberium* Liuiæ fi/lium Romano imperio poſt mortem ſcilicet Auguſti,qui præfuit rebus annis ſe/ptem & quinquaginta,menſibus ſex,diebus duobus,manentes in tetrarchijs ſuis Herodes ſcilicet ac Philippus:hic quidem iuxta fontes ipſos, de quibus Iordanis flumen exoritur,in Panneade condidit ciuitatem, quam Cæſaream uocitauit:ali/amq; in inferiore Gaulonite,quam Iuliadem nominauit. Herodes uero in Gali/læa Tiberiadem,in Beroea autem cognomine Iuliæ. Miſſus autem à Tiberio in Iudæam Pilatus:qui cum curandam accepiſſet regionem,nocte intempeſta oper/tas in Hieroſolymam intulit imagines Cæſaris,quæ res poſt triduum grandem inter Iudæos ſuſcitauit tumultum: nā qui aderant ſtupore permoti ſunt:quaſi iā profanatas leges ſuas uiderent. Nullū enim fas eſſe dicunt collocari in urbe ſimu/lacrum. Ad querelam autem eorū qui in ciuitate erant,ſubito etiā de agris multi/tudo confluxit. Euntes autem ilico Cæſaream ad Pilatum, intentiſſime depreca/bantur,ut ab Hieroſolymis auferrentur imagines, & eis iura patria ſeruarentur. Pilato autem ſupplicantibus abnuente,circa domum eius proni corruerant:& im/mobiles quinq; diebus continuis noctibusq́ue manſere. Poſt autem Pilatus tri/bunal aſcendens, ſtudio magno cōuocat multitudinem Iudæorum,quaſi qui eis uellet dare reſponſum,cum ſubito milites accepto ſigno (ſic enim iam fuerat præ/paratum)armati circūſteterunt Iudæos:circundatáq; triplici acie,Iudæi quidē ſtu/pore erant pleni, uidentes inſperatam rerū faciem. Tunc Pilatus denuncians tru/cidaturum ſe omnes,niſi imagines Cæſaris ſuſciperent,annuit militibus ut educe/rent gladios. Iudæi aūt quaſi ex uno conſilio omnes ſubito corruerunt,& ceruices nudatas excipiēdis ictibus pararunt, uociferātes uniuerſos ſe interfici magis uel/le quàm legem profanari. Tūc Pilatus circa religionem ſtudiū populi demiratus, confeſtim de Hieroſolymis ſtatuas iuſſit auferri. Deinde uero conturbationē alte/ram commouebat:Eſt apud eos ſacer theſaurus,quem Corban dicunt, hunc ad inductionem aquarū fecit expendere; erat autem inducenda aqua ab ſtadijs tre/centis.

An.lib.18. cap. 5.

Aliás Iuliæ.

centis,ob hoc itaque uulgi oriebantur querelæ:ita ut etiam Pilati qui Hierosoly/
mam uenerat,cum clamore circundarent tribunal. Ille autem præuiderat tumul/
tum eorum:siquidem populo permiscuit armatos milites,qui tunc essent priuato
rum uestibus induti. Præcepitq; ut gladijs quidem nō uterentur,fustibus autem
acclamantes ferirent.Sicq; compositis rebus,dat ex tribunali signum,cōfestimq;
cædebantur Iudæi: quorum multi quidem perierūt plagis,multi uero se inuicem
trucidantes,in fuga misera contritione perierunt. Tunc ad calamitatem interfe/
ctorum stupens multitudo conticuit: atque ob hoc accusator Herodis tetrarchæ
Agrippa, q fuit filius Aristobuli,quē pater Herodes interfecit,ad Tiberiū uenit.
Illo aūt non suscipiente accusationē,residens Romæ ad aliquorū quidē potētium
notitias ambiebat.Maximis autem colebat officijs Germanici filium Caium, cū
adhuc esset priuatus. Et quodam die inter copiosum epularum apparatum,qui/
bus eum demerebatur,ad ultimum extensis manibus,aperte deum cœpit preca/
ri,celeriter illum mortuo Tiberio dominū cunctorum uidere.Hoc cum quidā de
familiaribus eius Tiberio nūciasset,statim cōdudi iussit Agrippā:qui & sub gra
di ærumna,usque ad mortē Tiberij,in carcere per menses sex tenebatur. Sed de/
functo eo,post regnum annorum duorum,& uigintitrium dierū,succedēs in im/ De.C.Caligu/
perium.C.Cæsar,absoluit Agrippam uinculis,& tetrarchiam Philippi(iam enim la.
iste decesserat)ei tradidit, regemqúe appellauit. Cum uenisset autem in regnum An.lib.18.
Agrippa, Herodis tetrarchæ cupiditates per inuidiam suscitauit. Iritabat autem cap.14.
eum maxime in spem regni Herodias uxor,exprobrans ei socordiam,& dicens,
quia per id quod noluerat ad Cæsarem nauigare,careret potestate maiore:Nam
cū Agrippam ex priuato regem fecisset,quomodo dubitaret illū ex tetrarcha eo/
dem honore donare?His adductus Herodes, uenit ad Caium,à quo ob auari/
tiam uehementer increpatus, ad Hispaniam fugit: secutus eum quippe fuerat
accusator Agrippa, cui etiam tetrarchiam illius C. Cæsar adiecit. Atque ita He/
rodes quidem in Hispaniam peregrinante secum etiam uxore,decessit.

De superbia Caij & Petronio præside. Caput IX.

CAius uero Cæsar, intantum cōtumelioſe abusus est fortuna,ut etiam & de/ An.lib.18.
um se putaret,& uellet uocari.Patriam quoq; suam multorum nobilium cæ/ cap.15.
de truncauit. Extendit autem impietatem suam etiam in Iudæam: Petronium
denique cum exercitu Hierosolymas direxit, præcipiens ut in tēplo statuas eius
locaret: quas nisi susciperent Iudæi, cōtradicentes quidem ex his interficeret,re/
liquam uero multitudinem captiuaret. Permouebat autem hoc profecto deum.
Et Petronius quidem, cum tribus cohortibus,multisq; de Syria auxiliatoribus
properabat in Iudæam de Antiochia.Iudæorum uero quidam nō credebant fa/
mæ prælium nuncianti. Qui uero credebant, nihil de resistendo poterant com/
miniſci.Celeriter autem in omnes peruadit metus, nam iam Ptolemaidem per/
uenerat exercitus. Est autem hæc ciuitas Galilææ littore in magno composita: Situs Ptole/
circundatur autem mōtibus ab orientali plaga per sexaginta stadia disseparatis, maidos.
sed ad Galilæam pertinentibus: à meridiano autem Carmelo, qui abest stadijs
centumuiginti: à septentrionali quoque monte qui est altissimus, quem uocant

etiam incolæ ſcalam Tyriorum: & hic autem diſtat ſtadijs centum. Ab ea autem urbe, quaſi ab duobus ſtadijs, præterlabitur fluuiolus, quem uocant Belum, exiguus prorſus: cui propè eſt ſepulchrum Memnonis, habens iuxta ſe centum ferè cubitorum ſpatium continentem, ſed admiratione digniſſimum: Eſt enim ſpecies uallis rotundæ, uitream emittens arenam: quam cum exhauſerint multæ naues, pariter accedentes, locus hiſdem rurſus impletur. Venti ſiquidem quaſi dedita opera, conuehunt illic de circumſtantibus ſupercilijs arenam iſtam, utique communem. Locus autem metalli, ſtatim metalla in uitrum quæ ſuſcepe rat, mutat. Mirabilius quoque mihi illud uidetur, quoniam iam conuerſæ arenæ in uitrum, quæcunque pars ſuper margines loci ipſius fuerit iacta, in communem arenam denuo conuertitur. Igitur loci quidem illius natura talis eſt. Iudæi aũt cum mulieribus & filijs collecti in campum, in quo eſt ſita Ptolemais, Petronio ſupplicabant, principio ob patrias leges, deinceps uero etiam pro ſuo ſtatu: Ille autem ob multitudinem precantium & precum inflexus, exercitum quidem & ſtatuas in Ptolemaide reliquit: procedens autem in Galilæam, & conuocans in Tiberiadem tam populum Iudæorum quàm omnes eorum nobiles, & uim Romani exercitus cœpit exponere, & minas Cæſaris. His addens, quoniam & contumelioſa eſſet ſupplicatio Iudæorum: cum omnes ſiquidem gentes quæ parerent imperio Romano, in ſuis urbibus inter reliquos deos, imagines quoque Cæſaris locauiſſent, ſoli Iudæi iſtud abnuerent. Hoc ſiquidem quaſi ab imperio deficere eſſet, etiam cum iniuria præſidentis. Illis uero contra hæc legem moresqúe patrios allegantibus, & quia ne dei quidem ſimulacrum, nedum hominis: nec ſolum in templo, ſed neque in profano aliquo totius regionis loco fas ſibi eſſet locare, arripiens dictum Petronius reſpondit: Sed & mihi domini mei lex ſeruanda eſt. Si eam quippe tranſgrediar, uobisq; parcam, iuſte animaduerſionẽ ſubibo. Impugnabit ſanè uos, non Petronius, ſed ille à quo ſum directus: ſiquidem ita & ego uos cogam implere quæ iuſſa ſunt. Ad hæc tota multitudo unanimiter ſuclamauit, ante legis temerationem omnem ſe libẽter ſubire periciẽ. Sedato autem eorum clamore, Petronius ait: Pugnare ergo, inquit, aduerſus Cæſarem eſtis parati? Reſponderunt Iudæi, pro Cæſare quidẽ & populo Romano ſe per dies ſingulos offerre ſacrificia: ſi autem in templo imagines æſtimet collocandas, debere eum totam Iudæorum gentem primitus immolare: præbere ſe quippe iugulos cum mulieribus & paruulis ei, qui interficere uoluiſſet. Ad hæc admiratio Petronium miſeratióque peruaſit, intuentem & inſuperabilem religionem uirorum, & tantum uulgus ad mortem conſtanter paratum. Et tunc quidem infectis omnibus receſſerunt. Poſtridie autem ac deinceps ſummates eorũ priuatim uiritimq; compellans, populum quoq; publice alloquens, tunc quaſi conſulẽs admonebat. Interdum etiã minabatur, extollens & uirtutem Romanam & indignationem Cæſaris: inter hæc etiam ſuam neceſſitatem, cui eſſent exequenda præcepta. Sed illis ad nulla horum experimenta cedentibus, cum uideret etiam ſemẽtẽ regionis intercipi, ipſum quidem anni tempus erat, & quinquaginta penè continuis diebus multitudo in urbe otioſa morabatur: ad ultimũ conuocatis omnibus, ait, ſe etiam periculoſam rem uelle aggredi: Aut enim deo cooperante placabo

Sepulchrum Memnonis.

cabo Cæſarem,ac uobiſcū ſaluabor libenter: aut illū in ultionem iritabo:pro tanta magnitudine impendo animam meam. Atq; ita dimiſſis turbis, multa pro eo uota facientibus,Antiochiā ab Ptolemaide reuocauit exercitum:atq; illinc confeſtim miſit ad Cæſarē,referēs & quo apparatu in Iudæā irruiſſet,& quod tota gēs ſupplicaſſet: quibus ſi abnuendum putaret, noſſet cū uiris etiam prouinciam eſſe perdendam.Seruare ſiquidem ipſos legem patriā,& nouis præceptis uehementer obſiſtere.His epiſtolis reſpōdit Caius immodice, cōminans Petronio mortē, quoniā iuſſionum ſuarum ſegnis executor fuiſſet. Sed ſcriptorum taliū uectores per tres continuos menſes contigit aduerſa tempeſtate retineri .Aliī autem exitium C.Cæſaris nunciantes,proſpere nauigauerunt: denique ante ſeptem & uiginti dies epiſtolas Petronius accepit, finē Cæſaris indicantes,q̄ illi peruenirent, qui comminantia ſcripta portarent.

De imperio Claudij & regno Agrippæ ac morte. Caput x.

CAio igitur per dolum interempto, qui regnauerat annis tribus, menſibus ſex,rapitur in regnum ab eo exercitu,qui Romæ erat,Claudius.Senatus autem, referētibus conſulibus Ignatio Saturnino & Pomponio Secundo,mandat tribus legionibus ut eſſent præſidio ciuitati, & ipſe frequens in capitolium deuenit. Quia propter immanitatem Caij, bellum agi cum Claudio decernebat,uolens imperium ad optimates reducere: ut ſicut olim fuerat,ad regendum digniſſimi eligerentur. Accidit autem ut Agrippa aduenīret:quem cū & ſenatus in concilium & in caſtra Claudius euocaſſet, ut ſcilicet eo ſtrenuo adiutore uteretur in quibus res poſceret:uidens Agrippa Claudium iam eſſe opibus Cæſarem,ad eū perrexit: quem ille ilico legatum ad ſenatum miſit,indicantem ſuum propoſitū, quoniam primo quidem inuitus ab exercitu raptus ſit,& iniquum eſſe, ſi militū erga ſe ſtudia tam religioſa deſereret,imò tutam aliter ſuam non eſſe fortunam: iam enim ad inuidiam ſatis fore, quod in regnum uocatus ſit. Deinde adminiſtratum ire paratum eſſe in rempub. non ut aliquis tyrannus, ſed ut præſul benignus: ſufficere ſibi quippe honorem nominis.De ſingulis autem negotijs communem omniū ſtare ſententiam.Nam & ſi non natura eſſet modeſtus,locuples tamen moderandæ poteſtatis exemplum Caij morte eſſe propoſitum: Quæ cū detuliſſet Agrippa, reſpondit curia,quaſi quæ exercitui & bonis conſilijs fideret, nolle ſe ſubire uoluntariam ſeruitutem. Sed accepto patrum reſponſo,Claudius rurſus miſit Agrippam,nuntiantem eis,quoniam non poſſet adduci ut eos proderet,quorum conceſſu in imperium eſſet accitus .Inuitum autem ſe initurum eſſe pugnam aduerſus eos,cum quibus confligere minime uellet:proinde eligendū eſſe locum extra ciuitatem in quo confligerent. Neque enim ſanctum eſſe,propter illorum peruerſitatem,patriam ciuili cæde fœdari.Et Agrippa quidē iſta ſenatui nūciauit.Inter hæc unus de illis militibus,qui cū patribus erant, educens gladium: Commilitones,inquit, quibus perturbati cauſis parricidia perpetrare cupimus,& concurrere aduerſus propinquos noſtros Claudium ſecutos? maxime cum habeamus imperatorem quem in nullo culpare poſſimus: & ad quem cum iuſtis magis allegationibus,quàm cum armis egredi debeamus. Hæc dicens, per

An.li.19.ca.3.

An.li.19.c.4.

mediam egreſſus eſt curiam, omnibus ſe militibus conſecutis. Hoc exemplo opti mates deſerti, in magno metu eſſe cœperunt: ac deinceps uidentes ſibi aduerſa tionem tutam non eſſe, iter ſecuti militum, ad Claudium tranſierunt. Occurre bant autem eis pro muris, nudatos gladios ferentes hi, qui fortunæ regis ambi tioſius adulabantur: & penè accidit, ut progreſſi quinque interficerentur, ante ſcilicet quàm militum impetum Cæſar agnoſceret: niſi præcurrens Agrippa, im minentis ei facinoris periculum nunciaſſet: dicens quoniam niſi coërcuiſſet exerci tum, iam in ſanguinem ciuiũ furentem, cõfeſtim amiſſurus eſſet omnes per quos conſpicuum eſſet imperium, fieretq; ſolitudinis imperator. Hæc audiens Claudi us, continuit militum impetum. Suſcepit autem in caſtris aduenientem ſenatũ, & indulgenti honore complexus, egreſſus cum patribus confeſtim obtulit deo ui ctimas, ut mos eſt pro imperio ſupplicari. Agrippam quoque protinus mune ratur regio regno paterno, omnia adijciens ei, etiam illa quæ Auguſtus Herodi donauerat, Trachonitidẽ ſcilicet & Auranitidem. Præter hæc autem aliud quoq; regnum, quod Lyſaniæ uocabatur. Et populo quidem donationẽ hanc per edi ctum indicauit. Patribus autem præcepit, ut inciſam æreis tabulis in Capitolio collocarẽt. Donat autẽ ei etiam fratrem ſuum Herodem qui generis eiuſdẽ erat, Beronice iunctus reginæ Chalcidis. Opinione autẽ celerius Agrippæ dati regni cenſus maximus afluebat: qua ſanè pecunia, non ille in rebus exiguis abutebatur, ſed talem murum Hieroſolymis circũdare cœpit, qualem, ſi potuiſſet abſolui, in efficacem prorſus obſidionem Romanis oppugnantibus effeciſſet. Sed antequã impleret opus, deceſſit in Cæſarea. Regnauit autem annis tribus. Ante quoque cum Tetrarchiam regeret, alijs tribus annis tenuerat poteſtatem. Reliquit filias tres de Cypride natas, Beronicen, Mariam atque Druſillam: filium autem ex ea dem ipſa coniuge, nomine Agrippam, qui non nimis paruulus erat. Tunc Clau dius regnum eius in prouinciam redegit, in cuius procurationem miſſus eſt Ceſti us Feſtus. Poſt hunc autem Tiberius Alexander: qui nihil de conſuetudine pa tria immutantes, gentem in pace tenuerũt. Poſt hæc uero & Herodes, qui regna bat in Chalcide, deceſſit, relinquens de ſorore quidẽ ſua Beronice filios duos, Be ronicianum & Hyrcanum: de priore autem Mariamne, Ariſtobulum: cuius fra ter mortuus fuerat Ariſtobulus priuatus, relicta filia Iotapata: hi quidem erant (ſicut diximus) liberi Ariſtobuli, qui fuerat Herodis filius. Alexander autẽ & Ari ſtobulus nati fuerant Herodi de Mariamne, quos ipſe parens occidit. Alexandri autem poſteri in maiori Armenia regnauerunt.

An. l. 19. ca. 5.

An. lib. 19. ca. pite. 7. 8.

De uarijs tumultibus in Iudæa & Samaria. Caput XI.

POſt obitum aũt Herodis, qui regnauit in Chalcide, Claudius Agrippam fili um Agrippæ in auunculi ſui regno cõſtituit. Alterius aũt prouinciæ ſuſcepit curam poſt Alexandrum Cumanus, ſub quo oriri cœperunt tumultus, & denuo Iudæos calamitas cõprehendit. Conueniẽte quippe multitudine ad diẽ feſtũ azy morũ in Hieroſolymam, ſtãte legione Romana ſuper porticũ tẽpli, armati quip pe milites ſemp cuſtodiebãt feſtos dies, ne quid conueniẽtes populi nouare aude rẽt. Vnus ergo è militibus, reductis turpiter ueſtimẽtis, inclinãs poſteriora ſua ob

uertit

uertit ad faciem Iudæorum:& ad hunc habitum uocem emittens ſimilem ſuccla-
mauit.Ob quod factum tota cœpit multitudo conqueri,ita ut circumſtarent Cu-
manum,ad ſuppliciū militem depoſcentes.Ex his autē inconſulti iuuenes,& qua-
ſi natura apti ad ſeditiones mouendas,in litem grauiſſimam proſiliebant:hi con
tinuo quippe ſaxa rapientes,percutiebant milites.Tunc ueritus Cumanus,ne to-
tius in eū uulgi impetus fieret,plures euocauit armatos: qui cū eſſent porticibus
immiſſi,metus grauis incidit Iudæis. Statimq; in fugā uerſi,relicto templo refu-
gere cœperunt. Tanta autem per egreſſos de conſtipatione obtritio facta eſt,ut
conculcatione mutua ſuper *triginta milia hominum cōſumpta ſint.Facta eſt au- *Duo milia in An.
tem uniuerſæ genti luctuoſa feſtiuitas,& planctus per domos ſingulas perſona-
bat.Succeſſit autem huic calamitati latrocinātium tumultus.Iuxta Bettorō quip
pe,circa aſcenſum publicum, Stephanus quidā ſeruus Cæſaris ſupellectilē quan-
dam uehebat,quæ ab irruentibus direpta latronibus eſt.Cumanus autem ad in-
quiſitionem mittens eos,qui in proximis uicis eſſent,uinctos ad ſe adduci iuſſit:
denuncians,ut inquiſitos latrones in uincula conijcerent:qua occaſione, quidam
militum in uico aliquo libros ſacræ legis offenſos diſcidit atq; combuſſit: Iudæi *De illo qui ſa-
autem quaſi totam religionem inflammatam uiderent,undiq; confluxerunt: & cros libros cō
uelut machinamento aliquo,ita ui ſuperſtitionis attacti,omnes ad unam euoca- buſſit.
tionem ad Cumanum Cæſareā concurrunt:precantes ut militem,qui tantam con
tumeliam deo legiq; eius intuliſſet,eum non relinqueret impunitum. Ad hæc il-
le,uidebat enim multitudinem nequaquam quieturā,niſi aliqua eſſet ſatiſfactio-
ne ſedata,adiudicatū militem per medium populum ad ſupplicium iuſſit addu-
ci: ſicq; Iudæi placatis animis receſſerunt.Denuo autem Galilæorum & Samari
tanorum conflictus exoritur. In uico enim,quem * Germanam uocāt,qui eſt in *Ginaim.
magno Samariæ campo ſitus,quidam Galilæus de numero Iudæorum ad feſti-
uitatem aſcendens interficitur. Ad quod factum multi ex Galilæa regione con-
currerunt,ut cum Samaritanis confligerent.Horum autē nobiliores conuenerūt
ad Cumanum,rogantes,ut antequam grauis calamitas oriretur,tranſiret in Ga-
lilæam: & in eos,qui autores eſſent homicidij,uindicaret.Cumanus uero his ne-
gotijs quæ habebat in manibus poſtponens illorū petitiones,ſine effectu preca-
tores remiſit.Nunciato igitur homicidio Hieroſolymam, omnis multitudo com
mota eſt:& relicta diei ſolennitate, in Samariam uulgus impetum fecit,ſine ullo
duce,nec cuiquam principum ſuorum retinenti acquieſcentes. Latrocinio autem
eorum & tumultu quidā Dinei filius Eleazarus,& Alexander, præerat:qui in A-
crabatenæ regioni conterminos irruētes, promiſcuā ædidere cædē, à nullius æta-
tis exitio temperantes,uicos etiam inflammauerunt. Cumanus autem hæc au-
diens, adduxit ſecum unam equitum alam, quæ uocatur Sebaſtianorum, ut au
xilio his qui uaſtabantur,eſſet: ſicque eorum multos qui Eleazarum erant ſecu-
ti,cōprehendit,plures quoque interfecit. Ad reliquam aūt multitudinem,qui in
uaſtandos Samaritanorū fines irruerant, principes gentis de Hieroſolymis con
currerunt: opertiq; cilicijs, & aſperſis cinere capitibus precabantur, ut ab ince-
pto deſinerent: nec propter exercendam in Samaritas ultionem, ad Hieroſoly
mæ perniciem Romanos commouerent: miſererentur autem patriæ ſuæ atque
templi

templi,filiorumq; & coniugum propriarum,neq; omnia pariter in diſcrimen adducerent,neq; ob unius Galilæi uindictã cuncta diſperderent. His acquieſcentes Iudæi,à negotio receſſerunt. Multi autem per idem tẽpus in latrocinia conſpirabant:ſicut uere ſolet inſolentia creſcere,rebus quietis: per quæ in omnem regionẽ agebantur rapinæ,& audaces quiq; reliquis uim afferebant. Tunc Samaritarum primates ad Numidium Quadratum,qui Syriam procurabat,Tyrum uenerũt, uindicari de his qui regionẽ eorum deprædati fuerant, poſtulantes. Præſto autẽ fuerant etiam Iudæorum nobiles: & Ionathas,filius Ananiæ,princeps ſacerdotum,obiecta diluens allegebat, initiũ quidem tumultus Samaritas fuiſſe,qui primi homicidium perpetraſſent,cauſam tamen calamitatum poſtea ſecutarũ præbuiſſe Cumanum,qui inter principia autores cædis noluiſſet ulciſci. Tunc Quadratus utranq; partem interim diſtulit,dicens: Quoniam cum ad ipſas regiones ueniſſet,diligenter ſingula inquireret:deinceps uero procedens Cæſaream,eos omnes quos Cumanus uinctos reliquerat,in crucem ſuſtulit. Inde cum Liddã uenisſet,denuo audiuit Samaritanorum querelas:& Iudæorum decem & octo uiros,quos cognouit pugnæ fuiſſe participes,ſecuri percuſſit. Duos autem pontificum, ſacerdotem Ionathan,& Ananiam,eiusq; filiũ Ananum,& nonnullos alios Iudæos nobiles Cæſareã deſtinauit: ſimiliter autem & Samaritarum nobiliſſimos quoſq;. Præcepit ergo Cumano,& Celeri tribuno,Romam nauigare,reddituris Claudio rationem, pro his quæ in regione geſſerant. His ita compoſitis, à Lidda aſcendebat Hieroſolymam:& inueniens multitudinem feſtiuitatẽ azymorum celebrantem, ſine ulla conturbatione Antiochiam rediit. Romæ autem Cæſar auditis allegationibus Cumani & Samaritanorum (aderat autem etiam Agrippa,Iudæorum cauſam magna intentione defendens:ſiquidem & Cumano multi potentium aderant)pronuncians aduerſus Samaritas,tres eorum nobiliſſimos iuſſit interfici. Cumanum autem iuſſit urbe diſcedere. Celerem autem tribunum uinctum Hieroſolymã mittens, Iudæis ad ſupplicium tradidit, ut per urbem tractus, capite cæderetur. Poſthæc Felicem Pallantis fratrẽ deſtinauit ad Iudæos,qui & eorum prouinciam cum Samaria & Galilæa curaret. Agrippã uero de Chalcide in regnum maius tranſtulit, tradens ei illam quoq; prouinciam, quæ Felicis fuiſſet. Erat autẽ iſta Trachonitis & Bathanea,& Gaulanitis. Addidit autem regnum etiam Lyſaniæ,& tetrarchiam,quam Varus rexerat. Ipſe autem per annos tredecim,menſes octo,dies triginta adminiſtrato imperio,deceſſit:ſucceſſorem regni Neronem relinquens,quem ſuadelis Agrippinæ uxoris ſuæ in imperium cooptauerat, & quidem cum legitimum haberet filium, Britannicum ex Meſſalina natum,priore ſcilicet coniuge, & Octauiam filiam,quam ipſe priuigno collocarat Neroni. Suſceperat autẽ ex Agrippina Antoniam. Et Nero quidem, quemadmodũ per magnitudinem felicitatis & opus, abuſus ſit fortuna:& qualiter fratrem ſuum,atq; uxorem,matremq; interfecerit, poſt quos in omnes proximos immanitatem ſuam conuertit,atq; ut ad ultimum per amentiam ad hiſtrionum opera ſcenamq; peruenerit,quoniam ſcio eſſe narratione morẽ ſtum,tacitus præterire melius puto.

De conſpiratione latronũ.

Claudio mortuo Nero ſuccedit.

De

De tumultibus in Iudæa ſub Felice. Caput XII.

COnuertar autē ad narrāda, quæ ab eo aduerſus Iudæos geſta ſunt. Minorē igitur Armeniam regnandam Ariſtobulo dedit, Herodis filio. Regno aūt Agrippæ quatuor urbes addidit cum agris ad ſingulas pertinentibus: in Ituræa ſcilicet regione, Abelam & Iuliadem: in Galilæa autem Taricheam & Tiberiadē. Reliqua autem Iudææ Felici procuranda dedit. Hic principem latronum Eleazarum, qui per uiginti annos regionem fuerat deprædatus, aliosq; cum eo multos cepit, uinctosq; Romam direxit: Aliorumq; quos in crucem ſuſtulit, latronū uel in communione ſceleris deprehenſorū popularium, fuit penè innumerabilis multitudo. Sic autem regione purgata, aliud genus latrocinantium in Hieroſolymis oriebatur. Hi autē ſicarij uocabātur, die claro, & in media ciuitate paſſim quoſq; interficientes. Potiſſimum uero diebus ſolennitate feſtiuis, immiſcebātur uulgo, ſicas ſub ueſte geſtantes. His diuerſos quoſq; interficiebant: ac deinceps collapſis hominibus, illi inter reliquos de ſcelere querebantur: qua fraude extra ſuſpicionē manebant, diūque latuerunt. Primus igitur ab eis Ionathas pontifex interficitur. Poſt hunc autem quotidie plurimi cædebantur, atq; ipſis calamitatibus moleſtior timor ciuitatem premebat: ſicut enim in medio bello, per ſingula momēta omnes mortem operiebantur. Circumſpiciebāt autem unuſquiſq; eminus quoſq; appropinquātes: & neque amicis ſuis fidere poterant, dum tamen in medijs ſuſpicionibus atque cuſtodijs nihilominus interficiebantur. Tanta erat latrocinantiū temeritas, & ars quædam latēdi. Ad hæc autem alia etiam malorum collectio facta eſt, cæde quidem abſtinentium, ſed conſilijs magis impiorum, quæ pars non minus quàm ſicariorum felicitatem urbis ſtatumq; corrupit. Seductores quoque homines & circumuentores, ſub ſpecie religionis nouis rebus ſtudētes, uulgus inſanire fecerunt: nam in ſolitudines egrediebantur, promittentes deum ſigna eis oſtenſurū libertatis. Cōtra quos Felix (uidebātur quippe ſemina defectionis eſſe) mittens equites atque pedites armatos magnam multitudinem interfecit. Maiore autē plaga Iudæos afflixit Aegyptius quidā pſeudopropheta. Adueniēs quippe in prouinciam, magus cum eſſet, prophetæ opinionem ſibi arrogans, triginta fermè milia hominum congregauit, quos uana ſeductione deceperat. Et circumducens eos de ſolitudine in mōtem qui uocatur Oliuarū, inde in Hieroſolymam nitebatur aſcendere: depulſoque Romanorū præſidio, in populares exercere dominationem. Vtebatur autem ſtipatoribus, qui ad id facinus conuenerant. Præuidit ſanè eius impetum Felix: & occurrens cum ipſis Romanis armatis, quos etiam Iudæorum reliqua multitudo iuuabat, inijt conflictum. Et Aegyptius quidē cum paucis fugit. Plurimi autem qui cum ipſo fuerant, comprehenſi atque uinculis traditi ſunt. Reliqua uero multitudo in regiones proprias diſperſa eſt. Cōpreſſis uero his etiam, ſicut febres in ægro corpore, rurſus pars altera tumeſcebat. Magi enim quidam & latrones collecti, multis afflictionem inducebant: & quaſi ad libertatem uocabant, mortem apertiſſimam comminantes his, qui Romanorū principatui obedire uoluiſſent: ut uel reluctantes auerterent eos, qui ſponte am ferrent ſeruitutem. Diſperſi ergo per totam regionem diripiebant, aliquorumque potentium domos, eoſque inſuper trucidabant: inflammabant etiam

An. lib. 20. cap. 11.

Sicarij.

An. lib. 20. cap. 12.

De Aegyptio pſeudopropheta.

agros,

agros,ita ut desperatione eorum tota Iudæa protinus impleretur.Et hæc quidem pugna indies grauius augebatur. Alter autē tumultus ortus est circa Cæsaream, inter Iudæos scilicet qui ibi permixti habitabāt,& Syros,seditione commota. Hi siquidem poscebant, ut eorum fieret ciuitas,Iudæum eius fuisse conditorem dicentes: erat autem rex Herodes. Aemuli uero, conditorem quidem confitebātur Iudæum,ipsam uero ciuitatem fuisse gentilium uindicabant.Neq; enim illic statuas & fana potuisse constitui,si ad Iudæos eam cōditor pertinere uoluisset. Ob has ergo causas inter se populus uterq; iurgabat. Procedebat autem usq; ad arma contentio:& quotidie ad confligendum audaces quique parte alterutra prosiliebant.Neque enim Iudæorū seniores cohibere tumultus gentis suæ poterāt: & Græcis turpissimum uidebatur,Iudæis inferiores uideri.Præstabant autē hi quidem diuitijs & corporum uiribus,Græci uero auxilio militum:Magna siquidem pars Romanæ manus,de Syria illò fuerat congregata:& quasi cognati,ad auxiliandum parati erant Syris. Præfecti autem militum curabant comprimere tumultum:& pugnaces quosque comprehendentes,taureis ulciscebantur ac uinculis. Neque tamen supplicia comprehensorum,impedimentum aut timorem reliquis inferebant:imò magis hoc ipso in seditionis irritabantur augmentum.Tunc demum Felix minaci edicto præcepit contumaces quosque urbe discedere: nō parentium autem immissis militibus interfecit non paucos. quorum etiam substantiæ direptæ sunt.Post hæc quoque,cum uideret seditionem manere,nobiles utriusque partis elegit,& suscepta legatione misit ad Neronē, pro his,quæ sibi competere arbitrarentur,acturos.Successit autem Festus.Et hos qui maxime infestabant prouinciam, solicite persecutus, latronum plurimos comprehendit atque interfecit.

An lib.20. cap.13.

De præsidibus Iudææ Albino & Floro. Caput XIII.

An.lib.20. cap.15.

VErum successor huius Albinus,non eodem more negotijs præfuit. Neque enim fuit aliqua malignitatis species,quā ille præterierit. Deniq; nō solum causis ciuilibus furabatur,& diripiebat substantiam singulorum,neque solum tributorum additamentis in cōmune gentem grauabat:sed etiam quos ob latrocinia uel decuriones ciuitatū comprehenderunt,uel quia prioribus iudicibus in custodijs erant relicti,accepta à cognatis eorum pecunia,liberauit. Et is solū qui nō dedisset, in carceribus quasi nocentissimus remanebat.Per idem tēpus,eorū quoque qui res nouare cupiebant, in Hierosolymis crescit audacia.Ex quibus sanè q erant opulenti,Albinum largitione redimebant,ut eis tumultum mouentibus nō indignaretur:pars autem popularis quæ non satis gaudebat quiete,Albini participibus iungebatur. Vnusquisque ergo improborum cohorte propria circundatus,ipse quidem quasi princeps latronū & tyrannus eminebat.Stipatoribus uero suis ad direptionem mediocrium abutebatur.Ita fiebat,ut hi quidem,quorū uastabātur domus, tacerent:illi autem,qui extra incommodū stetissent, metu ne similia paterentur,querelis deterrebātur:imò & officijs ambiebāt eos,quos constabat dignos esse supplicijs.In cōmune aūt omniū fuit intercepta fiducia Et erat tūc multiplex dominatio,& semina captiuitatis futuræ iā ab illo tēpore spargebant.

Malorum impunitas sub Albino.

Cum

Cum ſanè eiuſmodi morum fuiſſet Albinus, tamẽ ſuccedens ei Ceſtius Florus, optimum eum per comparationem ſui fecit uideri. Ille ſiquidem plura occulte & cum fraude nocuerat: Ceſtius uero iniquitates ſuas in uniuerſam gentem, tam palàm quaſi gloriaretur exercuit: ac uelut non ad regendam prouinciam, ſed ad damnatorum pœnas carnifex miſſus, neq; rapinarum ullum morem, neq; afflictionum prætermiſit. In miſeris autem crudeliſſimus erat, in turpibus uero impudentiſſimus. Neq; enim quis illo amplius offendit fallacia ueritatem, neq; cõmentus eſt callidiores nocendi uias. Huic ſiquidem uiritim illatis diſpendijs, lucra quærere exiguum uiſum eſt: ſed totas ſimul diſpoliauit urbes, & labes populis inferebat, non ſolum uoce per totam regionem edicẽs, liberum eſſe omnibus latrocinari, dum ipſe prædarum acciperet portionem. Denicq; ob illius auariciã contigit totam penè deſeri regionem, ita ut plurimi ſedes patrias relinquẽtes, ad externas prouincias commigrarent. Donec autem in Syria Ceſtius Gallus prouinciam regebat, neq; auſus quiſpiam Iudæorum eſt aduerſum Florum ad eum mittere legatos. Cum uero inſtante Azymorũ ſolennitate ipſe Hieroſolymã ueniſſet, occurrens multitudo, quæ facile tricies centenorum milium fuit, precabatur, ut gentis ſuæ calamitatibus ſubueniret, & peſtem illam prouinciæ Florum ut eiiceret clamitabat. Qui tamẽ quum ſub populi ore eſſet, & Gallo aſſiſteret, non ſolũ nihil mouebatur, ſed uoces illas etiam deridebat. Ceſtius tamen cõpeſcens impetũ populi, & edicẽs quod deinceps placatiorem eis Florum redderet, regreſſus eſt Antiochiam. Deduxit autem eum uſq; ad Cæſaream Florus, illudẽs mendacijs, & Iudæorum genti bellum ſedulo cominiſcens, quo ſcilicet ſolo iniquitates ſuas occultum iri poſſe credebat. Pace ſiquidẽ permanente, habiturũ ſe apud Cæſarem accuſatores Iudæos: uerum ſi defectionem negociatus fuiſſet, maiore utiq; malo abducendam à ſe eſſe inuidiam peccatorum minorum. Igitur ut gẽs ab Romano abrumperetur imperio, ſedulo indidem augebat calamitates. Per idem tempus apud Neronem Cæſarienſes gentiles uictores extitere. Decretumq; iſtud conteſtantes, literas attulerunt, perq; hoc bello Iudaico dabatur exordium, duodecimo ſcilicet anno regni Neronis, ſeptimodecimo autem regni Agrippæ, menſe Maio.

An. lib. 20. Cap. 1.

De Ceſtio Gallo.

An. lib. 20. cap. 15.

HVCVSQVE IOSEPHVS HANC HISTORIAM IN Antiquitatibus eſt proſecutus, dicens, tyrannidem Flori Iudæis anſam præbuiſſe, quare contra Romanos arma mouerint.

De Floro ſæuiente in Iudæos Cæſarienſes, & Hieroſolymitas. Caput .xiiii.

AD magnitudinem autem excitatorum de eo malorum, nequaquam idoneas cauſas habuiſſe deprehenditur. In Cæſarea ſiquidem habitantes Iudæi, habebant ſynagogam prope agrum, cuius erat dominus gentilis quidam Cæſarienſis, & frequenter quidem egerant, ut ad eorum ius illa poſſeſſio iungeretur, multis partibus maius precium quàm res meruerat offerentes. Dominus autem loci non ſolum preces eorum deſpexiſſe contentus: ſed ad maiorem dolorem ædificauit in loco tabernas, ita ut anguſtum eis tranſitũ & prorſus coarcta-

Exordiũ belli Iudaici.

tum relinqueret. Primum igitur feruentiores aliqui iuuenum prosilientes, ædificationem uetabant. Cum uero Florus hos à prohibendo cohiberet, non habentes Iudæorum nobiles quid agerent, inter quos erat etiam Ioannes telones, inflectunt Florum oblatione octo talentorum, ut ædificationem uetaret. Ille autē ob capiendam tantummodo rem, promittens se cuncta facturum, accepta pecunia statim de Cæsarea egressus est, uenitq; in Sebasten, seditioni tribuēs facultatem, quasi qui pugnæ spatium Iudæorum summatibus uendidisset. Sequenti autem die, quæ apud Iudæos sabbatum est, cum plebs ad synagogam coisset, seditiosus quidam Cæsariensis uas samium ante ingressum eorum ponens, alites immolabat. Hoc factum Iudæos incoērcibiliter accēdit, & legem suam quippe contumeliam pertulisse, & locum ipsum dicebant fuisse pollutum. Pars autē Iudæorum quæ erat constantior atq; moderatior, denuo iudicibus esse conquerendum rebatur. Seditiosi autem & iuuentute turgentes Iudæi, effundebantur in litem. Stabāt autem ad confligendum parati etiam Cæsariensium tumultuosiores. Ex cōsilio quippe directus fuerat, qui pro synagogæ foribus immolaret: Sicq; continuo est pugna commissa. Interueniens autem Iocundus, qui ad prohibendum erat relictus, præfectus equitum, uas illud quidem quod positum fuerat iussit auferri, & tumultum sedare pergebat. Cum uero superatus esset præ Cæsariensium uiolentia, Iudæi statim libros legis rapientes secesserunt in Narbata: Regio quædam eorum hoc nomine appellatur, direpta à Cæsarea stadijs sexaginta. Primates autem eorum duodecim, cum Ioanne in Sebasten ad Florum uenerunt, de his quæ acciderant conquerētes, & ut auxilio esset rogabāt, quamuis reuerenter, tamen eum & de octo talentis admonentes. Ille uero ilico comprehēsos eos uinciri iussit, arguēs cur leges de Cæsarea auferre ausi fuissent. Pro hoc igitur ad Hierosolymitas grauissima iurgia nascebantur: ueruntamen adhuc indignationem suam frenabant. Florus uero, quasi ad hoc operam suam locasset, ut bellum inflammaret, misit ad sacrū thesaurum, ut inde decē & septē talenta auferrentur, quasi eam pecuniam impensæ Cæsaris flagitaret. Tūc uero statim inuasit populum multa confusio: concurrentes ad templum, maximis uocibus nomen Cæsaris appellabant, ut à tyrannide Flori liberarētur orātes. Quidam aūt seditiosorum, in Florū maledicta iaciebant ultima: & canistrum circūferentes stipem eius nomine postulabant, quasi inops & miserrimus talibus indigeret auxilijs. His aūt omnibus nihil est à cupiditate deterritus, sed multomagis ad deprædandū iritatus est. Deniq; cum debuerat Cæsaream ueniens ignē belli illic nascentis extinguere, causasq; tumultuum submouere, pro quo etiam mercedem acceperat pactus: tamen cum exercitu equitum atq; peditum Hierosolymā contendit, ut Romanis armis ad quod uolebat uteretur, ac timore & minis urbē nudaret. Tunc populus lenire eius impetum uolens, obuiam militibus processit, cum solitis utiq; fauoribus, & Florū honorare officijs paratus. Ille uero præmittens cum equitibus L. centurionem, nomine Capitonē, discedere eos iussit. Neq; eum, in quem tam grauia maledicta iecissent, falso denuo honore deluderent. Oportere quippe eos, si uiri sunt fortes, animisq; constantes, etiam in præsentē effundere contumelias: nec solum eos in uerbis, sed etiam in armis amorē libertatis

Perfidia Flori.

Florus bellū inflammat.

tatis oſtendere. His dictis exterrita multitudo, ſimul etiam militibus, qui cũ Capitone uenerant, in mediũ uulgus irruentibus, diffugerunt antecp̃ Florũ ſalutarent, aut militibus officia conſueta redderent. Diſcedẽtes igitur in domos, cũ metu atq; humilitate peruigilẽ duxere noctẽ. Florus aũt tunc quidem deguit in regia, poſtridie aũt aduerſum eos extructo tribunali ſublimius reſedit: conuenientesq; ſacerdotũ principes, & ciuitatis uniuerſa nobilitas, aſtiterunt tribunali. His præcepit Florus, ut omnes qui maledicta in eũ ſuccłamaſſent, protinus darẽt: edicẽs in ipſos eſſe, niſi reos produxerint, uindicãdũ. Ad hæc reſpondent Iudæi: populũ quidẽ pacifica quæq; ſentire, illis uero qui errauiſſent in uerbis, ueniã cõ ferendã poſtulabãt. In tãta ſiquidẽ multitudine, nihil eſſe mirandũ, offendi aliquos temerarios, & per ætatẽ inſipientes: eſſe autẽ inpoſſibile, corũ qui deliquerint, diſcrimẽ agitari, cũ & ſingulos nimirũ pœniteat, & præ timore ad negandũ ſint parati. Debere tamẽ illũ, ſi conſuleret gentis quieti, & uellet Romano imperio ſeruare urbẽ, magis propter multos innoxios dare ueniam, etiã paucis delinquentibus, quàm propter paucos improbos perturbare multitudinem tantã bonorũ. Ad hæc uero ille magna indignatione inflãmatus, militibus exclamauit, ut forũ rerum uenaliũ, quod erat in ſuperiori parte ciuitatis, diriperent, ac paſſim obuios trucidarent. Illi uero ad lucri ſui cupidinẽ addita autoritate rectoris, non ſolũ illum diripuerunt locũ in quẽ fuerant immiſſi, ſed in uniuerſas inſiliẽtes domos, interficiebant habitatores. Fuga aũt erat per angiporta omnia, & cædes eorum, qui cõprehendebantur: direptionis quoq; nulla ſpecies præteribatur. Multos autẽ etiam nobiliũ comprehendentes adduxerunt ad Florum, quos ille uerberibus laniatos in crucem ſuſtulit. Deniq; omnis numerus illo interfectorũ die cũ paruulis & mulieribus (neq; enim uel lactantibus pepercerãt) fuit ſexcenti & triginta. Grauiorem autẽ faciebat calamitatẽ uideri nouitas Romanæ calamitatis: quod enim nemo unquam prius, tunc Florus auſus eſt, ut uiros ſcilicet equeſtris ordinis pro tribunali flagellis cæderet, ac patibulis affigeret. Quorũ & ſi origo Iudæa, tamen Romana dignitas erat.

De alia oppreſſione Hieroſolymorum dolo Flori. Caput XV.

PEr idem tempus rex quidem Agrippa Alexandriam erat profectus: ut Alexandrum, qui Aegyptum procurabat, miſſus à Nerone, iure hoſpitis conueniret. Germanam autem ſuam Beronicen, Hieroſolymis inuentam, & iniquitatẽ militum uidentem, grauis pro hoc angor inuaſerat, & frequenter quidem præfectos equitum ſuorum, cuſtodesq; corporis mittens ad Florum precabatur, ut à cæde deſineret. Ille uero neq; in multitudinem interfectorũ, neq; in nobilitatem precatricis, ſed tantum in lucra ſua, quæ de rapinis congregarentur, aſpiciens, cõtempſit annuere: impetus autem militum etiam aduerſum reginã efferatus eſt. Non ſolum quippe ſub oculis eius obuios quoſq; multabant atq; trucidabant, ſed etiam ipſam, niſi confugiſſet in aulam, interfeciſſent. Ibi autem peruigilẽ noctem cum intenta cuſtodia egit, uerens utiq; irruptionem militum. Venerat aũt Hieroſolymam, ut uota deo ſolueret. His enim qui morbo uel alijs neceſſitatibus implicantur, mos eſt orare per triginta dies, antequam immolent hoſtias:

abſtinere quoq; uino, & capillos radere. Quem morem Beronice regina ſibi exercens diebus, nudipes etiam ante tribunal ſtetit, deprecans Florum, & præter quod nihil honoris habitum eſt, etiam de uita ſua periclitata eſt. Hæc autem facta ſunt ſextodecimo die menſis Marij. Poſtridie autem conueniens multitudo in forum, quod erat inſuperiori parte ciuitatis, magnis clamoribus de his qui interfecti fuerant, querebantur: potiſſimum autem inuidioſæ in Florum uoces erant: quod ueriti primates quiq; & pontifices, diſruptis ueſtibus, & uiritim ſingulos comprehendentes, poſtulabant, ut ab his uerbis, quorum cauſa mala tanta pertulerant, deſinerent, neq; in maiorem indignationem Florum mouerent. Sicq; ſedata eſt multitudo, tam reuerentia precantium, quàm ſpe quod nequaquam Florus ultra in eos ſæuiret. Ille autem uidens multitudinis tumultum ſuiſſe compreſſum, angebatur: & denuo eam inflammare cupiens, pōtifices cum nobilibus aduocauit. Itaq; unum ait argumentum fore, quod nihil ulterius de nouandis rebus cogitaret, ſi populus obuiam procederet militibus de Cæſarea uenientibus: ueniebant autem duæ cohortes. Qui cum conuocaſſent populum ad occurrendū, mandat centurionibus, ut nullam ſalutationem redderent obuiantibus Iudæis. Ad quod ſi offenſi petulanter quippiam eſſent locuti, ſtatim in eos uterentur armis. Pontifices ergo collecta multitudine in templo precabā-

Dolus Flori

tur, ut occurrerent Romanis, & ante graue incommodum cohortes ſolenniter ſalutarent. His hortationibus ſeditioſi quiq; abnuebant, & ob interfectorum dolorem reliqua multitudo iungebatur audacibus. Tunc uero & omnes ſacerdotes omnesq; leuitæ, ſacra uaſa proferentes, ornatumq; templi, cithariſtæ etiam, & cantores cum muſicis organis procedebant ante multitudinem, & obnixiſſime precabantur, ut illum templi honorem cuſtoditum eſſe uellent, neque ad direptionem uaſorum ſacrorum Romanos contumelijs incitarent. Erat autem uidere ipſos ſacerdotum principes ſparſis cinere capitibus, & pectora diſruptis ueſtibus nuda monſtrantes, nominatim ſingulos quoſq; nobilium compellare, ac denuo in commune multitudinem precari, ne ob modicum peccatum patriam ſuam proderent his, qui direptioni eius inhiarent. Quam enim utilitatem uel militibus eſſe de Iudæorum ſalutatione tribuendam, uel illis quæ acciderant correptionem, ſi in præſenti procedere ceſſarent? At contrà, ſi officioſe ſuſciperent, ſolenniter uenientes, auferri Floro occaſionem pugnæ: ipſos uero ſaluare patriam ſuam, & prouidere ne quid ultra quàm pertulerant, experirentur. His addunt, quoniam paucis ſeditioſis ſi tanta multitudo iungatur, hoc magis ad pacificum conſilium ſuam debebunt autoritatem transferre. Tali hortatu multitudinem inflectentes, etiam ipſos ſeditionis autores, quoſdam quidem minis, quoſdam autem ſui reuerentia mitigauerunt: ac deinceps præcedentes cum quiete omni populo ſequente, militibus obuiam prodierunt. Iamq; cominus factos

Grauis oppreſſio populi.

ſalutauerunt: Illis autem nihil reſpondētibus ſeditioſi Iudæorum aduerſum Florum, cuius hæc fierent conſilijs, ſuccłamauerunt. Confeſtimq; milites comprehendentes eos, cædere fuſtibus adorti ſunt: atq; in fugam uerſos perſequentes equites proculcabant. Corruebant autem multi quidem cum à Romanis cæderentur, plures autem cum ſe mutuò propellerent. In ipſis autē portis gra-

uis

uis facta eſt compreſſio,& unoquoq; alterum præuenire cupiente tardior fuga cunctis fiebat. Collabentium uero erat durus interitus. Suffocatu enim atq; cõflatu miſeri diſperibant, & neq; ad ſepulturam quiſquam proximis ſuis cognoſcendus remanebat. Irruebant autem etiam pariter milites immoderate, eos quos comprehendiſſent cædentes,& per ingreſſum qui Berethan uocatur detrudebant multitudinem, tranſire cupientes, ut Antoniam & templum obtinerẽt. Quos etiam Florus conſecutus, eduxit de regia eos qui ſecum erant, & in arcẽ tranſire nitebatur. Fruſtratus tamen eſt eius impetus. Conuerſus quippe aduerſum eos populus repugnauit, & per tecta euadentes obruebant ſaxis Romanos. Qui cum ſuperne ſagittis uincerentur uenientibus, nec poſſent defendere multitudinem quæ per anguſtos arctabatur ingreſſus, ad reliquum ſe exercitũ qui erat in regia receperunt. Seditioſi autem uerentes, ne ſuperueniens denuo Florus templum occuparet, per Antoniam ex templo aſcẽdentes, porticus à tẽplo per Antoniam continentes interciderunt, quatenus auaritiam Flori deſperatione compeſcerent. Nam cum diuinis inhiare theſauris, proq; his in Antoniam tranſgredi niteretur, ubi interciſas porticus uidit, ab impetu conquieuit. Et conuocans ſacerdotum principes atq; curiam, ſe quidem ait urbe digredi: præſidium tamen apud eos relinquere quantum ipſi uoluiſſent. Ad hæc illis reſpondentibus, nihil nouandum fore, ſi unam tantum relinqueret apud eos cohortem, dum tamen non illam quæ cum ciuibus paulo ante conflixerat. Ob ea ſiquidem quæ pertulere, populum illis militibus infenſum eſſe. Cohorte ſicut precabantur mutata, cum reliqua manu Cæſaream regreſſus eſt.

Seditioſi tẽplũ occupãt

De Neapolitano tribuno, & oratione Agrippæ ad Iudæos, ado bediendum Romanis hortantis. Caput XVI.

ALiud autem denuo pugnæ conſilium comminiſcens, retulit ad Ceſtium, & Iudæos defectionis criminatus eſt: impudenti mendacio, illos perpetraſſe dicens, quæcunq; eos pertuliſſe conſtabat. Nec ſanè principes Hieroſolymorũ quæ geſta fuerant, tacuerũt: ſed & ipſi & Beronice ad Ceſtium de his quæ inique in urbe egerant retulerunt. Ille autẽ ſuſceptis literis patris utriuſq;, quid facto opus eſſet cum principibus deliberabat. Et quibuſdam quidẽ uidebatur, cum exercitu in Iudæam Ceſtium ire debere, & aut uindicare defectionem, ſi fuiſſet admiſſa, aut magis fidos reddere Iudæos eorumq; accolas. Ipſi tamen magis placuit aliquem de ſuis præire, qui & negotia & conſilia Iudæorum poſſet ei fideliter nũciare. Direxit ergo tribunum Neapolitanum, qui ab Alexandria reuertẽti Agrippæ circa Iamniam occurrens, & à quo fuiſſet directus, & ob quas cauſas indicat. Quo loci Iudæorum etiam pontifices, & reliqui quiq; nobiles, eorumq; curia adeſſe curauerant, ut circa regem ſcilicet officia nouarẽt. Poſtea uero quàm illum cõgrua humanitate coluerũt, conqueſti ſunt quàm potuerunt flebiliter de calamitatibus proprijs, & inhumanitatem Flori explicauerũt. Quam licet arguere Agrippa, tamẽ ut ducis autoritati cõpetebat, inuectionem ſuã in Iudæos trãſtulit, quorum maxime miſerabatur, uolẽs ſcilicet frenare eorũ motus: ut per hoc ipſum quod uiderẽtur nihil perpeſſi iniuriæ, ab ultionis deſinerent appetitu. Ad

hæc ergo quicunq; egregij erant,& propter ſua prædia deſiderabant quietem,intelligebant regis redargutionem eſſe plenam benignitatis. Populus autem Hierosolymorum ſexaginta ſtadijs obuius progreſſus,officioſe Agrippam & Neapolitanum ſuſcepit. Lamentabantur tamen interfectos coniuges mulieres: quarũ plangoribus reliquus quoq; populus ad lamẽta cõuerſus,precabatur Agrippam ut genti conſuleret. Succlamabant etiam Neapolitano,ut ingrederetur urbem,uideretq; quæ eſſent à Floro geſta,& ita oſtendebant forum quidem deſertum domosq; uaſtatas. Deinceps uero per Agrippam ſuaſere Neapolitano, ut is cum uno tantum famulo ad Siloam uſq; totam circuiret ciuitatẽ:quatenus ipſis cognoſceret oculis,Iudæos quidem omnibus alijs parêre Romanis,ſoli aũt Floro aduerſari propter magnitudinem in eos factæ crudelitatis. Ille igitur cũ circuiſſet urbem,& manſuetudinis populi ſufficiens documẽtum teneret,aſcẽdit in templum,quò etiam multitudinem cõuocauit,& cum plurimis uerbis fidem eorum circa Romanos collaudaſſet,multa etiam ad conſeruationẽ pacis hortatus, adorauit deũ eiusq; ſancta:in eo tamen conſiſtens loco,in quo licebat per religionem:ſicq; regreſſus ad Ceſtium eſt. Vulgus autem Iudæorũ,ad regem pontificesq; conuerſus petebat,ut legati aduerſum Florum ad Neronem mitterentur, neq; de tanta cæde tacentes ſuſpicionẽ ſuæ defectionis præberent:uiſum iri quippe eos principes capiẽdorũ armorũ fuiſſe, niſi præuenientes oſtẽdiſſent illũ eſſe qui dediſſet exordium. Cõſtabat aũt multitudinẽ non eſſe quieturã,ſi legationẽ aliquis impediſſet. Ad hæc Agrippa,ordinari quidem legatos,qui Florum accuſarent,inuidioſum putabat,deſpicere autem Iudæos in bella commotos,neq; ſibi expedire cernebat:aduocata igitur concione Agrippa in Xyſtum,& in ſuggeſtu conſtituens germanam ſuam Beronicen, in Aſamæorum domo(ea ſiquidẽ Xyſto imminebat contra ſuperiorem patrẽ urbis:Nam Xyſto tẽplum erat ponte coniunctum)eiuſmodi orationem habuit:Siquidem nõ uiderem uos omnes ad pugnandum Romanis eſſe incitatos,neq; populi puriorẽ ſynceriſſimãq; partem pacẽ uelle ſeruare,neq; proceſſiſſem ad uos, neq; conſulere confiſus eſſem: Superuacua quippe de utilibus oratio eſt,quãdo omnium habitatorũ cõſpirat ad deteriora cõſenſus. Quoniam uero aliquos quidem ætas, malorum belli neſcios facit,quoſdam uero incõſiderata ſpes libertatis:nõnullos uero auaritia ſucẽdit,& in cõfuſione rerum capiẽdum de inferioribus lucrum, quemadmodum ipſi ab hoc errore corrigãtur,& nõ per paucorum improba cõſilia etiam boni diſpereãt:exiſtimaui oportere,ut omnibus uobis in unũ coactis,ea exponerẽ,quæ arbitror expedire. Perſtrepat aũt nemo,ſi nõ ea audierit quæ ipſius fert libido. His ſiquidẽ qui ſunt ad defectionẽ irreuocabiliter incitati,licebit etiã poſt meos monitus manere in priſtina uolũtate. Mea aũt etiam ad illos qui audire cupiũt intercipietur oratio,niſi ab omnibus uobis ſilẽtium præbeatur. Noui quidẽ quoniam multi & iniurias procurantium prouincias,& præconia libertatis quaſi tragicæ proſequãtur. Ego aũt priuſq; diſcutiam qui ſitis,& cõtra quos pugnam ſuſcipere tẽtetis,primũ ſeparabo cauſas,quas cõnexas putatis. Si enim uiolatores ueſtros cupitis ulciſci,cur libertatẽ magna laude ſuſtollitis? Si uero iſtud ipſum ſeruire intolerabile ducitis,ſuperflua eſt aduerſum rectores querela. Et illis ſiquidẽ

Neapolitanus perluſtrata Iudæa, hortatur populũ ad concordiam.

Populus legationẽ aduerſus Florũ petit mittendã ad Neronem.

Oratio regis Agrippæ.

uel

uel moderatiſſime agentibus, nihilominus turpe erit ſeruire. Conſiderate autem ſigillatim, & uidete quàm exigua ſit materia bellorum. Et primum quidem ipſa rectorum conſideranda ſunt crimina. Colere ſiquidē officijs, nō exaſperare opor tet iurgijs poteſtatem. Cum uero modicorū peccatorū exprobrationes maximas facitis, aduerſum uos profecto eos quibus infertis cōtumelias irritatis. Relinquē tes quippe, & quod antea dāculo, & cum quadam uerecūdia nocebāt, palàm uos confidenterq; populantur. Nihil autem ita plagas coērcet ut patientia, & uio latorum quies uiolātibus iniecit pudorem. Fac autem eos, qui à Romanis in pro uincias dirigantur, eſſe grauiter moleſtos, non tamen etiam Romani omnes uio lant uos, neq; ipſe Cæſar, aduerſum quem pugnare uultis. Neq; enim ex præce pto illorum improbus ad uos quiſq; uenit: neq; poſſunt illi, quæ in oriente gerū tur, poſiti in occidente conſpicere. Sed neq; facile ea quæ hic fiunt, illic audiuntur. Eſt autem importuniſſimum, & propter exiguas cauſas, tantis, & ea de quibus querimur neſcientibus, uelle cōfligere. Et quidem noſtrorum criminum cito erit futura correptio. Neq; enim unus atq; idem prouinciæ ſemper curam tenebit, & ſucceſſores eius credibile eſt modeſtiores futuros. Motū aūt ſemel bellum, neq; deponere facile eſt abſq; magnis calamitatibus, neq; ſuſtincre. Libertatis uero dona ſitientibus prouidendum, atq; certandum eſt, ut principio non ea careant. Moleſta enim eſt nouitas ſeruitutis: quam ne utiq; ſubeas, iuſtum ſuſcipi certa men uidetur. Qui uero ſemel ſubiectus eſt, & deinceps deficit, contumax magis ſeruus quàm amator libertatis oſtenditur. Tunc igitur oportuit omnia agere, ne ſuſciperentur Romani, cum in prouinciā Pompeius intraret. Maiores uero ue ſtri eorūq; reges, pecunia, corporibus, animis multo uobis meliores: exiguæ par ti uirtutis Romanæ obſiſtere nequiuerunt. Vos aūt qui hæreditariam obedien tiā ſuſcepiſtis, rebus aūt omnibus ab illis qui primi parucre quàm lōgiſſime infe riores eſtis, cōtra omne Romanū regnū obſiſtere poſſe arbitramini? Et Athenie ſes quidē, qui ob Græcorū libertatē patriā ſuam quondā ignibus tradidere, qui ſuperbiſſimū illū Xerxē per terrā nauigātem, per mare uero ambulātem, & cu ius claſſem nō caperet āplitudo pelagi, latiorē aūt Europa duceret exercitū, hūc inquā cū una naue fugientē glorioſiſſime perſecuti ſunt. Circa paruā aūt Salami nā, qui tantas opes Aſiæ confregere, nūc tamen ſeruiunt Romanis, & illam regiā Græciæ ciuitatem adminiſtrāt Italiæ iuſſiones. Lacedæmoniq; quoq; poſt Ther mopylas, & Plateas, & Ageſilaum Aſiam perſcrutatū, coſdem dominos uenerā tur. Macedones uero, qui adhuc penè imaginantur Philippū uidere cum Alexā dro promittentem ſibi orbis imperiū, ferunt tamē rerum mutationē, & adorant eos, ad quos fortuna migrauit. Aliæ quoq; multæ gētes ad libertatē fiducia ſub nixæ, & multo maiores, ceſſerunt tamen & obediūt: uos aūt ſoli ſeruire dedigna mini his, quibus uidetis uniuerſa eſſe ſubiecta. Cui militiæ, quibus confiditis ar mis? Vbi eſt claſſis ueſtra, quæ petuagetur Romanorū maria? Vbi autē qui ex penſis poſſint ſufficere theſauri? Cōtra Aegyptios forte aut Arabas exiſtimatis uos bellū mouere. Non circūſpicitis Romanorum imperium? Non metimini ueſtrā imbecillitatem? Nōnne ſcitis ueſtram ciuitatem à conterminis gentibus frequenter eſt ſuperatam? illorū autem uirtus per totum orbē inuicta percurrit,

Athenienſes

Lacedæmo nij.

Macedones

imò etiam hoc orbe plus aliquid quæſierunt. Neq; enim ſufficit eis ad orientem quidem totus Euphrates, ad ſeptentrionem uero Iſter, neq; meridie tenus ſolitudine Libya perſcrutata, neq; in occidente Gadira: ſed ultra oceanũ aliud quæſierunt: & orbem uſq; ad Britannias, inacceſſas prius, arma & exercitum tranſtulerunt. Quid ergo? Vos ne ditiores Gallis, fortiores Germanis, prudentiores Græcis? Poſtremo plures eſtis omnibus in toto orbe degentibus? Quæ uos fiducia aduerſum Romanos erigit? Sed dicet aliquis, ſeruire moleſtiſſimum eſt. At quãto magis id Græcis, qui uniuerſis ſub ſole habitantibus uidebantur præſtare nobilitate: & tam latam quondã prouinciam poſſidentes tunc, bis ternis faſcibus Romanorũ obediunt. Pares Arabis autẽ etiam Macedones obſequũtur, qui certe multo uobis iuſtius deberent libertatẽ tueri. Quid autẽ quingentæ Aſiæ ciuitates? Nunquid non abſq; ullo præſidio, uni tantũmodo rectori parent, & faſcibus conſulis obſequuntur? Quid autem pergam enumerare Heniochos, & Colchos, & Taurorũ gentem: Boſphoranos quoq;: & habitãtes circa Ponti littora nationes, Mæoticaſq; gẽtes? apud quas nimrũ olim neq; domeſticus aliquis dominus noſcebatur: nunc uero militum ſubijciuntur tantum tribus milibus, & quadraginta naues longæ, innauigabile prius mare in pace cuſtodiunt. Quanta autem Bithynia, & Cappadocia, & Pamphyliorum gens, Lydi quoq; & Cilices pro libertate dicere ualerent? Tamen nunc ſine armis tributa pendunt. Quid autem Thraces? quinq; quidem diebus in latum, ſeptem autem in longum commeabilem prouinciam poſſidentes, aſperioremq; multo quàm ueſtra eſt, ac multis partibus fortiorem: altiſſimoq; gelu eos qui irruerint retardantem, duobus milibus Romanorum in præſidio manentibus obſequuntur. Poſt hos Illyrici uſq; ad Dalmatiam, & Iſtro tenus incolentes, duabus tantum legionibus obediunt: cum quibus & ipſi impetus compeſcunt Dacorum. Ipſi quoq; Dalmatæ, qui tam multa pro libertate conati ſunt, ſæpiusq; capti, rurſum cum maioribus opibus rebellarunt, nunc ſub una Romanorum legione agunt quietẽ. Veruntamen ſi aliquos magnæ cauſæ ad defectionem incitare deberent, Gallos potiſſimum oporteret aſſurgere, quos uidelicet tantis munimentis natura cinxiſſet. Ab orientali quippe plaga Alpium montibus, à ſeptentrionali Rheno flumine, à meridie Pyrenæis montibus, ab occidente uero Oceano. Sed tali munitione gaudentes, trecentis & quindecim gentibus numeroſi: fontes autem (ut ita dixerim) felicitatis domeſticæ habentes, omnibusq; bonis totum penè orbem irrigantes, fecerunt nihilominus uectigales eſſe Romanorum, ac felicitatem ſuam in eorum felicitate reponere: idq; ſanè ipſum, non per animorũ mollitiem, nec propter ignobilitatem parentum, (quippe qui per octoginta annos pro libertate pugnauerunt) ſed Romanorum admirati ſunt, horrueruntq; cum uirtute fortunam, qua illi plura ſæpe obtinuere quàm bellis. Deniq; ſub mille & ducentis militibus ſeruiunt, quibus penè plures habuerant ciuitates. Neque Iberis naſcens in agris aurum, ad gerenda pro libertate bella ſufficit. Neque tanto terrarum mariſque ſpatio Romanis diremptæ gentes, Luſitani ſcilicet & Catabrorum Armenia: nec uicinus oceanus, etiam accolis ſuis fragore terribilis, ſatis fuit uincentibus Romanis: ſed ultra columnas Herculis

Britanni. *Galli.* *Germani.* *Græci.* *Arabes.* *Aſia.* *Heniochi.* *Colchi.* *Tauri.* *Boſphorani* *Mœotici.* *Lydi.* *Thraces.* *Illyrici.* *Dalmatæ.* *Galli.* *Iberi,* *Luſitani.*

tulis protulerũt arma,& ipſas nubes Pyrenæorum montium egreſſi uertices,di-
tioni ſuæ ſubdiderunt Romani:atq; ita pugnacibus gentibus, tantoéq; (ut dixi)
ſpatio diremptis, legio in præſidio una ſatis eſt. Quis ueſtrum nõ audiuit mul-
titudinem Germanorum,uirtutes quoq; & magnitudines corporum (ut arbi-
tror)ſæpe uidiſtis.Siquidem ubiq; Romani earum gentium captiuos habent. *Germani.*
Sed illi quidem ita ingentem ſpatijs regionem incolentes,ſpiritus autem maio-
res corporibus gerentes,& animam quidam contemptricem mortis, indignatio
nes autem uehementiores feris,nunc autem limitem Rhenum habent, & octo
Romanorum legionibus domantur,& ſeruiunt quidem qui capti ſunt: reliqua
autem eorum gens uniuerſa,ſalutem in fuga non in armis reponit. Conſiderate
autem etiam Britannorum muros,qui Hieroſolymorum confiditis muris. Illos *Britanni.*
ſiquidem circundatos Oceano,& penè non minorem, quàm noſter orbis eſt,
habitantes,Romani nauigantes redegerunt in ditionem ſuam:quatuorq; legio
nes tãtæ magnitudinis inſulã tuentur. Et quid opus eſt plura dicere? quando e-
tiam Parthi,bellicoſiſſimum genus,tantis prius populis imperantes,& tam ma- *Parthi.*
gnis opibus circundati,obſides tamen mittunt Romanis:eſtq; cernere,ſub ſpe-
cie pacis ſeruientem in Italia præcipuam Orientis nobilitatem. Vniuerſis penè,
qui ſub ſole incolunt,Romanorum arma uenerantibus,uos ſoli bellum geretis?
Neq; Carthaginenſium conſiderabitis finem,qui magno illo Hannibale glori- *Carthagine-*
antes,& ex nobili Phœnicum ſtirpe uenientes,tamen ſub Scipionis dextera cor- *ſes.*
ruerunt? Sed neq; Cyrenæi Lacedæmone oriundi:neq; Marmaridarum genus
uſq; ad Dipſadem protentum,neq; terribiles etiam audientibus Syrtes: Naſa- *Cyrenei.*
mones quoq; & Mauri, & innumerabilis multitudo Numidarum uirtutes im- *Marmaridæ*
pediere Romanas.Sed tertiam partem orbis terrarũ, cuius neq; numerare qui-
dem nationes facile eſt,quæ ſcilicet ab Atlantico mari & columnis Herculis uſq;
ad rubrum mare infinitas numero & locis Aethiopes continet,totam tamen ſu- *Aethiopes.*
ſceperunt armis,& præter fruges annuas,quibus Romanam multitudinẽ octo
menſibus paſcunt, alia quoq; uectigalia pendunt,expenſas quoq; deuotiſſimi
imperio miniſtrant,nihil de his quæ iubentur,ſicut uos,contumelioſum putan-
tes.Equidem una cum illis tantum legio commoratur.Sed quid opus eſt longe
petitis expẽlis potentiam explicare Romanam? cum eam poſſitis de uicina uo
bis Aegypto diligenter inſpicere.Hæc enim cum uſq; ad Aethiopes porrigatur, *Aegyptus.*
opulentamq; Arabiam,contigua quoq; ſit Indiæ,quinquaginta & ſeptingenta
centena milia incolarum habens,præter Alexandrinorum plebem,tamẽ uecti-
galia,quorum magnitudinem de cenſu ſingulorum capitum æſtimari licet,deuo
tiſſime penditans, Romanum non dedignatur imperium.Et certe quàm ma-
gnum ſtimulum defectionis habens, Alexandriam ſcilicet,multitudine & diui- *Alexandria*
tijs abundantem,magnitudine quoq; non imparem. Habet ſiquidem in longi-
tudine ſtadia triginta,in latitudine uero non minus quàm decem: tributorum
uero multo amplius per menſes ſingulos infert, quàm uos toto anno penditis:
& præter pecuniam quatuor menſium, Romanæ plebi annonam miniſtrat.
Munitur autem undiq;,aut incommeabili ſolitudine,aut importuoſo mari,aut
fluminibus,aut ſyluoſis paludibus,quorum tamen omnium nihil Romana for-

tunæ

tuna fortius fuit. Duæ etiam legiones ciuitati inſidentes, profundam Agyptum cũ illa Macedonũ nobilitate frenant. Quos igitur in bella de ſolitudinibus aliquibus ſocios aſſumetis? Siquidẽ omnes qui in orbe habitabili degunt, Romani ſunt: niſi forte quis ueſtrũ ſpes ſuas ultra Euphratẽ porrigat, & Adiabenorum regionem gentiles ſuos æſtimet adiutores. Porrò nec illi propter irrationabilẽ cauſam tanto ſe bello implicabunt: nec ſi tam probroſo operi aſſenſum darent, Parthus tamẽ ſineret. Eſt ſiquidem ei cura tuendæ cum Romanis amicitiæ, & arbitrabitur fœdus eſſe temeratum, ſi quis de his qui ſubiecti ſunt eius imperio, aduerſum Romanos in bello procedat. Supereſt igitur ad diuinum confugiatur auxilium. Verum & hoc apud Romanos eſt. Sine deo quippe impoſſibile eſſet imperium tale conſiſtere. Conſiderate autem, quemadmodum hæc ipſa erga ipſam religionem immoderatio, etiã ſi cum longe inferioribus bellum geratis, tamen ad diſpẽſandum ſit uobis difficillima, atq; eadem tranſgrediendo offendatis deum, per quæ eum auxiliaturũ putatis. Si enim ſeruetis ſabbatorũ conſuetudinem, & ad nullum actum mouearnini, facile profecto capiemini. Sic quippe etiam maiores ueſtri experti ſunt, hos maxime dies Pompeio ad bellum deſtinante: in quibus ſcilicet hi qui oppugnabantur, otia gerebant. Tranſgredientes autem in bello legem patriam, neſcio propter quid in reliquum dimicetis. Vna ſiquidem nũc uobis intentio eſt, ne quid de patria inſtitutione ſoluatur. Quemadmodũ autem aduocabitis in adiutorium deum, ſi cultum ei debitum ſponte uioletis? Aſſumũt autem ſinguli quiq; bellum, uel diuinæ uirtuti, uel humanis opibus confidentes. Cum uero utraq; hæc, quantum ad ipſam pertinet conſequẽtiam, deſeruntur, in manifeſtam utiq; captiuitatem uolentes pugnare profiliũt. Quid autem prohibet propriis manibus filios ueſtros coniuges q; laniare, & hãc pulcherrimam inflammare patriam? Erumpentes ſiquidem in furorẽ, lucrabimini uel ignominiam ſuperatorum. Bonum eſt ò amici, bonum eſt, dũ adhuc ſtat nauis in portu, præcauere tempeſtatem futuram, & non eo tempore, quo in medias irrueris procellas, trepidare. His ſiquidem, qui in improuiſa mala inciderint, ſupereſt, ut digni uel miſeratione uideantur: qui uero ſe in apertum diſcrimen iniecerint, etiam exprobrationibus onerentur. Niſi forte aliquis ueſtrum æſtimet ſecundum pacta cõflictum ire, Romanos autem poſtquam uicerint, mediocriter uobiſcum acturos, & non in exemplo aliarum gentium ſacram hãc urbem inflammaturos, interfecturos autem uniuerſum ueſtrũ genus. Neq; enim qui ſuperfueritis armis, uſquam locum fugæ habebitis, uniuerſis ſcilicet gẽtibus, uel iam habẽtibus Romanos dominos, uel habere metuentibus. Periculũ autẽ non ſolũ in uos manebit, ſed etiã in reliquis ciuitatibus habitãtes Iudæos. Neq; enim eſt in toto orbe populus, in quo non ueſtra portio ſit: quos certe omnes uobis rebellantibus, cæde crudeliſſima diuerſi quiq; conficient, & propter paucorum uirorum praua conſilia, uniuerſæ urbes Iudaico ſanguine redundabunt. Manet autem uenia eos qui talia parauerunt, quod ſint nimirũ ueſtro uitio cõgregati. Si uero eadem exequi ſuperſederint, conſiderate quàm impiũ ſit, aduerſum tam benignos arma mouiſſe. Subeat autem uos miſeratio, & ſi non filiorum ueſtrorum atq; coniugum, ſaltem iſtius ciuitatis, quæ mater urbium ueſtræ

Tempeſtatis ad bellũ comparatio

ueſtræ regionis uocatur. Parcite mœnibus ſacris, parcite uenerabilibus adytis, tẽplumq; uobis & ſanctaſanctorum ſeruate. Neq; enim ulterius uictores Romani his abſtinebunt, quibus primo parcentes nullam receperunt gratiam. Proteſtor autem ego quidem ſancta ueſtra, ſacrosq; angelos dei, patriamq; communem, quoniam nihil eorum conſiliorum, quæ uobis uiderim expedire, ſubtraxerim: uos autem decernentes, quæ oportet, mecum in pace degetis. Si uero protuleritis iras, abſq; me periculis ſubdemini. His dictis, aſtante etiam ſorore lachrymauit, & multã partem de eorum impetu lachrymis infregit. Succlamabãt autẽ, non ſe aduerſum Romanos, ſed aduerſum Florũ, ob ea quæ pertuliſſent, pugnã gerere. Ad quos rex Agrippa: Sed opera ueſtra, inquit, talia ſunt, qualia aduerſum Romanos pugnantiũ. Neq; enim Cæſari uectigal dediſtis, & Antonianas porticus incendiſtis. Sopietis autem cauſam defectionis, ſi & porticus denuo conſtruatis, & tributa reddere maturetis. Neq; enim Flori hoc præſidium eſt, aut pecuniam Floro dabitis. His conſultis, populus acquieuit, & cum rege ac Beronice aſcendentes in templum, porticus ædificare adorti ſunt. Per uicos autem & regiones principes quinq; decuriõesq; diſperſi, uectigal colligebãt: celeriterq; quadraginta talenta (tantum enim erat reliquum) redacta ſunt. Et belli quidem imminentes minas, eo tunc more Agrippa compeſcuit. Deinceps uero perſuadere populo tentabat, ut parerent Floro, donec ſucceſſor ei à Cæſare mitteretur. Ad quam orationem multitudo accenſa, nec à uerborum in regem contumelijs temperauit, ſed protinus eum urbe pepulerunt: auſiq; ſunt nonnulli ſeditioſorum etiam ſaxa in eum iacere. Rex autem uidens tumultuantium irreuocabilem impetum, & conquerentem quod contumelijs eſſet affectus, principes quidem eorum unà cum alijs potentibus miſit ad Florum Cæſaream, ut ipſe ex eis eligeret, qui de tota regione uectigal exigerent. Ipſe uero diſceſſit in regnum.

Rex Agrippa Hieroſolymis expellitur.

De cæpta rebellione Iudæorũ contra Romanos. Caput XVII.

PEr idem tempus quidam eorum qui bellum maxime mouebant, congregati irruebãt in quoddam præſidium, quod uocabatur Maſſada, & occulte ea peruaſo, Romanos omnes interfecerunt: alios autem de ſuis poſuerũt cuſtodes. In templo quoq; Hieroſolymorum, Eleazarus quidam, filius Ananiæ põtificis, iuuenis audaciſſimus, dux illo tempore militum, perſuaſit his, qui ſacrificijs miniſtrabant, ut nullius munus aut hoſtia, qui non eſſet de Iudæorum gente ſuſcipe retur. Id autem erat Romani belli ſeminarium atq; materia. Reiecit ſiquidem hoſtias Cæſaris, quæ pro Romano populo offerri ſolitæ erant. Plurimum autem ſuper hoc pontificibus, alijſq; nobilibus deprecatis, ut non præterirent eum morem, quo ſupplicabatur pro regibus, nihil tamen acquieuerunt, non parum quidem & ſuæ multitudini confidentes. Robur ſiquidem omne res nouare cupientium, eorum uoluntates iuuabat: maxime autem aſpiciebant in Eleazarum, qui per idem tempus, ut dixi, princeps erat. Conuenientes igitur potentes quiq; cum pontificibus, & Phariſæorum nobiliſſimis, & uidentes quàm grauibus malis pergerent ſubijcere ciuitatem, decreuerunt ſeditioſorum animos experiri: & ante portam quæ ærea uocatur, concionem aduocantes (erat autem in interiori

Eleazarus autor nouæ conſpirationis.

parte

parte templi posita,quæ respicit ad solis exortum)ac primo quidem multa de temeraria eorum defectione conquesti,& quod tam breuiter bellum patriæ commouerent:deinceps irrationabilitatem causæ ipsius arguebant,dicentes,maiores quidem eorum ornasse templum ex magna parte de muneribus gentium, semperq; eorum,qui foris essent populorum munera suscepisse, & non solum non prohibuisse aliquorum hostias (id siquidem esse impiissimũ)sed etiam eas quæ uiserentur permanerentq; ad præsens usq; tempus,oblationes eorum in templi cultibus collocasse. At nunc eos qui Romana arma iritarent, & desponderent eorum bella,nouũ statuere morem religionis,atq; cum periculis etiam ream facere ciuitatem,impietatis uideri:siquidem ea sit,in qua præter solos Iudæos,nullus alter immolet externus,neq; ad orandum sinatur accedere. Et siquidem circa unius alicuius priuati personam lex ferretur eiusmodi,posset nimirũ iure nos inhumanitatis arguere: nũc autẽ despiciuntur Romani, & iudicatur Cæsar profanus. Vnde ferendum esse,ne qui immolandas pro illis hostias repellũt, ipsi in reliquum etiam pro se sacrificia prohibeantur offerre. Fiatq; uere extra principatũ ciuitas,nisi celerius resipiscentes reddiderint hostias:ac priusq; ad eos,in quorum contumeliam id tentatum est,huius ausus perueniat fama. Simul autẽ ista dicentes,producebant in medium scientissimos morum paternorum,sacerdotes quoq;, narraturos quomodo omnes eorum maiores exteratum gentium semper sacrificia suscepissent. Attendebat autem nemo res nouare cupientium his quæ dicebantur, sed neque procedebant in medium altaris ministri, ut belli materiam præparantes. Videntes igitur nobiles quiq; seditionem eò iam processisse,ut eorum non posset autoritate compesci,& Romanorum armorum periculum se primos esse mensuros, inquantum poterant consulentes,amoliri causas parabant,& legatos quidem alios ad Florum miserunt,quorũ erat princeps filius Ethæi Simon:alios autem ad Agrippam,inter quos nobilissimi Scylus & Antipas & Custobarus erant,qui etiam regem propinquitate tangebant. Precabantur autem utrunq;,ut cum exercitu ascenderẽt in ciuitatem, & seditionem opprimerent,priusquam ea intolerabilis fieret. Et Floro quidem malum istud quasi bonus nuncius fuit,uolensq; inflãmare bellum,nihil respondit legatis. Agripa autem pariter utrisq; parcens, scilicet deficientibus,& ijs, aduersum quos bellum mouebatur,uolensq; & Romanis conseruare Iudæos,& Iudæis templũ atq; patriam. Ad hæc autem nec sibi cõducere talem conturbationem sciens,misit in auxiliũ equites duo milia,Auranites scilicet,& Bathaneos & Trachonitas. Cum his autẽ erat præfectus equitum Darius,dux uero agminis Iachimus Philippi. His ergo uenientibus,optimates quiq; cum pontificibus & omni multitudine quæ optabat quietem,superiorem occupãt ciuitatem: inferiorem siquidem & templum,seditiosorum manus tenebat. Missilibus igitur & fundis indesinẽter utebantur,& continua erat emissio sagittarum ex utraq; scilicet parte. Erat autẽ quando ex insidijs procurrentes cominus dimicabant. Præstabant autem audacia quidem seditiosi, belli uero scientia,regij pollebant. Et his quidem erat propositum maxime templum obtinere, profanatoresq; eius expellere. Seditiosis uero qui cum Eleazaro agebant,ut præter ea quæ obtinebant,etiam superiorem

Committitur pugna.

inua-

inuaderent urbem. Per ſeptem igitur dies grauis utriuſque partis cædes fiebat, & neutri de eo loco quem tenuerant depellebantur. Deinceps uero aduenientе ea feſtiuitate, quæ Xylophorias dicitur, in qua mos eſt omnibus grandem lignorū materiam conuehere ad templum, quatenus nunquam ignis deficiat eſca (ſemper enim inextinguibilis perſeuerat) quoſdam quidem cura religionis excluſit. Inter infirmiorem autem uulgum multi irrumpentes ſicariorū (ſic enim uocant latrones, gladios in ſinibus gerentes) audaciſſime utebantur opere quod adorti erant. Regij autem audacia & multitudine uincebantur. Ita ſuperiore ciuitate ceſſerunt, cum iſti protinus irruentes in Ananiæ pontificis domum, & Agrippæ ac Beronices palatium inflammauerunt: poſt quod ignem archiuo intulerunt, uolentes omnia creditorum documenta diſperdere, ne eſſet unde ratio creditæ pecuniæ pateret, atq; omnis ad eos debitorum ſe iungeret multitudo: & aduerſum locupletes, quaſi metu libertatis haberent inſurgendi liberam facultatem. Fugientibus ergo chartarum publicarum cuſtodibus, ignem ædibus iniecerunt: atq; ita incenſis ciuitatis neruis, hoſtibus irruebant. Quo loco pontificum atq; nobilium quidam in cloacis quidem latuerunt, quidam uero cum regijs in ſuperiorem regiam confugerunt, portas celeriter obſerantes. Inter quos Ananias pontifex, & Ezechias frater eius erant: & illi quos apud Agrippam uſos legatione diximus. Tunc ergo uictoria quidem & inflammatione contenti ceſſauerunt. Poſtridie autem, quintadecima ſcilicet die Auguſti menſis, fecerunt impetum in Antoniam: & omnes in eo præſidio agentes, per biduum obſeſſos, ceperunt atque interfecerunt, præſidiúmque incenderunt. Poſtea uero tranſierunt in regiam, ad quam confugêre Agrippæ milites: & in quatuor partes agmen ſuum diuidentes, muros euertere moliebantur. Eorum uero qui intus erant, erumpere nullus audebat, propter multitudinem oppugnantium. Diſtribuit autem multitudo propugnacula, & turres ſubeuntes interficiebant, & frequenter omnino latrones ſub muris cadebant. Nec die autem conflictus nec nocte ceſſabat: ſeditioſis uidelicet æſtimantibus, in deſperationē cogi eos, qui in præſidio erant, propter inopiam uictus: regijs uero credentibus, oppugnatores ſuos ceſſuros labori. In his autem erat * Manaimus quidem de filijs Iudæ Galilæi callidiſſimus rhetor, qui etiam quondam ſub Cyrenio exprobrauerat Iudæis, quoniam poſt deum ſubijcerentur Romanis. Is ergo aſſumptis quibuſdam nobilium, perrexit in Maſſadam, ubi armamentarium Herodis regis erat. Eóq; perrupto, populares alioſq; latrones diligenter armauit. Hiſq; utens ſtipatoribus, ueluti rex Hieroſolymam reuertitur: factúſq; princeps ſeditionis, oppugnationem diſponebat. Machinamentorum autem inopia erat, & nec poterat palàm ſuffodere muros, ſuperne hoſtibus tela iacientibus. Funiculum igitur longe cœptū, ſub unam turrim agentes, ſuſpenderunt cum materie ſubiecta: ac poſtea in ſuſtinentia ligna ignem immitentes, aggreſſi ſunt. Sicq; ſubijcibus exuſtis, turris quidem extemplo emota eſt. Alter autem murus intus ædificatus apparuit. Regij quippe, molitiones eorum præſentientes fore etiam de concuſſione turris, alium ſibi murum celerius ædificauerunt. Inter hæc autem hi quidem, qui oppugnabant, & ſtatim ſe uicturos credebant, cum uidiſſent alium murum, ſtupore defecti ſunt: re-

Antonia capta incenditur

Aliàs Manaemus.

gij tamen ad Manaimum aliósq; ſeditionis principes mittebant, precantes ut eis diſcedere liceret, ijſdem regijs eiúsque religionis reliquijs. Quod cum Manaimus annuiſſet, protinus diſceſſerunt, Romanos autem qui ſoli relicti erant, grandis animi occupauit defectus. Neque enim ui contra tantam multitudinem pares erant: & precari ut exire liceret, ignominiam iudicabant: quanquam & ſi tribueretur, nequaquam tutum putabant. Derelinquentes igitur inferiorem locum, qui Stratopedos uocabatur, quippe quaſi capi facilem, in turres regis confugerunt: quarum una appellabatur Hippicos, alia Phaſelus, tertia Mariamnes. Hi uero qui cum Manaimo erant, protinus irruentes ea loca de quibus milites fugerant, ſi quos eorum comprehenderunt trucidantes, omnem reliquum apparatum diripientes, Stratopedum incenderunt. Hæc igitur acta ſunt ſexto die menſis Septembris.

Stratopedos incenditur.

De occiſionibus Ananiæ pontificis, Manaimi & militum Romanorum. Caput XVIII.

Ananias pontifex cũ fratre interficitur.

SEquenti autem die pontifex Ananias circa Euripos regiæ domus latens capitur, & à latronibus interficitur cum Ezechia fratre. Circumſidentes autem etiam turres ſeditioſi, cuſtodiebant ne quis militum poſſet effugere. Manaimum autem & munitorum locorum deſtructio, & pontificis Ananiæ mors, in crudelitatem erexit: & neminem parem ſibi in negocijs arbitrans, intolerabilis erat tyrannus. Inſurrexerunt autem duo de ſocijs Eleazari, & mutuo collocuti, quia nó deceret à Romanis deſiderio libertatis recedentes, eandem populari ſuo prodere, dominúmq; ferre, & ſi nõ uiolentum, tamen ſeipſis humiliorem: Nam ſi oporteat cunctis aliquem præeſſe, quemuis magis alium quàm illum deceret. Atq; ita pacti, adoriuntur eum in templo. Sobarus enim adoraturus acceſſerat, regali habitu indutus, & ſtudioſos ſui in armis habebat. Cum igitur hi qui circa Eleazarũ erant, in illum proſiluiſſent, reliquus quoq; populus rapiens ſaxa interfecit ſophiſtam: æſtimantes, quoniam illo perempto tota ſeditio ſolueretur. Paululum autem ſtipatores Manaimi reſiſtentes, poſtquam uiderunt totam aduerſum ſe multitudinem irruere, quiſque quò potuit diffugit. Et cædes quidem erat eorum qui comprehenſi ſunt, perſcrutatio autem latentium ſequebatur: paucíq; ex eis latentes, in Maſſadam perfugerunt: cum quibus & Eleazarus filius Iairi, propinquus genere Manaimo. Qui poſtea etiam in Maſſada tyrannidem egit. Ipſum autem Manaimum, cum confugiſſet in locum qui Atlas uocatur, atq; illic humiliter deliteſceret, capientes extraxerunt in publicum, multisq; ſupplicijs affligentes interfecerunt. Similiter autem ſub eo agentes principes, præcipuúmq; tyranni dis adiutorem eius Abſamon nomine. Et populus quidem, ſicut dixi, in his aditor fuit, ſuſpicans aliquam totius ſeditionis correctionem futuram. Hi uero non ad comprimendam pugnam, ſed ut cum maiori licentia bellum agerent, interfecerunt Manaimum. Deniq; cum populus multum precaretur, ut oppugnationem militum relaxarent, uehementius inſiſtebant: donec ulterius reſiſtere non ualentes, Mutilius ſcilicet (hic enim erat Romanorum præfectus) & reliqui mittunt ad Eleazarum, precantes, ut ſolas eorum paciſceretur animas: arma autem & reliqua quæ haberent, ipſis tradentibus ſumerent. Qui precationem ilico rapientes, re-

Manaimus occiditur.

entes,remittunt ad eos Curionem Nicodemi filium, & Ananiam Sadducæi, & Iudam Ionathæ,ſcilicet eis dextras & ſacramentum daturos. Quibus actis,dedu cebat milites Mutilius: ſed quandiu Romani arma retinebant, nemo aduerſus eos ſeditioſorum fraudis aliquid molitus eſt. Poſtea uero quàm ſecundum pa ctiones omnes ſcuta gladioſq; poſuerunt,neq; quicquam ulterius ſuſpicantes di ſcedebant,facto in eos impetu, ſtipatores Eleazari comprehenſos trucidabant, neq; reſiſtentes neq; ſupplicantes,ſolas autem pactiones & iuramenta quæ dede rant indamantes. Et hi quidem ita crudeliter interfecti ſunt, præter Mutilium. Hunc enim deprecantem,& uſq; ad circunciſionem Iudaizare ſe promittentem, tantummodo ſeruauerunt. Detrimentum autem Romanis quidem erat leue: de potentia ſiquidem ampliſſima pauci fuerunt interempti, Iudæorum autem captiuitatis illud exitium probatur. Videntes autem graues iam inſtare cauſas bellorum, urbem autem tali facinore fuiſſe reſperſam, ex quo nimirum diuina indignatio imminebat, etiamſi à Romanis nulla ultio timeretur, lugebant pu blice, & iuſtitia ciuitatis premebatur. Vnuſquiſque autem mediocrium, quaſi pro ſeditioſis cauſas redditurus, turbabatur. Siquidem ſabbato illam cædem contigerat perpetrari, quo ſcilicet die propter religionem,à ſanctis quoque ope ribus agunt quietem.

De Iudæorũ maxima ſtrage Ceſareæ & in omni Syria. Cap. XIX.

EOdem autem die,eadémq; hora,quaſi ex aliqua cœleſti prouidentia, Cæſa rienſes quoq; Iudæos apud ſe habitantes trucidauerunt: ita ut uno tempo re ſuper uiginti milia hominum cæderentur,& cunctis Iudæis uacuata Cæſarea remaneret. Nam & eos qui effugerant comprehendens Florus, uinctos in arc nam deduxit. Poſt Cæſarienſem uero plagam,tota gens efferata eſt. Diuiſiq; Iu dæi,Syrorum uicos eosq; contingentes rurales protinus uaſtauerunt: id eſt,Phi ladelphiam,Gebdeonitem,& Geſaram, & Pellam, & Scythopolim. Deinceps uero irruerunt in Gadaram & Ioppen & Gaulonitidem: & alia quidem ſubru entes loca,alia uero inflammantes, etiam in Gadaſam Tyriorum & Ptolemai dem, Gabam quoq;,Cæſareámq; tendebant. Obſtitit autem eorũ incurſui ne que Sebaſte,neq; Aſcalon: ſed his quoq; inflammatis, Anthedona & Gazam euerterunt. Multa autem circa fines harum ciuitatum diripiebantur,uici ſcilicet & agri eorum qui capiebantur: uirorum immenſa cædes fiebat: neq; tamen Syrij minorem numero multitudinem de Iudæorum gente uaſtabant: ſed etiam eos qui in ciuitatibus erant,comprehenſos diſperdebant: non ſolum ob uetus odiũ, ſed ut diſcrimen imminens præuenirent. Grauis ergo conturbatio totam Syri am peruaſerat,& omnis ciuitas in binos diuidebatur exercitus: unáq; alterutris ſalus erat,ſi anticipaſſent alterutros cæde facienda: & dies quidem ducebantur in ſanguine,noctes autem moleſtiores formido faciebat. Nam licet uiderentur amoliri Iudæos,tamen etiam de alijs gentibus Iudaizantes cogebantur habere ſuſpectos: & per hoc ipſum quod in eis uidebatur ambiguum, neq; temere eos placebat interfici,& rurſus per ipſam religionis commixtionem quaſi penitus ex ternos timebant. Prouocabant autem ad cædes diuerſorum etiam illos,qui prius fuerant manſueti. Auaritia ſiquidem ſubſtantias cæſorum paſſim diripiebant: &

Syria à Iudæis uaſtata.

Miſerãda ſtrages Iudæorũ.

quaſi uictores eorũ prædam, quos trucidauerant, in domos alias tranſferebant. Glorioſior autem erat qui plura collegiſſet, quaſi ſcilicet plures uirtute ſuperaſſet. Erat autem cernere ciuitates plenas cadaueribus inſepultis, & inhumatos paſſim iacere cum paruulis ſeneſq, fœminas autem neq; uerecundia contectas. Et omnis quidem prouincia plena erat inenarrabilium calamitatum. Maior autem his metus audendorum malorũ, ipſis quæ acta erant facinoribus imminebat. Et hactenus quidem Iudæis aduerſum alienigenas conflictus erat. Incurrentes autem in Scythopoleos fines, etiam Iudæos, qui illic habitabant, experti ſunt hoſtes. Hi enim cum Scythopolitis cõſpirantes, & conſanguinitatem utilitati propriæ poſtponentes, aduerſum Iudæos cum gentilibus dimicabant. Suſpecta tamen eorũ ipſa belli fuit auiditas. Deniq; Scythopolitæ ueriti ne ciuitatem noctu adirent, & magna ſua calamitate ciuibus excuſarent defectionem, edixerunt eis, ut ſi uellent inter eos firmare conſenſum, & circa alienigenas oſtendere fidem, tranſirent cum omnibus filijs ſuis in proximæ locum paludis. Quibus quæ fuerant iuſſa ſine ſuſpicione facientibus, diebus quidẽ ſecutis duobus quieuerunt Scythopolitæ. Tertia uero nocte exploratores, alios incautos, alios uero dormientes inuadunt, ſubitóq; omnes interfecerunt, qui fuerunt numero tredecim milia: poſtóq; eorũ ſubſtantiam cunctam diripuerunt. Dignum autem etiam uidetur, Simonis interitum enarrare. Hic enim Sauli cuiuſdam, non ignobilis uiri, filius erat: fortitudine quoq; corporis & audacia animi inſigniſſimus: quibus utriſq; ad incõmoda ſuæ gentis abuſus eſt. Multos ſiquidem Iudæorum appropinquantes Scythopoli, quotidie obtruncabat, & frequenter integros cuneos fudit, ita ut totius aciei mora, & momentum ſolus exiſteret. Comprehendit autem eum digna ciuili interfectione pœna. Nam cum Scythopolitæ circunfuſi eſſent Iudæis, & in paludem præcipites agerent, educens Simon gladium, in nullum quidem hoſtium impetum fecit. Nihil ſe quidem in tanta multitudine promoturũ uidebat. Exclamans autem miſerabiliter: digna, inquit, Scythopolitæ his quæ geſſi patior: quippe qui tam multa cæde ciuium meorum, benignitati erga uos noſtræ fidem feci. Digne enim nobis extera gens infida eſt, qui in noſtrum genus tanta impietate delinquimus. Morior ergo quaſi profanus proprijs manibus: neq; enim dignum eſt hoſtibus ſubiacere. Iſte autem ipſe finis & mihi ſceleris digna pœna, & idoneum uirtutis decus erit: ut nemo ſcilicet hoſtium de meo interitu glorietur, neq; inſultet cadenti. Hæc dicens, miſerantibus ſimul ac furentibus oculis circunſpicit omnem familiam ſuam. Erant autem ei uxor & filij, & prouecti in ſenectutem parentes. Ille igitur primum quidem patrem à cæſarie cõprehendens, & ſuper eum ſtans enſe penetrauit: poſt quem non ſanè inuitam matrem ſuam interfecit. Super hos autem coniugi, & filijs intulit ferrum, ſingulis ſanè horum penè occurrentibus gladio, & hoſtes præuenire cupientibus. Cum uero omnem ſuam neceſſitudinem trucidaſſet, cæſis ſuperſtans extendit dexteram, ut neminem poſſet latere, & totum in uiſcera ſua enſem demerſit. Dignus quidem miſeratione iuuenis propter robur corporis atq; animi firmitatem. Cæterum quantum ad fidem, quam alienigenis præſtitit, digno fine conſumptus.

Tredecim milia Iudæorũ à Scythopolitanis interimuntur.

Egregia Simonis hominis alioqui nefarij fortitudo.

De Iudæo-

De Iudæorum alia graui interfectione. Caput XX.

AD cædem autem quæ in Scythopoli facta eſt, reliquæ quoq; urbes Iudæis apud ſe habitantibus irruebant: & duo milia quingentos Aſcalonitæ, Ptolemais autem duo milia interfecit. Vinxerunt quoq; non paucos Tyrij: multos quidem trucidauerunt: plures autem eorum uinctos cuſtodijs tradidere. Hippinei quoq; & Gadari ſimiliter audaciſſimos quidem amoliebantur, terribiles autem ſolicite obſeruabant. Reliquæ quoq; urbes aduerſum Iudæos ſingulæ, prout habebant, uel timore uel odio mouebantur. Soli autem Antiocheni, & Sidonij, & Apamei, ſuis cohabitatoribus pepercerunt: & neq; interfecere quempiam Iudæorum, neq; uinculis tradiderunt. Forte autem & propter multitudinem ſuam deſpexerunt eorum ſi qui motus fuiſſent. Mihi autem uidentur magis erga eos miſeratione moti, quos utiq; nihil moliri uidebant. Geraſeni autem neque in eos qui apud ſe remanere delegerunt, quicquam geſſerunt mali: & egredi uolentes uſq; ad fines ſuos deduxerunt. Excitata eſt autem etiam in regno Agrippæ aduerſum Iudæos pernicies. Ipſe ſiquidem perrexerat ad Ceſtiũ Gallum Antiochiam, relicto ſuper negotia ſua quodam ex ſocijs, nomine Varo Iſſemo, regi genere propinquo. Venerunt autem ad eum de Bathanea regione ſeptuaginta numero uiri, & nobilitate & prudentia ciuium ſuorum præſtantiſſimi, poſcendi præſidij gratia: ut ſi qui ſcilicet apud eos quoq; motus fierent, haberent idoneam cuſtodiam, per quam poſſent inſurgentes quoſq; comprimere. Hos Varus, quoſdam armatos de regijs præmittens, interfecit in itinere omnes. Auſus autem eſt tale facinus præter conſiliũ Agrippæ: & propter nimiam auaritiam impie in gentiles ſuos agere non recuſans, regnum omne corrupit, perſeuerans poſt tale ſcilicet principiũ in totũ genus exercere iniquitatem: donec diſcuſſis Agrippa rebus animaduertere quidem in Varũ ueritus eſt propter propinquitatem Iſſemi. Procuranda tamen eum regione ſummouit. Seditioſi autem comprehendentes præſidium, quod appellatur Cyprus, imminens finibus Hierichuntis, cuſtodes quidem interfecerunt, munimenta autem deſtruxerunt. Per eoſdem dies etiam in Macherunte multitudo Iudæorum perſuadebat, in præſidio relictis Romanis, deſerere caſtellum, eisq; tradere. Illi autem quod rogabantur, cogi metuentes, pacti ſunt cum eis diſceſſionem ſuam: & accipientes fidem, tradunt præſidiũ, quod diligentibus cœperunt Macheruntij cuſtodijs obtinere.

Iterũ facta eſt cædes Iudæorũ quater mille & quingentorum.

Iudæorũ pernicies etiam in regno Agrippæ.

Cæſi ſunt ſeptuaginta.

Macherus à ſeditioſis capitur.

Iudæi Alexandriæ occiſi. Caput XXI.

IN Alexandria autem ſemper quidem erat incolis aduerſum Iudæos ſeditio, iam ab illo tempore, ex quo ſtrenuus Alexander contra Aegyptios uſus Iudæis præmium ſocietatis tradidit eis, & habitandi apud Alexandriam facultatem, & ius urbis æquale cum gentibus: permanebat autem eis honor iſte apud ſucceſſores quoq; Alexandri. Deniq; & in parte ciuitatis locum eis proprium deputauerunt, quatenus haberent conuerſationem per omnia mundiorem à cõmunione ſcilicet gentium ſequeſtratam: præſtiteruntq; eis, ut etiam Macedones appellarentur. Deinceps uero cum in poſſeſſionem Romanorum Aegyptus ueniſſet, neq; Cæſar primus, neq; poſt eum quiſpiam, honores quos Alexander Iudæis decreuerat minuit. Conflictus autem eorum aduerſus Græcos penè continuus

erat: & iudicibus multis quotidie ab utraque parte lucrum reuehentibus, ſeditio accendebatur. Tunc uero cum & apud alios turbata res eſſet, illic magis exarſit tumultus. Nam cum Alexandrini in concionem ueniſſent, ut ordinarent pro certis negotijs legationem ad Neronem ferendam, cõcurrerunt in amphitheatrum permixti Græcis plurimi Iudæorum. Quos cum uidiſſent æmuli, extemplo damare cœperunt, Iudæos hoſtes & exploratores eſſe: ac deinceps inſilientes intulerunt eiſdem manus: & reliqui quidem fugientes diſſipati ſunt, tres uero ex his comprehendentes, trahebant quaſi uiuos incenſuri. Commota eſt autem omnis terra Iudæorum ad ultionem ferendam: & primum quidem in Græcos ſaxa iaciebant, poſtea etiam uero facibus raptis in amphitheatrum impetum fecerunt, comminantes quod in ipſo loco tantum ſimul populum concremarent: & penè minas impleſſent rebus, niſi iras eorum compreſſiſſet Tiberius Alexander, princeps ciuitatis. Nec tamen ipſe coërcendi principium ab armis ſumpſit, ſed nobiles eorum quoſque ſubmittens, hortabatur ut deſinerent, neq; aduerſum ſe militiam Romanam commouerent. Seditioſi autem benignam deprecationem uidentes, Tiberium contumelijs appetebant. Qui poſtquam uidit abſque magna calamitate tumultuoſos non poſſe compeſci, immiſit in eos duas Romanorum legiones, quæ in ciuitate erant. Et cum his alios quinq; milia milites, caſu ad Iudæorum interitum de Libya uenientes: præcepitq; ut non ſolum interficerent, ſed etiam ſubſtantias eorum diriperent, domosq; inflammarent. Qui protinus concurrentes in locum qui uocatur Delta (illic quippe erat Iudæorum multitudo collecta) exequebantur ſtrenue iuſſiones, nec ſanè ſine cruenta uictoria. Collecti quippe in unum Iudæi, & eos qui de ſuis optime armati erant, ante reliquam multitudinem ſtatuentes aliquandiu reſtiterunt. Poſtquam uero in fugam inclinati ſunt, paſſim trucidabantur, & erat eorum grandis interitus. Tamen milites quæ ſibi mandata fuerant exequuntur. Conglobati enim Iudæi his quos melius armatos habebant, in fronte poſitis, aliquandiu quidem reſtiterunt. Semel in fugam uerſi mactabantur, nec unus erat exitij modus, cũ alij ſub diuo atque in campo deprehenderentur, in ædes autem alij conduderentur, & eas quoque ſuccenderent Romani, unà etiam diripiendo quæ in his reperiſſent: cũ neq; illos aut infantũ miſericordia, aut reuerentia ſenectutis moueret, ſed in omnes ætates pari cæde ſæuirent. Vnde totus quidem ille locus ſanguine redundabat. Quinquaginta uero congeſta ſunt milia mortuorum: nec tamen ſaltem reliquiæ remanſiſſent, niſi ad preces ſe contuliſſent: eorúmq; miſertus Alexander, Romanos iuſſiſſet abſcedere. Sed illi quidem, quibus erat cõſuetum obedire præceptis, primo eius nutu necibus pepercerunt: populares autẽ Alexandrini, propter odij magnitudinem difficulter ab incepto reuocabantur, uixq; à corporibus diſtrahebantur. Apud Alexandriam quidem talis caſus euenit.

Seditio Alexandriæ orta.

Iudæi Alexandriæ occiſi à Tib. Alexandro.

Strages Iudæorum quinquagies mille.

De ſtrage Ceſtij in Iudæos. Caput XXII.

CEſtio uero iam quieſcendum eſſe non uidebatur, infenſis ubiq; Iudæis: ſed duodecimam legionem integram ex Antiochia ſecum ducens, & ex reliquis bina milia lecta peditũ, & quatuor alas equitũ: inſupérq; regũ auxilia, hoc eſt, ex Antio

Ceſtius populabundus inuadit Iudæam.

Antiochi duo milia,equitū & peditū ttia milia,ſagittarios omnes.Agrippæ uero tantundem peditū & equitum mille, cum & Soëmus ſequeretur,iiij. milibus comitatus, quorum tertia pars equitum erat,pluréſq; ſagittarij, Ptolemaida progreſſus eſt.Plurimi autem ex ciuitatibus auxilio conuenere, peritia quidem militibus inferiores,quod autem ſcientiæ deerat, in iudæos odio,itémque alacritate ſupplentes. Aderat autem ipſe quoq; Agrippa Ceſtio: & eorum quæ conducerent,ſimul & itineris princeps: Ibi tum adducta exercitus parte, Ceſtius in ualidiſſimam Galilææ ciuitatem contendit Zabulon,quæ appellatur uirorum, & ab Iudæorum finibus Ptolemaida diſcernit. Cúmq; offendiſſet eam ciuibus deſtitutam(in montes enim multitudo refugerat)omnigenum autem rerum plenam, illas quidem militibus diripiendas conceſſit: ipſum uero oppidum,quamuis admiratus eſſet eius pulchritudinem,quippe domus habebat ſimiliter ut apud Tyrum & Sydona & Berithum ædificatas,incendit.Deinde curſu territorio peragrato,quicquid inueniſſet obuiam depopulatus eſt, inflammatis etiam circum eam poſitis uicis, in Ptolemaida regreſſus eſt. Syris autem adhuc prædæ inhærentibus,& præcipue Berithijs,recepta Iudæi fiducia (Ceſtium enim receſſiſſe cognouerant) repente in eos qui remanſerant irruunt, & propè ad duo milia morte cõſumunt.Ceſtius autem ex Ptolemaide reuerſus, ipſe quidem Cæſaream peruenit,in Ioppen uero partem præmiſit exercitus cum præceptis huiuſmodi,ut oppidum cuſtodirent, ſi eo potiri poſſent: aut ſi oppidani impetum præſenſiſſent, tam ſuum quàm cæterorum militum præſtolarentur aduentum. Illorum igitur alij mari,alij terra profecti, utrinq; Ioppen facillime capiunt: ita ut ne fugæ quidem habitatores copiam reperirent,nedum ad pugnam ſe pararent.Aggreſſi autem cunctos interficiunt cum familijs, direptámq; ciuitatem incendunt. Interfectorum autem numerus octo milia quadringenti fuerunt. Simili modo & in finitimam Samariæ Nabathiten toparchiam non paucos direxit equites,qui & partem finium uendicauerunt,magnámq; indigenarum multitudinem peremerunt: direptiſq; patrimonijs,etiam uicos igni dederunt.

Zabulon incenditur.

Ioppe capitur

De pugna Ceſtij contra Hieroſolymam. Cap. XXIII.

IN Galilæam quoq; miſit Cæſennium Gallum, ductorem duodecimæ legionis:eiq; tantam militum manum attribuit,quantam genti expugnandæ ſufficere poſſe credebat.Eum ualidiſſima Galilææ ciuitas Sephoris cum fauore ſuſcepit.Huiusq; prudens conſilium ſecutæ ciuitates aliæ,quieſcebant.Qui uero ſeditionibus & latrocinijs operam dabant, in Galilææ montem undiq; medium receſſere,qui eſt cõtra Sephorim,& uocatur Aſamon.Aduerſus eos Gallus ducta bat exercitū.Illi autẽ quamdiu ſuperiores erant, facile Romanos ad ſe aſcendentes ulciſcebantur:& ex his plures quàm ducentos interfecerunt.Vbi uero eos uiderũt circumacto itinere ad celſiora progreſſos,mature uictoriam cõceſſerunt, & neq; pugnam cominus armato ferebant,neq;,ſi terga dediſſent, equitū poterant manus effugere:adeo ut pauci locis aſperis deliteſcerent,amplius uero quàm duo milia trucidarentur. Gallus quidem cum nihil iam tentari nouitatis apud Galilæam uideret, Cæſaream cum exercitu remeabat. Ceſtius uero cum omni ma-

Duo milia ſeditioſorum & latronum trucidantur.

nu reuerſus, in Antipatridem perrexit. Cognitóque non paruam multitudinem Iudæorum in turrim, quæ Apheci uocabatur, eſſe collectam: qui & his congrederentur præmiſit. Sed priuſquàm in manus uenirent, Iudæi metu diſperſi ſunt: eorúmq; caſtra iam deſolata milites adorti, cum uicis circumpoſitis incenderunt. Ex Antipatride autem Ceſtius in Liddam profectus, uacuam uiris ciuitatem offendit. Nam propter ſcenopegiorũ dies feſtos, in Hieroſolymam populus omnis aſcenderat. Quinquaginta uero quos ibi comprehendit occiſis, exuſtóq; oppido, ulterius procedebat: péreq; Betthorõ profectus, in quodam loco, cui nomẽ eſt Gabao, caſtra ponit, diſtante ab Hieroſolymis ſtadijs quinquaginta: Iudæi uero cũ iam ciuitati propinquare bellum uiderent, omiſſis dierũ feſtorum ſolennibus, ad arma properabant: ſatiſq; freti multitudine, incompoſiti ad pugnam & cum clamore proſiliebant, ne dierum quidem ſeptem habita ratione feriatorũ. Erat enim ſabbatum, quod apud eos religione maxima curabatur. Idem autem furor qui eos ab obſequio pietatis emouerat, in prælio quoque ſuperiores effecit. Tanto nanq; impetu Romanos aggreſſi ſunt: ut eorum & aciem perrumperent, uiáque aperta cædibus in medio ruerent: ac niſi ei militũ parti, quæ necdum locum amiſerat, equites exercitati ſubueniſſent, quiq; non ſatis defecerunt pedites, in periculo totus Ceſtij exercitus fuiſſet. Interfecti ſunt autem quingenti & quindecim Romani milites: ex quibus quadringenti pedites, cæteri equites erant: Iudæi uero uigintiduo: quorum fortiſſimi uidebantur Monobazi regis Adiabenæ propinqui, Monobazus & Cenedeus, & poſt hos Pereita Niger & Sylas Babylonius, qui ad Iudæos ab Agrippa rege tranſfugerant, cui pridem militabant. A fronte quidem repulſi Iudæi, ad ciuitatem reuertebantur, Romanos autem ad Betthoron aſcendentes Giaræ filius Simon inuadit, multóq; poſtremi agminis coactores laniauit: ac multa carra cũ ſarcinis capta, in ciuitatẽ reduxit. Ceſtio uero in agris triduo commorante, Iudæi locis ſuperioribus occupatis, obſeruabant eius tranſitum, neq; ceſſaturos eos certum erat, ſi Romani proficiſci cœpiſſent.

De obſidione Hieroſolymæ à Ceſtio, & ſtrage. Cap. XXIIII.

ITaq; dum Agrippa, infinita hoſtium multitudine montes amplexa, ne Romanos quidem à periculo tutos eſſe perſpiceret, uerbis Iudæos experiri decreuit, uel omnes ſibi parituros exiſtimans, ut bello deſiſterent: uel ſiqui aduerſarentur, reuocandos, qui ab eorum ſententia diſcreparent. Miſit igitur ex comitibus
Aliás Lorcyũ ſuis, * Porcatum & Phœbũ, quos illis ſciebat notiſſimos: ut à Ceſtio fœdus amicitiæ, certámq; pro peccatis populo Ro. ueniam pollicerentur, ſi proiectis armis, ſecum ſentire uoluiſſent. Verũ ſeditioſi metu, ne cũcta multitudo ſpe ſecuritatis ad Agrippam ſeſe conferret, legatos obtruncare ſtatuerunt: & Phœbũ quidem, priuſquam uerbũ faceret, peremerunt. Nam Porcatus uulneratus effugit: populares autem, hoc indigne ferentes factum, cædendo fuſtibus atq; lapidibus in oppidum cõpulerunt. Ceſtius uero, quia inteſtinam eorum diſcordiam, opportunũ ad irruendum tempus inuenit, totum in eos duxit exercitum: inq; fugam uerſos, uſque ad Hieroſolymam perſecutus eſt. Caſtris autẽ in loco poſitis, qui appellat Scopus, interuallo ſeptem ſtadiorum à ciuitate diſcedens, nihil per triduũ aduerſus op-

ſus oppidum conabatur: ſperans fortaſſe intus degentes, aliquid remiſſuros. Inimicos autem circa ciuitatem, nō paruam militum manum ad rapienda frumenta dimiſit. Quarto autem die, qui triceſimus menſis erat Octobris, ordinatū in oppidum introduxit exercitū. Populus quidem à ſeditioſis cuſtodiebatur: ipſi autē Romanorū diſciplina territi, exterioribus ceſſere partibus ciuitatis, & in partē interiorē templi refugerunt. Ceſtius uero tranſgreſſus Pedeſtam, quæ ſic uocatur, & Cenopolim, & forū quod appellatur Docon, incendit. Deinde cum ad ſuperiorē ciuitatem ueniſſet, prope aulam regiam caſtra poſuit. Et ſi tunc uoluiſſet intra muros uiolenter irrumpere, ciuitatē illico poſſediſſet, belloq; finem dediſſet. Sed Tyrannus præpoſitus caſtris, & Priſcus, & plures equitum magiſtri, à Floro pecunia corrupti, conatū eius auerterunt: & Iudæos intolerandis repleri cladibus contigit. Interea plurimi populariū notiſſimi, & Ananus Ionathæ filius, Ceſtiū quaſi portas ei patefacturi, uocabant. Ille autē & ira faſtidiens, & quod nō ſatis eis credendum putaret, tamdiu id neglexit, donec proditione cōperta, ſeditioſi Ananū quidem cū cæteris, de muro deiectis lapidibus feriendo, in domos ſuas refugere coēgerunt. Ipſi uero per turres diſpoſiti, murū tentantibus repugnabant: per dies quidem quinq;, Romanis undiq; conantibus, inexplicabilis erat impetus. Sexto autem die, Ceſtius cū plurimis, eiſdémq; ſagittarijs, à ſeptentrionali tractu templū aggreditur, Iudæis ex porticu reſiſtentibus: qui repente quidē Romanos ad murum adeuntes auertēre. Poſtremo autem repulſi telorū multitudine, receſſerunt. Itaq; Romanorū, qui anteibant, ſcutis ſuis muro nixis, & qui eos ſequebantur, alijs ac per ordinem alijs ſimiliter ſuperadiunctis, quam ſic ipſi appellant, teſtudinem cōtexuerunt. Vnde ſagittæ in eam delatæ, irritæ delabebantur: & ſine aliqua noxa milites mœnia ſuffodiebant: templiq; portas incendere moliebantur. Vehemens autem ſeditioſos ſtupor inuaſerat, iámq; multi ex ciuitate diffugiebant, ueluti continuo caperentur. His autem populus alacrior efficiebatur: & quantum nequiſſimi cadebant, tantum ut ipſi portas aperirent, Ceſtiúmq; tanquam de ſe optime meritum, reciperent, appropinquabant. Et profecto ſi paululum in obſidione perſeueraſſet, ſtatim ciuitatem obtinuiſſet. Sed credo iam tūc infeſtus deus peſſimis, eiúsq; ſancta illo die finem bello dare prohibuerunt. Deniq; Ceſtius, neq; animis populi, neq; obſeſſorem deſperatione perſpecta, repente militem reuocat: & ſine ulla ſpei repulſa, inconſulte nimis ac iniuſte diſceſſit. Inopinata uero eius fuga, latronum fiduciam recreauit: inſecutiq; nouiſſimos aliquot equitum, peditúmque peremere. Et tunc quidem Ceſtius in caſtra, quæ apud Scopon munierat, tetendit: altero autem die ulterius recedendo, magis hoſtes prouocauit: tanquam poſtremis appoſiti multos neçabant, cū utraq; itineris parte uallata, in tranſuerſos tela iactabant, & neq; in eos ſe retorquere, à quibus à tergo ſauciabantur, nouiſſimi audebant, quandam infinitam multitudinem inſequi exiſtimantes. Et à lateribus, inſtantium uim repellere minime ſufficiebant: cum ipſi quidē graues eſſent, ordinémq; interrumpere formidarent: uiderent aūt Iudæos leues, & ad excurrendū faciles eſſe. Vnde eueniebat, ut multa mala perpe terentur, cum nihili contra inimicis nocerent. Tota igitur uia perculſi, deiectiq; agmine ſternebantur: donec multis occiſis, in quibus erat Priſcus ſextæ legionis dux, & *Clades exercitus Ceſtij.*

dux,& Longinus chiliarchus,& Aemilius Iocũdus alæ præfectus, uix in Gabaa peruenirent,ubi caſtra prius poſuerant, multis inſtrumentis amiſſis. Hic autem Ceſtius biduum commoratus,inops cõſilij quid ageret, cum tertio die maiorem hoſtium uidiſſet numerum,& omnia circũ loca plena Iudæis,tarditatem ſibi obfuiſſe cognouit: & ſi adhuc ibi maneret,pluribus ſe inimicis uſurum. Itaque pro compendio fugæ,cuncta quæ militibus impedimento erant, amputari præcepit. Occiſiſq; tunc mulis atq; aſinis,aliſq; iumentis, præter illa quæ ſagittas & machinas ferrent (hæc enim uelut uſui futura ſeruabat) maxime quia timebat, ne Iudæis contra ſe capta prodeſſent,Betthoron uerſus antecedebat exercitum. At Iudæi latioribus quidem locis minus inſtabant: contractos uero in anguſtias atque deſcenſus,qui diſceſſiſſent,ab exercitu prohibebant. Alij poſtremo ſuper agmen impingere: fuſaq; omnis multitudo per itineris iuga, militem ſagittis operuit. Vbi etiam peditibus,quo pacto ſibimet ſubuenirent,heſitantibus,equitum periculum promptius erat. Nec enim ordinate uiam proſequi poterant,obſtantibus iaculis: & ne contra hoſtes irent, aſcenſus ardui prohibebant equitantibus inuij. Iaculatoribus autem rupes ac ualles tenebantur: in quas deiecti qui aberraſſent conſumebantur. Nullúsq; locus aut fugiendi, aut ulciſcendi rationem habebat. Itaq; incerti quid agerent,ad ululatus,quod deſperati ſolent,fletúsq; conuerſi ſunt: quibus reſonabat Iudæorum exhortatio,cum clamore lætantium pariter atq; ſæuientium. Totúsq; penè qui cum Ceſtio fuerat,periſſet exercitus, niſi nox adueniſſet. Qua Romani quidem in Betthoron confugerunt: Iudæi uero obſeſſis circum omnibus locis,eorũ tranſitus cuſtodiebant. Deniq; ubi Ceſtius aperto itinere deſperato,iam de fuga cogitabat, lectos propè ad quadringentos omniũ fortiſſimos milites,tectorum faſtigijs impoſuit. Hiſq; præcepit, uigilum qui in caſtris excubarent,ſigna clamare: ut eo modo Iudæi omnem illic militum numerum arbitrarentur remanere. Ipſe autem cum cæteris otioſe uſque ad triginta ſtadia progreditur. Vnde mane cum Iudæi locũ,in quem Romani tetenderant, deſolatum uidiſſent,in quadringentos, à quibus decepti fuerant, concurrerunt: & illos quidem ſine mora iaculis confecerunt: mox autem Ceſtium perſequi properabant. Sed ille cum nocte non paruum ſpatium itineris peregiſſet, die uehementius quoq; fugiebat: adeo ut metu perculſi milites, machinas ſiue tormenta muralia,itémq; baliſtas, multáq; alia inſtrumenta relinquerent. Quibus tunc ablatis, Iudæi rurſus contra illos,qui ea reliquerant,uſi ſunt. Inſequendo autem Romanos, Antipatridem uſque uenerunt. Deinde cum eos aſſequi non potuiſſent, inde redeuntes,& machinas ſecum aſportarunt, mortuoſq; ſpoliarunt, & prædam quæ remanſerat,collegerunt: & pæana canentes in metropolim remearunt, ſuis quidem paucis amiſſis, Romanorum autem auxiliorum quinq; milibus peditum ac trecentis,itémq; nongentis & octoginta equitibus interemptis. Hæc quidem Nouembris menſis octauo die geſta ſunt, anno duodecimo Neronis principatus.

Ceſtij fuga.

Callidũ Ceſtij conſilium.

De Damaſcenorũ ſtrage in Iudæos,deq; Ioſephi ſtudijs in Galilæa. Cap. XXV.

POſt Ceſtij uero caſus aduerſos,nobiliũ Iudæorũ multi,tanq; è naui peſſum itura,ex ciuitate enatabant. Deniq; Cuſtobarus & Saulus,unà cũ Philippo Iachimi

Ioachimi filio, qui princeps erat exercitus regis Agrippæ, inde dilapſi ad Ceſtiũ tranſfugerunt. Qui uero cum his in aula regia fuerat obſeſſus Antipas, fuga deſpecta, quemadmodum à ſeditioſis interemptus ſit, aliâs indicabimus. Ceſtius autem Saulum, & cæteros in Achaiam ad Neronem miſit: & propriam neceſſitatem indicaturos, & belli cauſas deriuaturos in Florum. Sperauit enim, & iram in illum excitatum iri, & ſua pericula ſummouenda. Tunc autem Damaſceni, cæde Romanorum cognita, Iudæos apud ſe degentes opprimere ſtuduerunt: & cum eos in publicis thermis collectos haberent (nanq; id olim propter ſuſpiciones meditabantur) facile quidem ſui conatus exitum fore putabant. Verebantur autem mulieres ſuas, ferè omnes præter paucas iudaizantes, & eorum religione deceptas. Quare his magna cura fuit eas cælandi, quid agerent. Iudæorũ autem decem milia, quippe ut in anguſto loco, atque omnes inermes aggreſſi, una hora ſine metu iugulauerunt. Qui uero Ceſtium fugauerant, in Heroſolymam reuerſi, quos adhuc Romanorum ſtudioſos inueniſſent, partim ui, partim blanditijs ſibi etiam ſociabant. Et in templum congregati, plures belli duces eligendos eſſe cenſebant. Declaratus eſt igitur Ioſephus, Curionis filius, & pontifex Ananus: omnia quæ in ciuitate gerenda eſſent, imperaturi: maximéq; ut ciuitatis muros erigerent. Filium nanque Simonis Eleazarum, quamuis Romanorum prædam, & ereptas Ceſtio pecunias, & inſuper his plurima ex theſauris publicis in poteſtate haberet, tamen nullis neceſſitatibus præpoſuerunt: quod & ipſum tyrannidis ſuperbia uiderent ferri, eiúsque ſtudioſos ſiue imitatores, ſatellitum more uerſari. Verum paulatim Eleazarus, ambitione pecuniæ, itémq; aſtutia perſuaſit populo, ut in omnibus ſibi parèrent. In Iudæam uero quos mitterent, alios militum duces aptarunt: Ieſum filium Aſapha, unum è pontificibus, & Eleazarum Aniæ pontificis filium. Nigro autem mandauerunt, qui tunc Idumæam regebat, ex regione trans Iordanem poſita genus ducens, unde Pereites cognominabatur, ducibus obtemperare. Sed ne alias quidem regiones omittendas putabant. Nanque in Hierichunte Ioſephus filius Simonis, & trans flumen Manaſſes Taphna, & Ioannes Eſſæus, toparchias adminiſtraturi directi ſunt. Huic autẽ Lidda, & Ioppe, & Emaus erant additæ. Gophniticæ autem & Acrabatenæ regionibus Ioannes, filius Annæ, rector deſignatus eſt: & utriuſq; Galilææ IOSEPHVS, Matathiæ filius. Huius autem adminiſtrationi, iuncta erat & Gamala, munitiſſima ciuitatum, quæ ibi fuere. Aliorum quidem rectorum, pro alacritate ac prudentia ſua, quiſque res ſibi creditas adminiſtrabat. Ioſephus autem, cum in Galilæam ueniſſet, primum curæ habuit, indigenarum ſibi conciliare beneuolentiam: multa ſciens ea confici poſſe, licet in aliſs peccauiſſet. Deinde conſiderato, quod potentiſſimos quidem amicos haberet, ſi eos participes poteſtatis feciſſet: omnẽ uero multitudinem, ſi pleraque per indigenas & conſuetos fieri præciperet, ſeptuaginta de ſenioribus eius gentis prudentiſſimos elegit: eósque rectores totius Galilææ conſtituit. Septem uero per ſingulas ciuitates minorum litium iudices ordinare, maiora negotia, cauſaſque capitales cum ad ſe referre iuſſiſſet: iam ſeptuaginta diſpoſitos per ciuitates, quo iure inter ſe uterentur, etiam quemadmodum extrinſecus uſi eſſent, animaduerit: certúsque in Galilæam Romanos

Damaſceni Iudæos apud ſe degentes ad decem milia interimunt.

Eliguntur duces Iudæorum

Ioſephus huius hiſtoriæ ſcriptor, rector Galilææ conſtituitur.

manos esse uenturos, opportuna loca muro cingebat, hoc est, Iotapatam, & Ber-
Aliás Salanin sabee, & * Seloim: necnon & Gapherechon, & Aphaca, & Sicophet, & montem
Aliás Thabu- cui nomen est * Itaburio, & Tarichen, & Tiberiada. Ad hæc etiam circa Genesar
rio. lacum speluncas in ea, quæ inferior Galilæa uocabatur, muniuit. Superioris au-
tem Galilææ, Achabaron, & Petram, quæ sic dicitur, Iamniam, & Mero: in Gau-
lanitide uero Seleuciam, & Sogennam, & Gamalam munitione circundedit. So-
lis autem Sephoritis permisit, ut murum sibimetipsis fabricarent: quod eos pe-
cuniosos esse, & ad bellum promptos etiam sine præcepto uideret. Similiter au-
tem Giscalam, Iosephi iussu per se muro cinxit Ioannes. Cæteris autem castellis
omnibus, ipse Iosephus intererat, iubendo simul atque opem ferendo. Quin &
exercitum ex Galilæa, supra centum milia uirorum comparauit: quos omnes un-
dique collectis armis ueteribus instruebat. Deinde reputans, hoc maxime Roma-
norum inuictam esse uirtutem, quod dicto essent audientes rectoribus suis, & ar-
morũ exercitationi operam darent, doctrinam quidem urgente necessitate de-
spexit: parendi autem facultatem ratus regentium multitudine posse continge-
re, ita ut Romani solent, diuisit exercitum: plurésq; fecit agminum principes. Di-
uersisq; militũ generibus ordinatis, alios decadarchis alios chiliarchis subdidit:
Iosephus do- & insuper his rectores, maiorũ rerũ administratores. Docebat omnes signorũ di-
cet suos mili- sciplinas, & prouocationes reuocationésq; buccinarũ, & principia cornuũ, & circũ
tes militarem ductiones, & quemadmodum oporteret laborantibus succurrere fortiores, & cũ
disciplinam. defatigatis partiri pericula, quæq; ad fortitudinem animi, corporisq; toleranti-
am pertinerent, instituebat. Maxime uero eos erudiebat ad bellum, usquequaq;
Romanorum referens disciplinam: quod cum uiris essent præliaturi, qui & uiri-
bus corporis, & animi obstinatione, totũ penè orbem terræ superassent. His ad-
didit, quo pacto belli tempore, suis essent parituri præceptis: iam nunc periculum
fore, nisi consuetis delictis, hoc est, furtis & latrocinijs, & rapinis abstinuissent: sed
neq; aut gentilibus fraudem facerent, aut consuetissimorum damna proprium
quæstum putarent: Illa enim bella optime administrari, quorum milites bonam
conscientiam gererent. Qui uero per se praui fuissent, his non solum inimicos,
sed etiam deum hostem futurum. Multa in hunc modum admonendo, perseue
rabat. Et iam quidem quantum prælio parandum esset, conflatum erat. Nam &
septuaginta peditum milia ducentos quinquaginta equites, ac præter hos etiam
mercenarios, quibus maxime fretus erat, habebat quatuor milia quingentos:
necnon & sexcentos circa se electos custodes corporis, atq; satellites. Exceptis au-
tem mercenarijs, facile cæteri milites à ciuitatibus alebantur. Nanq; singulæ quas
enumerauimus, cum mediam sui multitudinem mitterent in militiam, reliquos
ad comparandum eis uictũ tenebant: ut pars armis, atq; alia pars faciendi operis
dirimeretur, & armati securitatem rependerent suggerentibus commeatum.

De Iosephi periculis & euasione, & Ioannis Giscalei malicia. Cap. XXVI.

IOsepho autem hoc modo administranti Galilæam, insurrexit quidam insi-
diator, patria Giscala ortus, Lesin filius, nomine Ioannes, callidissimus, ac do-
lis plenus, & nequitia quidem nobilissimus omnium: antea uero pauper, & ali-
quantum maliciæ suæ impedimentum passus inopia, facile mentiri paratus, mi-
rúsque

rusque fidem adhibere mendacio: & qui fallaciã uirtutem putaret, eáq; aduersus amicissimos uteretur: simulator humanitatis, & spe lucri appetentissimus cædiũ: qui semper quidem immoderata concupisset, spem uero leuioribus maleficijs aluisset. Latro enim erat, sui moris, ac solitarius: deinde etiã comitatum inuenit audaciæ, primo quidem paruũ, ampliorem autem proficiẽs. Curæ autem habebat, neminem ignarum asciscere: sed qui & habitudine corporis, & animi magnitudine, bellorumq; peritia præstarent, hos eligebat: donec quadringentorum uirorũ cateruam congregauit, quorum plures ex Tyriorum finibus & uicis erãt. Isque omnem Galilæã depopulabatur: & multos futuri belli metu suspẽsos lacerabat. Hunc igitur iam dudum regendi milites cupientem, & maiora desiderantem, diu pecuniæ retardabat inopia. Cum autẽ uideret Iosephum sua uiuacitate lætari, persuadet ei primum, ut fabricandi muri patriæ solicitudinem sibi cõmitteret. In qua re quæstus magnos à locupletibus fecit. Deinde callidissima fraude composita, uelut oleo, quod non à gentilibus suis tractatũ esset, uti cauerent omnes apud Syriã Iudæi, ut ad confinia oleum mitteretur, depoposcit. Nummóq; Tyrio, qui quatuor Atticos faceret, emptis quatuor amphoris, eodem pretio amphoræ dimidium uenundabat. Cumq; Galilæa ferax esset olei, maximéq; illo tẽpore magna ubertate redundaret, in ea loca ubi erat penuria, solus, multũq; mittendo, infinitam summã pecuniæ congregauit. Qua mox in eum usus est, qui hoc sibi beneficium præstitisset. Denicq; existimãs Iosephum dispositisse, rectorẽ se esse Galilææ futurum, quibus præerat latronibus imperauit prædã uehementius exercere: quod multis rebus nouis per eas regiones excitatis, aut insidijs alicubi rectorẽ perimeret, si cui ferret auxilium: aut si latrocinia negligeret, ob hoc eũ apud indigenas accusaret. Iamdudum autẽ rumores dissipauerat, quod res Galilææ Iosephus Romanis prodere cogitaret: multaq; in hunc modũ ad eius perniciem cõparabat. Itaque illo tẽpore, cum quidam ex uico Damaritarum, in magno cãpo custodias agẽtes, Ptolemæum Agrippæ & Beronices procuratorẽ aggressi, omes quas ferebat sarcinas abstulissent, in quibus erant non paucæ uestes pretiosæ, plurimaq; argentea pocula, & sexcenti aurei, neq; hanc prædã occulte administrare potuissent, omnia Taricheas ad Iosephum cõportarunt. Ille autẽ reprehensa uiolentia, quam regijs intulissent, reponi res ablatas apud aliquem eius ciuitatis potentissimum iubet: paratus eas dominis opportune remittere. Vnde maximum ei periculum cõparatum est. Nanque raptores earum, quia prædæ nullam partẽ accepissent, ægre ferentes, & prospicientes quod Iosephus cogitauerat laborẽ suum regibus condonare, per uicos nocte discurrunt, omnibusque indicãt Iosephũ prodidisse: eodemque tumultu ciuitates proximas repleuerunt, adeo ut cẽtum armatorũ milia contra Iosephum prima luce concurrerent. Denicq; multitudo quidem, in circo apud Taricheas congregata, plurima per iracundiam conclamabat, partim deponi, partim concremari uociferans proditorem. Plerosque autem incitabat Iohannes, & cum eo filius Thaspnam Iesus. Tunc magistratus Tiberiadis, Iosephi quidẽ amici & satellites, tantæ multitudinis incursu perterriti, omnes præter quatuor diffugerunt. Ipse uero dormiens, propè cũ iam ignis admoueretur, exurgens, & monentibus eum quatuor, qui remanserant, neq; solitudine sua,

Impetus Iudæorum contra Iosephum.

neque illorum qui contra ſe uenerant,copijs ſuperatus,aut perturbatus,in cõſpectum illorum proſilijt:ueſte diſciſſa, infuſoq; capiti puluere,auerſiſq; poſt tergũ manibus,ſuóque ceruici gladio annexo. Hæc autem amicitiores ei,maxime Taricheas ad miſericordiam commouerãt.Ruſtica uero plebs,& finitimorũ,quibus moleſtior uidebatur,nõ ſine maledictis eũ iubebant publicas proferre pecunias, & facta proditionis fateri.Nam ex habitu eius opinabantur,nihil eorum de quibus nata fuerat ſuſpicio,penitus negaturũ: & impetrandæ ueniæ cauſa feciſſe omnia,quæ miſericordiam prouocarent.At illius iſta humilitas conſiliũ perſtruebat: & contra ſe indignantes arte circumueniens,ut ſuper his,unde iraſcerentur, inter ſe ipſi diſcordarent,omnia confeſſus eſt. Deinde ſibi loquendi facultate cõceſſa ,ego,inquit,has pecunias neque Agrippæ remittere cogitabam,neq; in propria lucra cõuertere:abſit enim,ut amicum putem unquã, qui uobis ſit inimicus: aut quæſtum ex re capiam ,quæ uos communiter læderet. Sed quia uidebam ò Taricheatæ,maximam ciuitatem ueſtram munitionis egere,& ad extruẽda mœnia minus habere pecuniæ,timebamq; Tiberienſem populũ,& alias ciuitates raptis pecunijs inhiantes,pedetẽtim eas retinere decreui, ut uos muro circũdarem. Si hoc non uidetur,profero quæ ablata ſunt,& diripienda propono.Sin recte cõſului,bene de uobis meritum coërcetis. Hæc Taricheatæ quidem ab eo dicta,cũ fauore receperunt. Tiberienſes uero cum alijs deprauando,inſuper etiam minitabantur:utrique autem relicto Ioſepho,inter ſe litigabant.Ille autem fretus iã ſecum ſentientibus(erant enim propè ad quadraginta milia Taricheatæ)cum multitudine liberius loquebatur, multum in eorum temeritatem inuectus,ex præſenti quidem pecunia Taricheam ait eſſe muniendam.Curæ autem ſibi fore,ſimiliter ut etiam cæteræ tutæ ſint ciuitates.Nec enim pecunias defore,ſi cõcordare uelint in eos,unde parandæ ſunt,& non in eum moueantur,qui parat. Itaque tum alia quidem multitudo,quæ decepta fuerat quamuis irata recedebat:duo uero armatorũ milia impetum in eum fecere. Cumque ſe ille tecto ante recepiſſet,inſtabant ei minitantes. Iterum autem Ioſephus in hos quoque altera fraude utitur. Cumq; ad faſtigium culminis euaſiſſet, compreſſo dextra ſtrepitu,neſcire ait ſe, quid peterent ſibi præſtari: uoces enim ſe non exaudire confuſas. Omnia uero quæ iuberent eſſe facturum, ſi aliquos intromiſiſſent,qui ſecum otioſe colloquerẽtur. His auditis,ilico nobiliores cum magiſtratibus ad eũ ingrediuntur. Quos ille in ædium partes inductos, clauſa ianua tãdiu uerberauit,quoad eorum inteſtina nudata ſunt. Circumſtabat autẽ interim populus, exiſtimans eos prolixis allegationibus concertare. Tũ ſubito Ioſephus foribus patefactis, cruentos eos dimiſit. Vnde tanto terrore qui minabantur affecti ſunt,ut proiectis armis aufugerent.Ob hæc Iohannis etiam atque etiam creſcebat inuidia,aliásque nihilominus Ioſepho moliebatur inſidias:morbóque ſimulato per epiſtolam poſtulauit, ut ſibi medicinæ gratia, Tiberienſibus aquis callidis uti permitteret. Ioſephus autẽ,quia nondum ei ſuſpectus erat inſidiator,ad præfectos ciuitatis literas fecit,ut & hoſpitiũ,& utenſilia Iohanni præberent.Quibus ille potitus,biduo poſt,cuius rei cauſa uenerat,agebat:& his fraude circumuentis,alijs uero pecunia corruptis, ut Ioſephum deſererent,perſuaſit.His autem cognitis,Sylas quem Ioſephus cuſtodiæ

Iterum fit impetus in Ioſephum.

ſtodiæ præpoſuerat, propere de inſidijs ei ſcripſit: atq; ille accepta epiſtola, nō
ctúcq; itinere maturato, matutinus ad Tiberiadem peruenit. Et cætera quidē mul
titudo obuiam ei proceſſit. Iohannes autem, quamuis eum contra ſe uenturum
eſſe ſuſpicaretur, tamen directo quodam ex notis, infirmitate ſimulata, quod le
ctulo detineretur, obſequio ſeſe defuiſſe mandauit. Tiberienſibus autem à Ioſe
pho in amphitheatri ſtadium congregatis, ut ad eos quæ ſibi ſcripta fuerant allo
queretur, miſſis armatis Iohannes iuſſit eum interfici. Quos cum iam nudare gla
dios perſpexiſſet, populus exclamauit: atque ita conuerſus ad eius uocem Ioſe
phus, ubi ferrū propè iugulo ſuo imminere proſpexit, in littus deſilijt è tumulo,
excelſo cubitis ſex, in quo uerba faciens cum populo ſteterat: aſcenſáq; inde tu
guicula cum duobus ſatellitibus ſuis, quæ illic applicuerat, in medium lacum refu
git. Milites uero eius, ilico raptis armis, contra inſidiatores irruebant. Mox au
tem ueritus Ioſephus, ne bello inteſtino concitato, propter paucorū inuidiam ci
uitas conſumeretur, nuncium ſuis miſit, qui eos moneret, ut propriæ tantum ſalu
ti conſulerent: neq; uero quenquam uel occiderent, uel arguerent noxiorum. Et il
li quidem dicto parentes, conquieuerunt. Qui uero circū ciuitatem per agros ha
bitabant, auditis inſidijs, & quis earum fabricator eſſet, contra Iohannem uenie
bant. Sed ille primus in Giſcala patriam ſuam fuga receptus eſt. At Galilæi totis
iam ciuitatibus ad Ioſephum confluebant. Et cum multa eſſent armatorum mi
lia congregata, qui ſe aduerſus Iohannem communem inſidiatorem adeſſe cla
mabant: unáque cum eo ciuitatem, quæ illum ſuſcepiſſet, ignibus tradituros:
ad ea Ioſephus, probare ſe quidem eorum beneuolentiam, impetum autem co
hibendum eſſe dicebat: prudentia magis inimicos uincere cupiens, quàm perime
re. His uero, qui de ſingulis ciuitatibus cum Iohanne rebellaſſent, nominatim ex
ceptis, quippe alacri animo ſuos quiſque populus indicabat, præconum uoce de
nunciabat, intra quinq; dies eorum qui Iohannem non reliquiſſent, patrimonia
diripienda, domosque eorum cum familijs exurendas. Et tria quidem milia ſta
tim ab eo reuocauit, qui profugi ante pedes eius arma proiecerunt. Cum reliquis
autem Iohannes propè mille Syris fugitiuis, tranſtulit ſe iterum in occultas inſi
dias ex apertis: ac per nuncios in Hieroſolymam clàm directos, Ioſephum accu
ſabat, quod magnum exercitum collegiſſet: iamq; niſi præueniatur ui, tyrannus
metropoleos uenturus eſſet. Verum ea populus quidem præſciens, negligebat: li
uore autem potentes, nonnulliq; magiſtratuum clàm pecunias ad comparandos
mercenarios milites, miſere Iohanni, ut per eos bellum cum Ioſepho gereret. De
cretumq; inter ſe conceperunt, quo idem Ioſephus militum adminiſtratione de
cederet: non tamen id ſatis eſſe credebant: ideóq; duo milia & quingentos arma
tos, & quatuor miſerunt nobiles uiros iuriſperitos, filium Ioſandrum, & Ananiā
Sadduci, & Simonem & Iudam Ionathæ filios, omnes eloquētia ualidiſſimos:
ut eorum ſcilicet monitu, auerteretur ab Ioſepho beneuolentia multitudinis. Et
ſiquidem ipſe ſponte ſua ueniret, paterentur eum rationem reddere: Sin remane
re contenderet, uelut hoſte uterentur. Amici autem Ioſepho militem quidem ad
eum uenturū eſſe perſcripſerunt, cauſam uero non indicauerunt, quoniam ſecre
tum fuit inimicorum eius conſiliū. Vnde factum eſt, ut quia præcauere non po

Ioſephus uix gladium inſi diātis euadit.

Fuga inſidiatoris.

tuit,quatuor ſtatim ciuitates ad inimicos tranſirent:hoc eſt, Sephoris,& Gadara,& Giſcala,& Tiberias:quas tamen continuo ſine armis recepit.Captos autem quatuor duces conſiliſq; armatorūq́ue fortiſſimos,remiſit ad Hieruſalem: contra quos populus haud mediocri indignatione cōmotus, & ipſos,& à quibus præmiſſi fuerant,interfeciſſet,niſi ante fugiſſent.

Tiberias à Ioſepho recuperatur,& Sephoris. Caput XXVII.

IOhannem uero iam intra muros Aſcalon,Ioſephi timor cuſtodiebat.Et paucis diebus poſt,iterum rebellauit Tiberias:habitatoribus eius Agrippam regē implorantibus.Et cū ille conſtituto die ad eos nō ueniſſet,paucíq; Romani equites ibi tum comparuiſſent,à Ioſepho alienati ſunt. Hiſq; apud Taricheas cognitis,ſtatim defectio conſecuta eſt.Cum uero cunctos Ioſephus milites miſiſſet frumentatum,neq; ſolus egredi cōtra deſtitutores,neq; ſe continere patiebatur:metuēs, ne dum ipſe tardaret,ante in ciuitatem regij tranſgrederentur (nec enim poſtero die obſtante ſabbato quicquam facere poterat)dolo qui ſe deſeruerant,circumuenire cogitabat. Et portas quidem Tarichearū claudi iuſſit,ne quis conſiliū ſuum illis proderet,cōtra quos ſuſcipiebatur.Omnibus autem ſcaphis,quas in lacu comperit congregatis (ducentæ autem & triginta fuerunt, quaterniq; nautæ non amplius ſingulis inerant)mature ad Tiberiadem nauigat. Cumq; tanto ab ea diſtaret ſpatio, unde facile uideri non poſſet, inanibus ſcaphis in ſalo relictis ſeptem ipſe ſolus inermes ſatellites ſecum habens,propius ut conſpiceretur,acceſſit.Quem cum inimici adhuc maledicentes ei ex muro conſpexiſſent,metu perterriti,& ſcaphas armatorum eſſe plenas exiſtimantes,arma proiiciūt:manusq; ſupplices agitantes,ut ciuitati parceret,precabātur. Ioſephus autem,poſtquā multis eos minis & exprobrationibus caſtigauit,primū quod bello cōtra populum Ro ſuſcepto,inteſtinis diſſenſionibus uires ſuas ante conſumerent,inimicorumq; uota complerent. Deinde,quod ſecuritatis ſuæ curatorē de medio tollere properarent,ciuitatemq; non erubeſcerent ſibi claudere,qui eam muro cinxiſſet: non repudiaturum ſe ait,ſi qui ſibi ſatiſfacerēt: quibusq; interuenientibus amicitiam cū ciuitate firmaret. Itaq; ſtatim ad eum decem Tiberienſium potentiſſimi deſcenderunt.His autem in unam receptis nauiculam piſcatoriam,& procul abductis, alios quinquaginta curiales uenire iuſſit,maxime notiſſimos,uelut illi quoq; fidē ſibi præbere deberent. Deinde nouas cauſationes excogitans, alios inſuper atq; alios obtentu fœderis euocabat:ut mature Taricheas recurrerēt,gubernatoribus nauium repletarum imperabat:quosq; auexiſſent,in carcerem collocarent:donec omnem curiam,quæ ſexcentos haberet uiros, duoq; milia popularium,compreheſam in Taricheas ſcaphis abduxit. Reliquis autem uociferantibus,Clitū quendam eſſe maxime defectionis autorem,iramq; ipſius pœna illius precantibus ſatiari,nullum quidem Ioſephus uolebat occidere: ſuorum uero ſatellitūm quendam Leuin,egredi iuſſit,qui Cliti manus abſcinderet.Cum uero is præ timore ſolum ſe globo inimicorū commiſſurum negaret, eáq; cauſa indignari Ioſephum ſtantem in ſcapha Clitus uideret,ipſumq; uelle deſcendere,ac de ſe ſuppliciū ſumere,ut ſaltem unam manum ſibi concederet,orabat. Neq; hoc abnuente Ioſepho,dummodo alteram ſibimet Clitus ipſe præſcinderet,educto ille dextera gladio,

dio, leuam ſibi truncauit. Tantus eum timor Ioſephi inuaſerat. Ita tũc Ioſephus uacuis ſcaphis, & ſatellitibus ſeptem, populo capto, rurſus Tiberiadem ſibi ſociauit. Paucis autem diebus poſt, cum etiam Sephorim defeciſſe inter alias reperiſſet, militibus eam deprædari permiſit: omniaq́ue inde collecta, popularibus dedit etiam Sephoritis. Nam & captos rapinarum damno corrigere uoluit: & redhibitione rerum rurſus eos ad beneuolentiam reuocare.

Sephoris recuperatur à Ioſepho.

Quomodo Hieroſolymitæ bello ſe præparauerint: deq́; Simonis Gioræ tyrannide. Caput XXVIII.

HActenus apud Galilæã motus erat: iamq́; ab inteſtinis diſſenſionibus quieſcentes, aduerſus Romanos inſtruebantur. Hieroſolymis autem Ananias pontifex & potentiores, qui non cũ Romanorum parte ſentirent, muros inſtaurare properabant: multaq́; bellica inſtrumenta, perq́; omne oppidum ſagittæ, aliáque arma fabricabantur: exercitationibus iuſſis, manus iuuenũ operam dabant. Erãtq́ue uniuerſa plena tumultus, magnáq; triſtitia mediocres occupauerat: multiq́; futuras clades proſpiciẽtes, fletũ cohibere non poterant: infeſtáq; pacem cupientibus omnia uidebantur. Belli autem incentoribus, quæ illis placerent, ex tempore fingebantur: ſtatúsq; iam tunc quaſi perituræ ciuitatis erat, anteq́; Romani uenirent. Anano autem apparatũ belli negligere cura fuit: & ſtudioſorũ, quos æmulatores uocabant, amentiam ad utiliora conuertere: qui tamen uictus ſit, & qs illius finis fuerit, in poſterioribus explanabimus. At in Acrabatena toparchia Gioræ filius Simon, multis nouarum rerum cupidis congregatis, ad rapinas conuerſus, non ſolum domos locupletum perturbabat, uerũ etiam corpora uerberibus conficiebat. Iámq; tunc certus erat incipiens tyrannidem. Ab Anano autem, miſſis aduerſus eum militibus magiſtratuum, ad latrones qui erant Magadæ, cũ his quos habebat, effugit: ibiq́; manẽs, donec Ananus & alij eius inimici perempti ſunt. Idumæam cum cæteris populabatur: adeóq; ut magiſtratus eius gentis, propter cædium multitudinem & prædarum aſſiduitatem, collecto milite, uicos præſidijs tuerentur. Et Idumææ quidem res ita ſe habebant.

FLAVII IOSEPHI DE BELLO IVDAICO LIBER TERTIVS.

De Veſpaſiani ducis aduentu & clade duplici Iudæorum. Caput I.

NEronem autem, ubi res apud Iudæam nõ proſpere geſtas accepit, latens quidem, quod neceſſe fuit, cũ timore ſtupor inuadit: aperte autem ſuperbiã ſimulans ultro etiam indignabatur, magiſq; ducis negligentia, cq; uirtute hoſtium quæ cõtigerant facta eſſe dicebat: decere reputans, propter pondus imperij triſtiora contemnere, uideriq; malis omnibus ſuperiorẽ animum gerere. Veruntamen curis angebatur mentis eius perturbatio, cũ deliberaret cuinam cõmotum crederet orientẽ, qui unà & Iudæos rebellantes ulciſceretur, proximásq; his nationes ſimili mo-

do correptas ante caperet. Inuenit igitur ſolum Veſpaſianum his neceſſitati-
bus parē, & qui tanti belli magnitudinem ſuſcipere poſſet, uirum ab aduleſcentia
uſq; ad ſenectutem bellis exercitatum, & qui populo Romano iam pridem pa-
caſſet Heſperiam, Germanorum tumultu concuſſam: armisq; ante illud tempus
incognitam, Britanniam uendicaſſet. Vnde patri quoq; ipſius Claudio præſtite-
rat, ut ſine proprio ſudore triumpharet. Itaq; his uelut omnibus fretus Nero, ata
témq; illius cum peritia ſtabilem cernēs, obſidésq; fidei liberos, eorúmq; florem
manus eſſe paternæ prudētiæ, iam tum fortaſſe de tota republica deo aliquid or-
dinante, mittit eum ad regendos exercitus in Syria conſtitutos, multis pro tēpo-
re blandimentis atq; obſequijs animarum, qualia neceſſitas imperare conſueuit.
Ille autem protinus ex Achaia, ubi cum Nerone fuerat, Titum quidem filium ſu-
um dirigit Alexandriā; ut inde quintam itemq; decimam legiones moueret. Ipſe
uero tranſmiſſus ad Helleſpontum, terreno itinere Syriā peruenit, ibiq; Roma-
nas uires, multáq; à uicinis regibus auxilia cōgregauit. At Iudæi poſt malam Ce
ſtij pugnam inſperata felicitate ſublati, animorum impetus cohibere nō poterāt.
Sed tanquam fortuna eos exagitante perciti, bellum ulterius producebant. Deni
que omni, quanta fuit, manu pugnaciſſima congregata, Aſcalonem petierūt. Ea
ciuitas antiqua eſt, ſeptingentorum & uiginti ſtadiorum ſpatio ab Hieroſolyma
diſtās, & Iudæis ſemper inuiſa: quæ res fecit, ut etiam tunc primis eorum incurſi-
bus propior uideretur. Tres autem uiros aggreſſionis duces habebant, & cor-
poribus & prudentia præſtantiſſimos: Nigrum Pereitam, & Sylam Babyloniū,
& Iohannem Eſſæum. Aſcalon enim ualidiſſimo quidem muro cincta erat, ſed
uacua penè præſidijs. Vna enim cohors eam peditum, & una equitum ala tueba
tur: quibus præfectus erat Antonius. Illi quidem ira multa uelocius itinere pera-
cto, quoniam ex propinquo uenirent, præſto erant. Antonius uero (nec enim eo-
rum fore impetum neſciebat) equites iā ex ciuitate duxerat, & neq; multitudinem
ueritus uel audaciam, primas hoſtiū coitiones fortiter ſuſtinuit: murumq; prope
rantes aggredi refrenauit. Itaq; Iudæi, quod cum peritioribus imperiti, & pedites
cum equitibus cum ſtipatis autē inordinati, leuiterq; armati cū inſtructis, plusq;
indignationi q̄ conſilio tribuentes, cum morigeris & nutu rectoris omnia facien
tibus erant dimicaturi, facilis erat aduerſarijs labor. Nam ut ſemel eorum primæ
ab equitibus turbatæ ſunt acies, fugam petunt: & murum uerſus ſe à tergo urgen
tibus incedentes, ſuimet ipſi hoſtes erant: donec omnes incurſibus equitum uicti,
per totum campum diſperſi ſunt, qui fuit plurimus, totusq; habilis equitantibus:
quod quidem Romanos iuuit, ut magna quidem cæde Iudæos proſterneret. Nā
& fugientes præuertendo torquebant: & quos occupaſſent, curriculo tranſfigēdo
infinitos peremere. Alij uero alios quocunq; ſe uertiſſent circundatos, exagitan-
tes facile iaculis opprimebant. Et Iudæis quidem propria multitudo, per deſpera
tionem ſalutis, ſolitudo uidebatur. Romani uero licet bello pauci eſſent, rebus ta-
men ſecundis animati, etiam ſuperflue reſidui uidebantur. Et illis quidem res ad-
uerſas ſuperare certantibus, dum cito pudet fugere, mutari fortunam ſperant: Ro
manis autē, in his quæ proſpere agerent, minime laborantibus, ad maiorem uſq;
diei partē pugna protracta eſt: donec Iudæorum quidem perempta ſunt decem
milia.

milia,duóq; duces Iohannes & Sylas.Cæteri uero & pleriq; saucij,cũ Nigro,qui unus reſtabat ex ducibus,in ciuitatem Idumææ, quæ Challis dicitur, confugêre. Nonnulli tunc etiã Romanorum,in illo prælio uulnerati ſunt. Sed non Iudæorũ ſpiritus dade tanta ſedatus eſt,multóq; magis eorum dolor incitauit audaciam: & coniũcientes quãtum ante pedes mortuorum iaceret,priſtinis rebus feliciter geſtis ad plagam alteram illiciebantur.Deniq; paruo tempore intermiſſo,quod ne curandis quidem uulneribus ſatis eſſet, cunctisq; aggregatis uiribus, maiore cũ indignatione,multóq; plures Aſcalonem recurrebant:eádem ſe præter imperitiã, aliáq; belli uitia,comitante fortuna.Etenim cum Antonius qua tranſituri fuerãt, poſuiſſet inſidias,ex improuiſo in eas dilapſi, & ab equitibus circundati,prius q̃ ſe ad pugnã componerent,iterum ſuper octo milia procubuerunt,cæteri uero omnes aufugerunt.Cũq; his Niger,multis,dum fugeret,magni animi facinoribus demonſtratis,& quoniã hoſtes inſtarent,in turrim quandam tutiſſimam cõpelluntur alicuius uici,cui nomen eſt Baldezel.Antonius uero cum ſuis,ne uel moras circum turrim,quæ inexpugnabilis eſſet,diu tenerent,uel ducem hoſtium fortiſſimum uiuum relinquerent,ignem muro ſupponunt:turriq; inflammata,Romani quidem exultantes recedunt,quaſi etiam Nigro conſumpto. Ille aũt in caſtelli ſpecus intimũ ex turri ſaltu demiſſus euaſit: triduóq; poſt ſocijs cum fletu eũ ad ſepulturam inueſtigantibus ſeſe oſtendit,gaudióq; inſperato repleuit omnes Iudæos,tanquã dei prouidentia dux eis in poſterũ reſeruatus.At Veſpaſianus Antiochiam exercitum ducens,quæ Syriæ metropolis eſt,magnitudine ſimul,aliáq; felicitate,ſine dubio tertium inter omnes,quæ in Romano orbe ſunt,locum obtinens:ubi etiam aduentu ſuo regem Agrippã cum omni manu propria offẽderat, præſtolari ad Ptolemaidem properabat.In hac autem ciuitate occurrerũt ei Sephoritæ ciues oppidum Galilææ colentes,ſoli mente pacata: qui tam ſuæ ſalutis prouidentia ſoliciti, q̃ Romanorum uirium gnari,etiam prius q̃ Veſpaſianus ueniret,*Sentio Gallo fidem dederant,dextrasq; iunxerant, præſidium militare ſuſceperant.Itaq; & benigniſſime duce ſuſcepto,alacri animo etiam contra gentiles ſuos auxilia promiſerant.Quibus interim Veſpaſianus ultionis cauſa poſcentibus,equitum peditumq; tantum numerum tradidit,quantum obſtare poſſe arbitrabatur incurſibus,ſi quid Iudæi commouere tentaſſent. Nõ enim minimum eſſe uidebatur futuri belli periculum, auferri ciuitatem Sephorim Galilææ maximam,& in loco tutiſſimo conditam,totiusq; gentis futuram præſidio. *Cæſennio.

Deſcriptio Galilææ,Samariæ,& Iudææ. Caput II.

DVæ ſunt autem Galilææ,quæ ſuperior & inferior appellantur,easq; Phœnice & Syria cingunt. Diſcernit uero ab occidente Ptolemais territorij ſui finibus,quondam & Galilæorum:Nunc autem mons Tyriorum Carmelus cui coniuncta eſt Gabaa,ciuitas Hippeon,hoc eſt equitũ,quæ ſic appellatur ex eo,quod equites ab Herode rege dimiſſi coloni,eò deducebantur.A meridie autem Samaritis & Scythopolis,uſq; ad flumen Iordanẽ.Ab oriente uero Ioppe & Gadaris. Sed & Gaulanitide diffinitur,quæ etiam regi Agrippæ fines ſunt. Septentrionalis autem eius tractus Tyro,itemq; Tyriorũ finibus terminatur.Inferioris quoque Galilææ fines q̃ longi ſunt,ex Tiberiade uſq; ad Zabulon,cui uicina eſt in

locis maritimis Ptolemaienſium ciuitas, propagantur. Latitudine autem patet ex uico Salothi, qui in magno cãpo ſitus eſt, uſque ad Berſaben: unde etiam ſuperioris Galilææ latitudo incipit uſq; ad Baca uicum, qui terram dirimit Tyriorum. Longitudo uero eius à Talla uico Iordani proximo uſq; ad Berothe tenditur. Sed cum tanta ſint utræq; magnitudine, tãtisq; gentibus alienigenis cinctæ, ſemper tamen omnibus belli periculis reſtiterunt. Nã & pugnaces ſunt ab infantia Galilæi, & omni tempore plurimi, neq; aut formido unquam uiros, aut eorũ penuria regiones illas occupauit, quoniam totæ opimæ ac fertiles ſunt: omniũq; generum arboribus conſitæ, ut etiam minime agricolandi ſtudioſos ubertate ſua prouocẽt. Deniq; excultæ ſunt ab incolis totæ, nec pars ulla eſt earũ otioſa, quin & ciuitates ibi crebræ ſunt, ubiq; multitudo uicorum propter opulentiam populoſa, ut qui ſit breuiſſimus, ſupra qndecim milia colonorũ habeat prorſus: ut etiã ſi quis magnitudine minorem Galilæam dixerit, q̃ trans fluuium regionem, uiribus tamen eam prætulerit. Hæc enim omnis eſt in opere, aſſiduéq; fructuũ ferax, ut illa quæ trans flumen eſt, licet multo maior ſit: Pleraq; tamen aſpera atque deſerta eſt, & nutriendis fructibus mãſuetis inhabilis. Galilææ uero mollities & ingeniũ fructuoſum, campos habet cum uarijs arboribus conſitos, tum maxime oliuetis ac uineis & palmetis excultos. Irrigatur autem abunde montanis torrentibus, & fontibus aquæ perennis, quoties illi Syrio æſtuante defecerint. Et lõgitudo quidem eius eſt à Macherunte in Pellã: Latitudo uero à Philadelphia uſq; ad Iordanem. Et Pella quidem quam ſupra diximus, ſeptentrionalis eius eſt tractus: occiduus uero Iordanis: meridianum autem Moabites regio terminat. Ab oriente autem Arabia & Selbonitide, necnon & Philadelphia, itemq; Geraſidis dauditur. Samarienſis autẽ regio, inter Iudæam quidem & Galilæam ſita eſt. Incipiens enim à uico in planicie poſito, cui nomen eſt Genaniæ, in Acrabatenã deſinit toparchiam: ſed natura nihil à Iudæa diſcrepat. Nã & utræq; montoſæ ſunt & campeſtres, agróq; colendo molles atque opimæ, necnon & arboribus plenæ: pomisq; tam ſylueſtribus q̃ manſuetis abundant, eo quod natura ſunt aridæ, imbriũq; ſatis abundant. Dulces aũt per eas multimodis aquæ ſunt, boniq; graminis copia. Præter alias earum pecora lactis abundant: quodq; maximũ uirtutis atq; opulentiæ ſpecimen eſt, utraq; uitis referta eſt. His aũt finitimus eſt Anathath uicus, qui etiã Borceas appellatur, Iudææ limes à ſeptẽtrione. Meridiana uero pars eius, ſi in longitudinem metiare, adiacenti uico Arabum finibus terminatur, cui nomen eſt Iordane. At Iudææ latitudo ex Iordane flumine uſq; ad Ioppen explicatur: Media uero ciuitas eius eſt Hieroſolyma. Vnde quidam non ſine ratione, umbilicum eius terræ, id oppidum uocauerunt. Sed nec marinis quidem Iudæa delicijs caret, ad Ptolemaidem uſq; locis extẽta maritimis. In undecim autem ſortes diuiſa eſt: quarum prima eſt regnum, quod obtinet Hieroſolymorũ ciuitas, præ cæteris inter omnes accolas eminens, uelut caput in corpore. Alijs uero poſt hanc toparchiæ ſunt diſtributæ. Gofna eſt ſecunda: & poſt eã, Acrabata eſt. Deinde Thamna, & Lidda, itemqúe Emmaus, & Pella, & Idumæa, & Angada, & Herodium, & Hiericus, poſt quam Iamnia & Ioppe finitimis præſunt: & præter hanc Gamalitica, & Gaulanitis, & Bathanea, & Trachonitis: quæ etiam

Fertilitas Galilææ.

Samariæ deſcriptio.

Iudææ deſcriptio.

Vndecim Iudææ ſortes.

regni

regni Agrippæ partes ſunt. Eadem uero terra incipiens ex monte Libano & fontibus Iordanis, uſq; ad Tiberiadi proximum lacum, latitudine panditur. Ex uico autem, qui appellatur Pharphaſus, qui ad Iuliada oppidum longitudine tendit, habitatur ab incolis Iudæis & unà Syriſq; permixtis.

De auxilio Sephoritis miſſo & Romanorum diſciplina militari. Caput III.

DE Iudæa quidē, & quibus eſſet cincta regionibus, quàm maxime potui breuiter expoſui. Quod autem Veſpaſianus miſerat auxilium Sephoritis, hoc eſt equites mille, ſexq́ue milia peditum, Placido eos regente Chiliarcho, caſtris in magno campo poſitis bifariam diuiduntur. Et pedites quidem in ciuitate ipſius tuendæ cauſa, equitatus uero in caſtello degebat. Vtrinque autem aſſidue prodeundo, & circa eam regionem loca omnia incurſando, magnis incommodis Ioſephum eiuſq; ſocios, quamuis quietos, afficiebant. Et præterea ciuitates extrinſecus deprædabantur: quorumq́ue conatus, ſi quando excurrendi habuiſſent fiduciam, repellebant. Sed Ioſephus quidem aduerſus ciuitatem impetum fecit, ſperans eam poſſe capere: quam ipſe, antequàm à Galilæis deſiſteret, ita muris cinxerat, ut Romanis quoque eſſet inuicta. Vnde etiam de ſpe decidit, cum & ui & ſuaſu infirmior Sephoritis fuiſſet inuentus: magisq́ue in Iudæa bellum accendit Romanis, indigne ferentibus inſidias. Et propterea nec die nec nocte ab agrorū depopulatione ceſſantibus, ſed paſſim diripientibus quicquid rerum in his reperiſſent. Qui tamen cum mortem pugnacibus ſemper inferrent, imbelles ad ſeruitium capiebāt: Ignis uero & ſanguis Galilæam totam repleuerat, nec quiſquā expers eius acerbitatis aut cladis erat: unam ſalutis ſpem fugiētes habebant in ciuitatibus, quas murorum ambitu Ioſephus communierat. Titus autem Alexandriam tranſmiſſus ex Achaia, citius quàm per hyemem ſperabatur, manum quidem militum, cuius cauſa directus fuerat, ſuſcepit: contemptóque uſus itinere, mature ad Ptolemaidem peruenit. Cumq; ibi patrem ſuum reperiſſet, duobus quæ ille ſecum habebat, agminibus (erant autem nobiliſſimæ quinta & decimà legiones) iunxit ētiam quas ipſe abduxit, quintam & decimam. Eas autem ſequebantur etiam decem & octo cohortes, quibus acceſſere ex Cæſarea cū unaquaq; ala equitum & alæ quinq; Syrorum itidem equitū. Decem autem cohortum ſingulæ mille pedites habebant: in cæteris uero tredecim ſexcenti pedites: & centeni uiceni equites erant. Satis autem auxiliorum etiam à regibus congregatū eſt. Antonius enim & Agrippa & Soēmus, bina milia peditum, & ſagittarios equites mille præbuerunt: cum Arabiæ quoque rex Malachus, præter quinq; milia peditum, equites mille miſiſſet, quorum pars maior erant ſagittarij: ut tota manus computata cum regis, decem milia circiter peditum equitumq; colligeret, præter calones, qui plurimi ſequebantur: & meditationi bellicæ aſſueti, nihil à pugnatiſſimis aberant: quod tempore quidem pacis, dominorū exercitationibus intereſſent, belli autem pericula cum ipſis experirentur: & neque peritia, neq; uiribus, à quoquam niſi à dominis uincerentur. Qua quidem in re nimis admirandam quis exiſtimauerit Romanorum prouidentiam, ita ſeruos inſtituentium, ut non ſolum uitæ miniſterio, ſed belli etiam neceſſitatibus utiles ſint. Quod ſi quis eorū

aliam

aliã quoque reſpexerit militiæ diſciplinam, profecto cognoſceret tantum eos imperiũ non fortunæ munere, ſed propria uirtute quæſiſſe. Armis enim uti non ex bello cœperunt: neq; ſolum, ſi neceſſe ſit, manus mouent, cũ in pacis otio ceſſauerint, ſed armis ueluti natura cohærẽtes, nullas capiunt exercitationis inducias, nec tẽpora præſtolantur. Meditationes eorũ nihil à uera contentione diſcrepant: ſed in dies ſingulos militum quiſque omnibus armis, tanq; in procinctu poſitus, exercetur, quo etiam facillime prælia tolerãt. Nec enim uel ordo neglectus eos à conſueta diſpoſitione diſpergit, neq; metus aut ſumptus remouet aut laſſitudo. Vnde ſequitur ut ſemper ſuperent, quos non itidem confirmatos inuenerint. Nec erauerit, ſi quis eorũ meditationes conflictus eſſe dixerit ſine ſanguine, contráque prælia meditationes eſſe cũ ſanguine. Nec enim curſu capi faciles ſunt hoſtibus, ſed quocũque in hoſtilem terram irruperint, ante caſtrorũ munitionem nunquã prælium ſumunt. Quæ quidem non leui opere, neque iniquo loco erigunt, nec omnes inordinate deſcribunt, ſed ſi quidem inæquale ſolum fuerit, contemplãtur: quatuor uero angulis eorum dimenſio deſignatur. Nã & fabrorum multitudo, & ferramentorum copia quæ uſus extructionis popoſcerit, ſequitur exercitum. Et interior quidem pars caſtrorum tabernaculis diſtribuitur, ambitus autem eorum extrinſecus muri faciẽ præfert: ordinatis etiã turribus pari ſpatio diſpoſitis, quarum interualla telis atque baliſtis, aliſq; machinis ſaxa intorquẽtibus, omnibus inſtrumentis miſſilium complẽt, ut cuncta ſcilicet iaculorum genera in promptu ſint. Ex omni autem muri parte, quatuor portas ædificant, tam iumentis aditu faciles, quàm ipſis, ſiquid urgeat, intrò currentibus latas: intus autem caſtra uici ſpatijs interpoſitis dirimunt, mediáque tectorum tabernacula collocant, & inter hæc ducis maximi diuũm templo ſimillimum prorſus, ut quaſi repentina quædã ciuitas exiſtat: forum quoque & opificum ſtationes, & ſedes militum primatibus, ordinumq; principibus, ubi ſi qua ſit inter alios ambiguitas iudicent. Ipſe uero ambitus, & omnia quæ in eo ſunt, multitudine ſimul & ſcientia fabricantium opinione citius communitur. Quaſi res urgeat, foſſa extrinſecus cingitur, depreſſa cubitis quatuor, pariq; ſpatio lata. Armis autem ſepti, per contubernia cũ decore atque otio in tentorijs aguntur: omniaq; ab his ordinate etiam alia cautẽque per contubernia expediuntur: ueluti ſi ligno aquáue opus ſit aut frumento. Nec enim cœna uel prandium cum uoluerit, in poteſtate cuiuſque eſt. Simul autem omnibus ſomnus eſt, excubias & uigilandi tempora buccinæ ſignificant. Neque omnino quicquam quod ſine edicto geratur. Mane autem milites quidẽ ad centuriones, illi uero ad Chiliarcham conueniunt ſalutatum: cum quibus ad ſummum omnium ducem uniuerſi ordinum principes. Ille autem his ſignum aliáque dat ex more præcepta proferenda ſubiectis: quæ quidem etiam cũ in acie ſunt agentes, citius parent: ut ſi res exigat, incurſibus eius itemq; reuocationibus uniuerſi pariter obſecundent. Cum autem caſtris egrediendum eſt, tuba indicium facit: nemóque otioſus eſt. Sed uel ſolo nutu moniti, tabernacula colligunt, omniáque ad profectionem inſtruunt. Deinde iterum tuba ut ſint parati ſignificat. Illi autem cũ mulos & iumenta ſarcinis onerauerint, uelut in curruli certamine ſignum expectant. Caſtra uero incendunt, eo quod ſibi alia mu-

nire

nire facile ſit, & ne quando hoſtibus eadem uſui ſint. Et tamen tertio quoq; tubæ ſigno indicant, ut exeatur: urgendo aliqua ex cauſa morantes, ne quis ordinem deſerat. Dextraque duci præco aſtans, ſi ad bellum parati ſunt, uoce patria percontatur. Illiq; toties alacri & magna uoce paratos eſſe ſe reſpondent, interrogantemq; præueniunt: & Martio quidem ſpiritu repleti cum clamore dextras erigunt. Deinde otioſe, & cum omni decore progredientes ambulãt, ſuũ quiſq; ordinem uelut in bello cuſtodiẽs, pedites quidẽ thoracibus & galeis ſepti, & utroque latere ſicas ferentes. Leuus autem gladius multo eſt longior, cum dexter men ſuram palmæ non excedat. Qui uero ducem ſtipant lecti pedites ſcuta & lanceas portant: cætera manus haſtas & clypeos longos ferramq; & corbem & ſarculum & ſecurim, necnon & habenam & falcem & catenam, triduiq; uiaticũ, ut parum interſit inter onuſta iumenta & pedites. Equitibus autem ad dexteram gladius eſt longior, & contus in manu, tranſuerſusq; ad equi latus clypeus, ternaque ſuper pharetram uel amplius dependent lata cuſpide iacula, nihil ab haſtis magnitudine differentia. Caſſides uero & thoracas peditibus habent ſimiles: nulloque armorum genere ab equitum alis diſcrepant lecti, qui circum ducem morantur. Agminum autem ſemper cui ſorte id obtigerit, antecedit. Talia quidem ſunt Romanorum itinera & manſiones, itemq; armorum uarietas. Nihil uero nec in prælijs inconſultum aut ſubitum agunt: ſed omnia ſemper ſequuntur facta ſententia: opusque adhibetur ante decretis. Vnde aut minime peccant: aut ſi peccauerint, facilis eſt errati correctio. Fortunæ autem ſucceſſibus meliores conſilio rum, etiam ſi aliter ſucceſſerit, arbitrantur euentus: quaſi bonum quidem fortuitũ illiciat, ut diuina prouidentia non eſſe credatur. Quæ uero ante cogitata fuerint, etiam ſi aduerſus caſus exceperit, bene iam meditatos exhibeant ad cauendum ne idem rurſus eueniat, & bonorum quidem fortuitorum non is autor ſit cui contigerint, triſtium uero quæ in otijs acciderint: ſaltem quod rectum conſilium coeperint, uideatur eſſe ſolatio. Armorum quidem exercitatione comparant, ut nõ modo corpora, ſed animi quoq; militum fortiores ſint. Maior autem illis eſt ex timore diligentia. Nanq; leges apud eos non deſertionis ſolum: uerumetiam minimæ negligentiæ ſunt capitales: ducesq; magis quàm ipſæ leges terribiles. Nanq; bonos honorando redimunt, ne in coërcendis noxijs ſint crudeles. Tãto autem obſequio rectoribus parent, ut & in pace ornamẽto ſint, & in acie corpus unum, totius conſpiciatur exercitus. Sic eorum copulati ſunt ordines, ita circũduci ſunt mobiles: & acutis auribus ad præcepta, oculisq; ad ſigna, & ad opera manibus: unde facere quidem ſemper ſtrenui ſunt, pati uero tardiſſimi. Nec eſt ubi prælian tes aut multitudinem hoſtium, aut conſilia ſenſere ducũ, aut difficultatem regionum: ſed ne fortunæ quidem ſuccubuere. Nam & eam certiorem putant eſſe uictoriam. Quorũ igitur actus ex conſilijs incipiunt deliberantes, adeo extremus paret exercitus. Quid mirum ſi Euphrates ab oriente, & Oceanus ab occidente, itẽq; à meridiano tractu Libyæ fertiliſſima regio, & à ſeptentrione Rhenus atque Iſter ſunt imperij limites, cum minorem eſſe poſſidentibus poſſeſſionem recte quis dixerit? Hæc ergo quæ proſecutus ſum, non tam propoſito laudãdi Romanos, quàm ſolatio deuictorum, & ut nouarum rerum cupidos deterrerem: for

taſſe

taſſe autem ad experientiam proderunt bonarũ artium ſtudioſis, Romanæ inſti tuta militiæ neſcientibus: redeo tamen unde digreſſus ſum.

Impetus Placidi aduerſus Iotapatam. Caput IIII.

VEſpaſianus quidem unà cum Tito filio ſuo in Ptolemaide interim degẽs, ordinabat exercitum. At uero Galilæam peruaſerat Placidus, ubi maximã eorum quos comprehẽdiſſet multitudinem, interemit: hæc autẽ fuit Galilæorum imbecillior turba, animiſq; deficiẽs: pugnaciſſimos autem ut uidit ſemper in ciui tates confugere, quas Ioſephus communierat, in Iotapatam, quæ omnium tutiſſi ma erat, impetum uertit, exiſtimãs eam repentino aggreſſu facillime captum iri, magnamq; & ſibi ex ea re alios apud rectores gloriam comparandã, & illis com modum ad reliqua maturius explicanda, quaſi metu ceſſuris alijs ciuitatibus, ſi quæ ualidiſſima eſſet, occupatam uidiſſent. Multum tamen opinione deceptus eſt: Iotapateni enim, cum eius impetum præſenſiſſent, prope ciuitatem adueni entem excipiunt: congreſſiq; cum Romanis, ex improuiſo plurimi, & ad pugnã parati, necnon & alacres (quippe ut pro ſalute patriæ, item coniugum liberorũq; dimicantes) in fugam eos uertunt, multosq; ſauciant, ſeptem ſolum interfectis: qui nanq; ſolum inordinate pugna diſceſſere, ſeptisq; undiq; corporibus leuiter fuerant uulnerati: cum Iudæi magis quoque eminus iaculari, quàm manus con ſerere inermes cum armatis confiderent. Ex ipſis autem Iudæis tres ceciderunt, paucis præterea ſauciatis. Placidus quidem, quod impetu ſuo uel ciuium langui dior inuentus eſſet, aufugit.

Galilæa à Veſpaſiano inuaditur. Caput V.

VEſpaſianus uero ipſe Galilæam cupiens inuadere, ex Ptolemaide profici ſcitur, ordinato militum itinere, ſicut Romani conſueuerunt. Auxiliato res enim qui leuius armati eſſent, itemq; ſagittarios præire iuſſit, ad repentinos incurſus hoſtium cohibendos, & ut ſuſpectas atque opportunas ſyluas inſidijs ſcrutarentur: cum quibus etiam erat Romanorum armata portio. Eos autem ſequebantur de ſingulis Hecatontarchis: dein equites peditesque & armaturam ſuam ferentes, menſuraſque caſtrorum. Poſt hos ſtratores uiarum ibant, qui aggeris maligna corrigerent, ac deuia complanarent, ſyluasque obſtantes præ ciderent, ne perplexo itinere fatigaretur exercitus. Deinde ſuas, itemque ſubie ctorum ſibi rectorum ſarcinas, & tuitionis cauſa multos cum his equites ordina uit. Poſt quos ipſe ueniebat, lectos pedites equitesque, necnon & lancearios ſe cum ducens, equitumque præterea ſuorum agmine comitatus. De ſingulis enim turmis, proprios centum & uiginti equites deputatos habebat. Hos ſequeban tur, qui expugnandis ciuitatibus machinas & cætera tormenta portarent. Dein de rectores, itemque præfecti cohortibus Chiliarchi, ſtipati lectis militibus. Et poſt hos circum aquilam ſigna alia, quæ omnibus apud Romanos agminibus præeſt, quod & uniuerſarum auium regnum habeat, & ſit ualidiſſima. Itaque il lam & principatus inſigne putant, & omnem uictoriæ, quodcunque bello petie rint. Sacras uero ſignorum effigies itidem ſequebantur cornicines, & poſt eos ac es, in latitudinem ſenis digeſta militibus. Hisque adhærebat ex more quidam

Hecaton

Hecatontarchus,disciplinæ atq; ordinis custos. Serui autem singulorum agminum cincti cum peditibus erant,mulis aliisq; iumentis aduehentes militum sarcinas. Omnium uero agminum postrema erat mercenaria multitudo:eamq; armorum coactores sequebantur armati pedites,equitumq; non pauci. Ita perecto itinere,Vespasianus cum omni exercitu ad fines Galilææ peruenit:ibiq; positis castris,quamuis promptos ad bellum milites continebat,unà & ostendēdo exercitū,quo hostes metu percelleret,spatiumq; indulgēdo pœnitudinis,siquis ante prælium uolūtatem mutaret:nihilominus autem murorum instruebat obsidium. Itaq; multos quidē rebelliones fugere uel solus fecit ducis aspectus: metum uero uniuersis incussit. Iosephus enim eiusq; socij,qui non longe à Sephori castra posuerunt, ubi bellum appropinquare cognouerunt, & iam iamq; Romanos prælio secum congressuros,non modo ante pugnam,sed antequam hostes omnino conspicerent, fuga dissecti sunt. Cum paucis autē relictis Iosephus, ubi se animaduertit neq; ad excipiendos hostes sufficientem manum habere,Iudæorumq; animos concidisse:ac,si fides his haberetur, pleroscq; libenter ad hostes defectum ire,iam tū quidem bello omni quiescebat: quàm longissime autē periculis abesse decreuit:abductisq; qui secum remanserant, in Tiberiada confugit.

Gadaræ expugnatio. Caput VI.

VEspasianus autem Gadarensium ciuitatem aggressus, primo impetu capit,quod eam pugnaci multitudine uacuam reperisset. Deinde hinc transgressus interius,cunctos etiam puberes interfecit:cum Romanos odio gentis, & cladis memoria quam pertulerat Cestius, nullius ætatis misericordia commoueret. Incendit autem non solum ciuitatem, sed etiam omnes circum uicos, & municipia quædam penitus desolata:nonnulla uero, quorum habitatores ipse cepisset. Iosephus autem,quam tuitionis causa optauerat ciuitatem, ipse metu repleuit. Nam Tiberienses nunquam eum,nisi de omni bello desperasset, in fugam uersum iri credebant:neq; in hoc eos uoluntatis eius fallebat opinio. Videbat enim res Iudæorum quorsum euaderent:unamq; illos uiam salutis habere, si propositum mutauissent. Ipse uero,quamuis adhuc sibi speraret à Romanis ueniam tribuendam,mori tamen sæpe maluisset,quàm prodita patria,cum dedecore administrationis sibi creditæ,apud illos feliciter agere,contra quos fuerat missus. Decreuit igitur Hierosolymam primatibus,quemadmodum sese res haberent,cum fide perscribere:ne uel nimis extollendo uires hostium, timiditatis postmodum argueretur:uel minus aliquid nunciando,fortasse cœpti etiam pœnitentes ad ferociam reuocaret:atq; si fœdus eis placeret,cito rescriberent: aut si bellandum esset,dignum ei contra Romanos exercitum mitterent. Ille quidem hac epistola scripta,mature dirigit qui in Hierosolymam literas ferret.

Iotapatæ obsidio. Caput VII.

VEspasianus autem Iotapatam excindere cupiens, (nam in eam plurimos hostium refugisse cognouerat,& præterea ualidissimum hoc eorū esse receptaculum) præmittit pedites cum equitibus,qui montanum iter coæquarent,

ſaxis aſperum,ac peditibus quoq; difficile,omnino uero equitibus inuium. Et hoc quidem quatriduo fecere quod iuſſum eſt,latamq; aperuere exercitui uiam. Quinto autem die, qui menſis Maij uigeſimus & primus erat, prior Ioſephus in Iotapatam ex Tiberiade uenit,abiectosq; Iudæorum ſpiritus erigit. Cum uero tranſitum eius Veſpaſiano quidam tranſfuga nũciaſſet,utq; mox ciuitatem peteret incitaret,ueluti cum ea totam Iudæam capere poſſet,ſi Ioſephum ſubiugaſſet. Hoc ille nuncio proxima felicitate percepto,dei prouidẽtia factum ratus, ut qui hoſtium prudentiſſimus uideretur,ultro ſe etiam in cuſtodiam traderet uoluntariam:ſtatim quidem cum equitibus mille Placidum mittit,unaq; ducẽ primũ Ebutiũ,tam manu quàm prudentia uirũ inſignẽ,circũuallare ciuitatẽ iuſſit,ne dàm exinde Ioſephus elaberetur. Poſtero autem die cuncta manu comitatus ipſe conſequitur,& poſt meridiem uſq; acto itinere,ad Iotapatam peruenit. Abductoq; in ſeptentrionalẽ eius partem exercitu,in quodã tumulo caſtra ponit,diſtante ab oppido ſtadijs ſeptem. Conſulto autẽ quàm maxime cõſpici ab hoſtibus affectabat,ut uiſu attoniti turbarentur. Quod etiã factũ eſt:eosq; tantus continuo ſtupor inuaſit,ut muris egredi nullus auderet. At Romanos quotidie ambulãdo fatigatos,ciuitatẽ ſtatim aggredi piguit,ob eandẽ cauſam dupli ci acie circundato oppido,tertium extrinſecus agmen equitum poſuere, omnes Iudæis exitus obſtruentes. ſed ea res illos in ſalutis deſperatione audaciores effecit. Quippe in bello,nihil eſt neceſſitate pugnacius. Itaq; poſtridie impetu in muros facto,Iudæi primo quidem locis ſuis manentes, Romanis caſtra ante muros habentibus reſiſtebant. Poſtea uero quàm Veſpaſianus & ſagittarios & fundibulatores,omnemq; iaculorum multitudinem adhibitã,miſſilibus in eos permiſit uti:atq; ipſe cũ peditibus in aduerſum collem,unde murus * expugnabilis erat,niti cœpit. Tunc ciuitati metuens Ioſephus,& cum eo cuncta Iudæorũ proſiluit multitudo:omnesq; in Romanos pariter irruentes,procul à muris eos deterruere,multa manu ſimul & audacia patrando facinora:neq; minora tamẽ patiebãtur quàm faciebãt. Nã quantũ ipſos ſalutis deſperatio,tantũ pudor incẽdebat Romanos. Et hos quidem peritia cum fortitudine,illos autem duce iracundia ferocitas armabat. Deniq; cũ toto die pugnatũ fuiſſet,prælium nox diremit: in quo Romanorum plurimis ſauciatis,tredecim interfecti ſunt: Iudæorũ aũt cũ ſexcenti eſſent,uulnerati ſeptem,& decẽ ceciderũt. Nihilq; minus,Romanis poſtridie iterum irruentibus occurrunt:multoq; fortius reſtiterunt:ex eo ſcilicet fiducia nacti,quod eos pridie præter ſpem ſuſtinuerant. Sed eos quoq; pugnaciores experti ſunt,quod eorum iracundiam pudor incenderat, uinci credẽtium, niſi cito uiciſſent. Itaq; per dies quinq; Romanis minime ab aggreſſione ceſſantibus,etiam Iotapatenorum excurſus angebantur,muriq; fortius oppugnabantur. Et neque Iudæi uires hoſtium formidabant, neq; Romanos difficultas oppidi capiẽdi laſſabat. Etenim Iotapata paulominus tota in rupes eſt, ex alijs quidem partibus undiq; uallibus immenſis præceps,ut earũ altitudinem oculis deprehendere cupientium aſpectus ante deficiat. Ab una uero tantum Boreæ parte aditi poteſt,ubi per tranſuerſum latus deſmẽtis montis ædificata eſt:quod quidẽ ipſum muro ciuitatis Ioſephus fuerat amplexus,quo inacceſſa eſſent hoſtibus

Aliàs inexpugnabilis.

Situs Iotapatæ.

ſtibus ſuperiora cacumina. Alijs uero circum montibus tecta, prius quàm in eã peruenireturà nullo poterat conſpici. Iotapata quidem ſic erat communita. Veſpaſianus autem & cum natura loci ſimul certandum putans, & cum audacia Iudæorum, incipere obſidionem acriter ſtatuit, aduocatiſq; rectoribus ſibi ſubditis, de aggreſſu deliberabant. Cumq; aggerem fieri placuiſſet, qua parte murus facilis erat acceſſui, totum ad comparandam materiam miſit exercitum: oppidoq; propinquis montibus exciſis, magnaq; ui lignorum & lapidum congregata, ſcutiſq; minoribus ſiue ancilibus ad euitanda iacula deſuper miſſa per ualles diſpoſitis, ſub eorum defenſione aggerem conſtruebant. Nulla autem noxa uel minima telorum erat, quæ de muro iacerentur. His autem alij terram ex propinquis tumulis eruentes, ſine intermiſſione ſuppeditabant: cunctis trifariam diſtributis, nullus erat otioſus. At Iudæi ſuper eorum tegmina, ſaxa ingentia & omne telorum genus curabant immittere: quæ licet minime penetrarent, magnos quidem crepitus dabant, & horribile impedimentum erat operantibus. Tunc igitur Veſpaſianus machinis miſſilium circũpoſitis (erant autem omnes centũ ſexaginta) in eos qui ſuper murum aſtarent, iuſſit tela contendi: ſimulq; ex baliſtis lanceæ percurrebant, ſaxaq; tormentis ingentia mittebãtur, igniſq; & ſagittarũ frequentiſſima multitudo, quæ non ſolum murum, ſed etiam totum intra iactũ earum ſpatium Iudæis inacceſſum fecere. Arabum enim ſagittariorum manus, & iaculatores, itemque fundibulatores & omnes machinæ telis operabantur. Neq; tamen his Iudæi prohibiti, ne deſuper ulciſcerentur, quieti erant: ſed excurrendo per cuneos more latronum, tegmina operantium diſſipabant, nudatosq; feriebant: uel ſi quando illi ceſſiſſent, aggerem diſſipabant, uallorumq; munimẽta cum ancilibus igni tradebãt: donec Veſpaſianus cognito, huiuſmodi cauſam ex diſtributione operum contigiſſe, quod interiecta ſpatia Iudæis locum aggrediendi præberent, adunauit tegmina: coniunctisq; pariter uiribus obreptiones hoſtium præpeditæ ſunt. Erecto autem propemodum aggere: paulòq; minus æquato propugnaculis, indignum eſſe ratus Ioſephus, nihil contra moliri, quod oppido ſaluti foret, conuocat fabros, murumq; altius iubet extolli. Cum illi iam multis obſtantibus iaculis minime ædificare poſſe firmarent, hanc eis defenſionem excogitauit. Sudibus fixis per eos boum coria extẽdi præcepit, quæ miſſos tormentis lapides ſinuata ſuſciperent, quibusq; repulſa tela cætera dilaberentur, & ignis humore langueſeret. His ſq; ante fabros oppoſitis, illi murũ die noctuq; operando, ad uiginti cubitorum altitudinem erexerunt, crebris etiam turribus in eo conſtructis, nimisq; ualidiſſimis aptatis. Quæ quidem res Romanis iam intra ciuitatem ſe eſſe credentibus, magnum ſomnium comparauit, tam Ioſephi molitione, quàm oppidanorum obſtinatione perterritis.

Studium Veſpaſiani circa obſidionem Iotapatæ.

Agger extructus muris altior.

Obſidio Iotapatenorum à Veſpaſiano, & diligentia Ioſephi, deq; Iudæorum excurſione in Romanos. Caput VIII.

AT Veſpaſianus & calliditate conſilij, & hoſtium audacia magis irritabatur: quoniã recepta ex munitione fiducia, Romanos ultro incurſabant: inq; dies ſingulos prælia cateruatim, & cuiuſcunq; modi latrocinales doli, & eorum quæ caſus obtuliſſet, rapinæ aliorũq; incendia fiebant: donec Veſpaſianus retento

milite à pugna, ſtatuit obſidere ciuitatem, ut eam uſui neceſſariorum penuria ca peret. Aut enim coactos inopia ſibi ſupplicaturos, aut ſi ad finem uſq; in eadem pertinacia durauiſſent, fame conſumendos eius habitatores putabat: multóq; fa ciliores pugnæ fore, ſi poſt interuallū rurſus anxijs incubuiſſet. Itaq; omnes exi tus eorum aſſeruari præcepit. Illi autem frumenti quidem, aliarumq; omnium rerum intus habebāt copiam, præter ſalem. Aquæ uero penuria eos affligebat: quia neq; fons erat intra ciuitatem, & imbre contentis habitatoribus, rara eſt in illo tractu æſtiuis menſibus pluuia. Quo tempore obſeſſi etiā hoc uehementius afficiebātur, quod arcēdæ ſiti fuerat excogitatū: quod q; fieri, ac uelut oīs aqua iā defeciſſet, ægre ferebāt. Ioſephus enim, & cū ciuitatē uideret abūdare alijs rebus, forteſq; animo uiros eſſe, quo longiorē Romanis obſidionē faceret, quàm ſpera bant, iā tunc potū mēſura ciuibus miniſtrabat. Illis aūt conſeruari aquā penuria grauius eſſe uidebatur: ampliorem q; cupiditatē mouebat, quod ius bibēdi libe rū nō haberēt: ac uelut ad extremā ſitim peruentū eſſet, labori cedebāt. Hoc autē modo affectos, Romanos latere non poterat, qui ex aduerſo colle trās murū in unū cōfluere locū, & aquæ mēſurā accipere proſpectabant: quò etiā baliſtarum peruenientibus telis, plurimos occidebāt. Veſpaſianus quidē nō multo poſt, ex hauſtis puteis, ipſa ſibi neceſſitate traditū iri ciuitatem ſperabat. Ioſephus aūt, ut hāc eius ſpem frāgeret, iuſſit quàm plurimos per murorū minas, demerſa undis atq; humida ueſtimēta ſuſpendere, ut oēs repēte aqua perfluerēt. Ex quo mœror ſimul Romanis, ac timor erat, cū tantum aquæ uiderent eos ludibrio cōſumere, quos potu indigere credebāt. Deniq; dux belli etiam ipſe, quia penuria ciuitatē poſſe capere deſperaſſet, iterū conſilium ad uim atq; arma conuertit: Iudæis id quoq; maxime cupientibus: quod nec ſe, nec ciuitatem ſaluā fore credebāt, priuſ quam fame uel ſiti perirent, mortem bello optabant. Ioſephus tamē, præter hoc etiā aliud cōſilium, quo ſibi copia pararetur, per quandā uallē deuiā, propterea q; minus curioſe habitam à cuſtodibus, excogitauit. Mittendo enim per occiduas eius partes literas, ad quos uellet Iudæos, extra ciuitatem degētes, ab his omnia uſui neceſſaria, & quæ in ciuitate defecerant, accipiebat: mādato cōmeantibus, ut plerū q; ad excubias reperēt, terga uelleribus tecti: quaſi quī eos nocte uidiſſent, canum ſimilitudine fallerentur. Id q; factitatum eſt, donec eius fraudem uigiles perſenſerunt, uallem q; cinxerunt. Itaq; tunc Ioſephus non diu ciuitatem ſuſtine re poſſe proſpiciens, ſuam q; pariter ſalutem, ſi uellet remanere, deſperans, cum optimatibus de fuga tractabat. Verum id populus ſenſit, & circa eū fuſus, ne ſeſe negligeret, precabatur, in quo ſolo recumberent. Ipſum enim ſaluti eſſe ciuitati manentem, uelut omnes eius cauſa alacri eſſent animo certaturi. Quod ſi etiam capiantur, eundem ſolatio fore. Decere autem illum nec inimicos fugere, nec ami cos deſerere, aut quaſi ex naui tempeſtate oppreſſa deſilire, qui ad eam tranquil lo mari ueniſſet. Ipſum enim magis demerſurum eſſe ciuitatem, cum iam nemo audebit hoſtibus repugnare, ſi diſceſſiſſet cui confiderēt. Ioſephus autem quod ſibi caueret occultans, illorum commodo ſe exitum parare dicebat. Nam intra ci uitatem manendo, neq; ſeruatis grande aliquid ſe profuturum, & ſi caperentur, unà cum his eſſe fruſtra periturum. Obſidione uero liberatus, extrinſecus maxi

Prudentia Ioſephi.

mo

mo eis emolumento fore. Mature enim congregatis ex territorio Galilæis, alio bello Romanos ab eorum ciuitate reuocaturum: nunc autem non uidere, quid apud eos residens, utilitatis afferret, nisi quod Romanos ad obsidionem magis incitaret, ut se caperent magnipendentes. Quem si fugisse cognouissent, multum essent de obsidionis impetu remissuri. Non flexit his populũ Iosephus, sed hoc circumsistere se magis incedit. Deniq; pueri & senes, itemq; mulierculæ cum infantibus flentes, ad eius pedes accedebant, eumq; omnes complexi tenebant, & ut fortunæ socius sibi remaneret, cum ululatibus supplicabant: non inuidia salutis eius, quantum ego arbitror, sed propria spe. Nihil enim se mali, remanente Iosepho, existimabant esse passuros. Ille autem siquidem paruisset, hæc preces esse ratus: custodiam uero, si per uim cogeretur (multum enim ex intẽtione discessus etiam querelarum misericordia fregerat) remanere statuit. Communiq; desperatione ciuitatis armatus, & nunc tempus esse dicens pugnam incipere, cum spes nulla salutis est: pulchrumq; uitam paciscí pro laude, ac forti aliquo patrato facinore in memoriam posteritatis occumbere, ad opera sese cõuertit. Cum pugnacissimis ergo egressus, disiectis custodibus, usq; ad Romanorum castra excurrebat, & nunc pelles aggeribus impositas, sub quibus tendebant, discerpere: nunc operibus ignẽ immittere. Posteroq; die similiter ac tertio per aliquot dies ac noctes bellãdo collaborabant. Sed Vespasianus Romanos his excursibus male affectos aspiciens (nam & terga dare Iudæis pudebat, & fugientes insequi armorum pondere tardabantur: cum Iudæi semper aliquid agentes, priusquam paterentur, in ciuitatem refugerent) armatis imperat, ut eorum impetum declinarẽt, néue cum hominibus mortis auidis manum conferrent. Nihil esse fortius desperatis. Restingui autem illorum impetus, si proposito careant, quasi flamma si materiam non inueniat. Ad hoc oportere Romanos cautius quærere uictoriã, augendæ possessionis causa, non ex necessitate pugnãtes. Per sagittarios autem Arabum & Syriæ & fundibularios, perq; saxa tormentis emissa plerunq; repellebat Iudæos. Nulla enim telorum machina quiescebat. Illi autem his quidẽ male acceptis cedebant: uerum eminus missa inter iactum subeuntes, sæuius Romanis instabant: cum neq; corpori, neq; animæ parcerent: sed per uicem utrinq; pugnarent: suorum quisq; laborantibus subuenientes.

De pugna Vespasiani contra Iotapatam ex ariete, & alijs tormentis bellicis. Caput IX.

IGitur Vespasianus ultro se existimans longitudine temporis hostiũq; incursibus obsideri, cum propè iam muris aggeres æquarentur, arietem admouere decreuit. Est autem aries, immensa materia, malo nauis assimilis: cuius summum graui ferro solidatum est, in arietis effigiem fabricati, unde etiam nomẽ accepit. Dependet autem funibus medius ex trabe alia, uelut ex trutina, palis utrinque fultus, bene fundatis. Retrorsum autem magna uirorum multitudine repulsus, hisdemq; simul rursus impellentibus missus, in fronte prominente ferro mœnia percutit: nec est ulla tam ualida turris, aut murorum ambitus adeo latus, ut & si priores ictus fortiter sustinuerit, assiduos uincat. Ad huius periculum rei, duci Romano transire placuit, ui capere oppidum properanti: quoniam perniciosa *Aries.*

uidebatur obſidio, Iudæis minime quieſcẽtibus. Itaq; Romani quidem baliſtis, cæteriſq; miſſilium machinis, ut facilius ferirentur, qui de muris obſtare tentaſſent, propius adhibitis utebantur: Neq; ſagittarij aut fundibulares longius aberant. Cum uero ea cauſa muros nemo auderet aſcẽdere, ipſi arietem applicabãt gradibus, deſuper itemq; pellibus ſeptum, tam pro ſui defenſione quàm machinæ. Et primo quidem impetu mœnia concuſſa ſunt: damorq; oppidanorum, ueluti iam capti eſſent, maximus factus eſt. Ioſephus autem eundem locum ſæpe feriri, neq; multo poſt murum diſturbatum iri proſpiciens, quo commento uim machinæ paulatim falleret excogitauit. Saccos enim paleis confertos, qua ſemper impetum arietis ferri uiderent, demitti iuſſit ex muro: ut eo modo ſecundi ictu, errarent, aut etiam excepta uulnera laxitas fruſtraretur. Quæ quidem res multum Romanis moræ attulit. Nam quocunq; hi machinam conuertiſſent, contra illi qui ſuper murum ſtabant, palearum traducentes ſaccos, ictibus ſuppo nebant: nihilq; murus repercuſſione lædebatur, donec etiam Romani aduerſus hoc aliud machinati ſunt: proceris enim cõtis exhibitis, in his ſummis falces quibus ſaccos abſcinderent alligarunt. Cum autem hoc modo efficax eſſet opus arietis, ac murus (quia recens ædificatus erat) ictibus cederet, quod reliquum erat, Ioſephus eiusq; ſocij ad ignis auxilium ſe contulerunt: accenſumq; totum quod aridæ fuit materiæ, tribus ex locis pariter inflammare, unaq; machinas & propugnacula Romanorum & aggeres concremarunt. Illi uero non ſine malo ſubueniebant, audacia ſimul eorum territi, & ne adiumento eſſent, flammis prouentibus impediti: quæ aridum nactæ fomitem & præterea bitumen ac picem, nec non etiam ſulfur, opinione citius uolitabant: operaq; Romanorum multo labore curata, unius horæ ſpatio peſſum dederãt. Hic etiam uir quidam Iudæus,

De Eleazaro quodam fortitudine inſigni.

prædicatione ac memoria dignus inuẽtus eſt, Addæi filius Eleazarus, cui Salab Galilææ patria fuit. Is enim ſaxũ ingens alte ſublatũ, tanta ui ſuper arietẽ ex muro demiſit, ut machinæ caput abrumperet, idq; ex medijs hoſtibus ſaltu ad eos delatus auferret, nullo q; metu reportaret ad murum. Poſtremo tanq; ſignum quo tela mitterẽt, hoſtibus poſitus, nudo corpore quinq; ſagittarũ uulneribus fixus eſt: earũq; nulla reſpecta, ubi murum aſcendit unde iam uideri ab omnibus poterat, ſua audacia ibi conſtitit, contractusq; dolore plagarũ cũ ariete decidit. Poſt hunc fortiſſimi extiterũt duo fratres Nethiras & Philippus de uico Rom Galilææ. Qui cum ſuper milites decimæ legionis proſiliſſent, tanto impetu uiq; tranſgreſſi ſunt, ut & aciem Romanorum perrumperent, quiq; aduerſum icrãt, omnes in fugam uerterent. Præter hos Ioſephus quoq;, & cætera multitudo, raptis ignibus machinas & refugia, cũ operibus quintæ itemq; decimæ, & eius quæ terga dederat legionis, incendunt. Cæteri aũt qui mox cõſecuti ſunt, & inſtrumẽta & omne genus materiæ obruẽre. Rurſus aũt Romani poſt meridiem, erectũ arietem ad eam muri partẽ, quæ pridẽ quaſſata fuerat, appulere: ibiq; defenſorum eius quidam, Veſpaſiani plantam ſagitta percuſſam leuiter uulnerat, quia uis teli ſpatio defeciſſet. Maximam tunc id Romanis perturbationem fecit. His enim, qui propè aderant, uiſo ſanguine perterritis, per omnẽ fama cucurrit exercitum: relictaq; obſidione, plericq; cum ſtupore atq; formidine ad ducem belli

Machinæ Romanorũ incenſæ.

Veſpaſianus in planta uulneratur.

concurre

concurrebant,& ante omnes Titus aderat,metuẽs patri. Vnde contigit ut & benuolentia circa rectorem,& filij trepidatio confunderet multitudinem. Facile tamen pater & timore filium, & perturbatione liberauit exercitum. Superato enim dolore uulneris,& ab omnibus qui sui causa pertimuerunt conspici studẽs, bellum in Iudæos sæuius incitauit. Nam uelut ultor ducis,quisq; imperatoris omne periculum adire cupiebat:& clamore alius alium adhortantes,murum petebant. Iosephus autẽ cum suis socijs,licet assiduis balistarum itemq; tormentorũ ictibus caderent,nequaquam tamen deterrebantur à muro:sed flammis & ferro & saxis eos oppetiere,qui arietem protecti palmis impellerent. Nihil autem aut parum proficiebant,cum sine intermissione procumberent in conspectu hostium positi,quos ipsi contra uidere nõ possent. Nam & suis ignibus collucẽtes, tanquam si dies esset,& certum erat hostibus signum quò tela dirigerent:machinisq; procul non apparentibus, missilia cauere non poterant. Ergo propterea non tam balistarum quàm iaculorum ui, simul multi transfigebantur: missaq; machinis saxa & murorum minas auferebant, & frangebant angulos turrium. Virorum autem nulli tam fortiter constipati erant, ut non usq; ad extremam aciem saxi magnitudine ac uiolentia sternerentur. Sciet autem aliquis,huius machinæ uis quantum ualeat,ex his quæ illa nocte contigerant in muro cuidam ex circunstantibus: Iosippo saxo percusso caput auulsum est, eiusq; ad tertium stadiũ ueluti funda excussa caluaria. Interdiu quoq; prægnãtis fœminæ trãsiecto utero, ad dimidium stadium infans abactus est:tanta tormento uis fuit. Ergo machinis terribilior erat impetus & missilium strepitus. Crebri autem mortui, cum per muros deijcerẽtur,sonabant, & acerbissimus quidem intus excitabatur mulierum clamor:extrinsecus autem occumbentium gemitus concrepabant:totusq; ambitus muri,ad quem pugnabatur,sanguine confluebat, iamq; ascendi poterat congestione cadauerum. Montibus autem resonantibus, multo amplius horroris ex clamoribus ascendebat: nec quicquam illi nocti defuit, quod uel auribus uel oculis terrorem posset incutere. Plurimi quidem pro Iotapata decertantes, fortiter ceciderunt, plurimi etiam sauciati,& tamen *ui circa matutinas uigilias, murus assiduis machinarum ictibus cessit. Tumq; illi quidem corporibus atque armis septi,eam partem quæ deiecta fuerat, priusquã Romani pontes apponerẽt,munierunt. *Alias uiij

De iterata impugnatione Iotapatenorum. Caput x.

MAne autem Vespasianus ad occupandam ciuitatem iam ducebat exercitum, ex nocturno labore paululum recreatum. Idemq; cupiens de cõuulsa muri parte, alios propugnatores adducere, equitum quidem fortissimos equis dispositis trifariam collocat, ut tecti armis dirutum latus undique obsiderent, cunctosq; præ manibus ferrent: quod si pontes admoueri cœpissent,ipsi priores introirent. Post illos autem pedites ualidissimos ordinauit. Reliquam uero equitum multitudinem secundum muri spatium per montana loca distendit, ne quis fugiens excidium ciuitatis lateret. Deinde qui hos sequerentur constituit sagittarios, paratas sagittas habere iussos:fundibularios quoq; similiter, & appositos machinis. Alijs autem integris muri partibus scalas applicare

præcepit: ut qui hos prohibere tentaſſent, deiectæ partis defenſionem relinquerẽt: cæteriq; omnibus ſimul telis oppreſſi, uiolentia irrumpentiũ cederent. Ioſephus autem hoc cõſilio cognito, per murum quidem integrũ labore fatigatos itemq; ſenes diſpoſuit, quaſi lædi non poſſent. In parte uero collapſa ualidum & potentiſſimũ quenq;, ſenosq; ante omnes uiros, in quibus & ipſe fuit, ad pericula ſubeunda ſortitus eſt, hisq; præcepit, ut agminum ululatibus ne metu quaterentur, aures obſtruerent: contra ſagittarum uero multitudinem cõmuniti protegerẽtur deſuper ſcutis: paulatimq; recederent, donec ſagittarij pharetras exinanirent. Si uero pontes à Romanis apponerentur, ipſos proſilire mandauit: atq; hoſtibus perſuaſit per ſua inſtrumenta reſiſtere: unumquenq; uero ita certare debere, non quaſi conſeruandam tueretur, ſed quaſi perditam iam patriam uindicaret: atq; oculis ſuis proponere mactari ſenes ac liberos, coniugesq; ſuas propemodum ab hoſtibus capi: uimq; futuræ dadis iam nunc collectam in autores eius effundere. ita quidem in utroq; diſpoſuit. Ciuitatis autem uulgus otioſum, mulieres ac pueri, poſtquam oppidum triplici acie uidere circundatum, (nullus enim ad pugnã tranſlatus fuerat à cuſtodijs) ſtrictisq; gladijs ad partem muri deiectam hoſtes inſtare, armisq; mõtana loca omnia deſuper collucere, atq; Arabũ quendam ſagittarijs tela ſuggerere, tunc extremo ululatu quaſi capta urbe conſonuerunt, nõ ut impendere mala, ſed ut adeſſe iã crederes. Quare Ioſephus mulieres, ne miſericordia ſuorum animos effœminarent, intra domos cum interminatione concludit, ſilere iuſſas, ipſe uero ad partem muri quæ ſibi obtigerat trãſiuit, & & pontes quidem applicantibus animum non intendit, ſed tantum ſpeculabatur impetum ſagittarum. Simul autem ac tubicines uniuerſorum agminum cõgregati ſunt, & grauiter infremuit exercitus: ſignoq; dato, miſſis undiq; ſagittis lux obſcurati cœpit: Ioſephi ſocij memores præceptorum, & aduerſus damorem obſtructis auribus, & contra ſagittarum uulnera corporibus communitis, cum admouerentur pontium machinæ, ipſi eas curſu, & antequam hoſtes pedẽ in his ponerent, occupant: eosq; aſcendere nitentes prælio deterrebant: uaria manuum itemq; animi facinora demonſtrantes, & ne uel in extremis calamitatibus deteriores illis uiderentur, qui ſine periculo fortes contra ſe eſſe curabant. Nec prius à Romanis diuellebantur, quàm uel caderent uel occiderent. Qui Romanis deſilientibus conflictu iã liberi, facilime tela dirigebant. Itaq; Iudæis perpetuò dimicantibus, cum nec unde mutarent propugnatores haberent, deſeſſis autem Romanorum aſſidue ſubſtituerẽtur: prõq; his quos uiolentia repuliſſent, alij ſuccederent: inuicem ſe adhortati latera copulant: protectiq; deſuper longioribus ſcutis, inexpugnabilis globus effecti ſunt: totáq; acie uelut uno corpore repellendo Iudæos, in muro iam pedem ponebant. Tum Ioſephus, his rerum anguſtijs conſilio neceſſitatis adhibito, machinis excogitãdis cum deſperatione ſtimulatur: feruenti oleo perfundi milites iubet, ſcutorum coniunctione defenſos. Id autem Iudæi multi, qui & paratum haberent, & plurimum, cito Romanis infundunt: ipſis etiam in eos ahenis miſſis calore bullientibus. Hæc res Romanorum ardentium aciem diſſipauit, & cum dolore fœuiſſimo deuoluebãtur à muro. Siquidem facile à uertice ad pedes uſq; ſub armatura oleũ per totum

Aſtutiſſimũ Ioſephi consilium.

Romani oleo feruenti perfundun tur.

totũ corpus fluebat,carnemq; non secus ac flamma depascebatur: quod natura facile calesceret,ferocq; pro sui pinguedine refrigesceret. Thoracibus autem & galeis illigatis incendij fuga non erat. Nũc autem salientes,nunc incuruati dolore, de pontibus decidebant. Ad suos autem tutò recedere contranitentes non poterant,quoniam facile ab insequentibus capiebantur. Sed neq; Romanis uirtus in rebus aduersis,nec Iudæis prudentia defuit. Romani enim licet oleo perfusi,mirabilia pati uiderentur: tamen in eos qui perfuderant ferebantur, præcedentem quisq; incursando,tanquam ipse impetum retardaret. Iudæi uero progressum eorum dolo altero deceperunt,cum fœno græco decocto pontium tabulata perfunderent,quibus illi dilabentes retrahebantur,ut neq; fugientium quisq;, neq; aggredientium firmo posset eniti uestigio:sed alij quidem resupinati per ipsas pontium tabulas calcarentur,multi uero super aggeres deijcerentur:& qui cecidissent,à Iudæis feriebantur:qui Romanis desilientibus conflictu iam liberi,facillime tela dirigebant. Cum autem multa milites mala in hoc perpeti prælio dux uideret,post meridianas eos horas à pugna reuocat:quorum non paucis obtrũcatis,plures sunt uulnerati. Ex Iotapata uero sex uiris mortuis,plures quàm trecẽti saucij translati sunt. Hoc autem modo pugnatum est Iunij mensis die uigesimo. At Vespasianus,eorum causa quæ acciderant,consolatus exercitum,postq; ira uidet accẽsum,neq; tam exhortationem quàm opus deposcere,aggeres quidem altius tollit. Tres uero turres quinquagenum pedum in excelsum iubet erigi,ferro undiq; tectas,& ut pondere stabiles essent,neq; ignibus expugnarẽtur, easq; super aggeres collocat,iaculatoribus & sagittarijs,itemq; leuioribus missilium machinis plenas,fundibulariorum quoq; fortissimis. Qui cum non conspicerentur propter altitudinem turrium & loricas,ipsiq; eos qui super murũ astarent facillime cernerent,telisq; appeterent:cum illi neq; à uertice uenientes sagittas facile declinarent,neq; ulcisci possent,quos non uiderent:altitudine quidẽ turrium,librata manu iacula superante:ferro autem,quo erant septæ,flammis obstante. Ob hæc igitur defensionem muri deserunt,magisq; aggredi tentantibus occurrebant. Et Iotapateni quidem ita resistebant,quamuis multi in dies singulos occumberent, neq; contrà mali quicquam hostibus facerent, quod eos sine periculo prohibere non poterãt.

Aphacæ expugnatio à Traiano & Tito. Caput XI.

His autem diebus,Vespasianus ad finitimam quandam Iotapatæ ciuitatẽ euocatus,cui nomen est Aphaca,nouas res affectantẽ,& propterea,quod Iotapatenos præter spem restitisse audierat, insolescentem, mittit eò Traianum decimæ legionis rectorem, dans ei duo milia peditum & equites mille. Ille autem cum oppidum contra expugnationem munitissimã reperisset(nam præter naturam qua tutum erat, etiam muro duplici cingebatur) habitatores uero eius uidisset paratos ad pugnam sibi obuios processisse,prælium cum his committit: cosq; paulisper reluctatos,in fugam uertit: quos uestigijs consecuti Romani,exterioris muri ambitum quò confugerant, cum ipsis irrumpunt. Secundum autem murum petentibus,ciues sui clausere ciuitatem, metu scilicet,ne cum his rursus hostes intrarent. Profecto autem deus Galilæorum clades Romanis

manis donabat,qui etiam tũc ciuitatis eius uniuerſum populum excluſum mœnibus proprijs,ad interitum hoſtibus dedit auidiſſimis cædium. Multi enim ſimul ruentes ad portas,multumq; nominatim præpoſitos indamãtes,inter ipſas preces immoriebantur,quibus hoſtes unum murum,alterum ciues clauſerãt, & inter medios coacti murorum ambitus,multi quidem ſociorũ ſuis gladijs tranſfigebantur,infiniti uero à Romanis interficiebantur,nec uel ad ulciſcendum quidem recepta fiducia. Nam præter hoſtilem metũ,etiam domeſtica proditio eorum animos fregerat. Denicq; moriebantur,non Romanos,ſed Iudæos execrando,quoad omnes interiere numero hominũ duodecim milia. Vnde Traianus uacuam eſſe ciuitatem pugnatoribus reputans,& ſi qui adhuc intus eſſent, nihil eos auſuros eſſe exiſtimans præ timore,imperatori excidium reſeruauit. Miſſisq; nuncijs ad Veſpaſianum,petijt ut filium ſuum Titum dirigeret, finem uictoriæ impoſiturum:ille autem laboris aliquid ſupereſſe ratus, cum milite filiũ miſit,hoc eſt,quingẽtis equitibus & peditibus mille. Qui mature ad ciuitatẽ profectus ſic ordinauit exercitũ,ut in leuo quidem latere Traianum cõſtitueret, ipſe uero in dextro obſidioni præeſſet. Itaq; militibus ſcalas muris undiq; applicantibus,cum pauliſper deſuper Galilæi obſtitiſſent,continuo mœnia reliquerũt. Titus uero ciusq; comites ſaltu demiſſi,mature ciuitatem obtinuere. Tumq; uehemens cum his,qui ſe intus congregauere,pugna commiſſa eſt:nunc per anguſta uiarum irruentibus ualidiſſimis,nunc fœminis ex tectorum culminibus,quæ forte inueniſſent,tela iactantibus. Et hoc quidem modo uſq; ad ſextam horam ſuſtinuerẽ conflictum. Abſumptis autem bellatoribus,cætera multitudo,& ſub diuo,& per domos,ſenes pariter ac iuuenes mactabãtur. Denicq; uirilis ſexus præter infantes nullus remanſit, qui cum mulieribus abducti ſunt ſeruitio. Interemptorum quidem in ciuitate,& in primo congreſſu,numerus fuit quindecim milia:captiuorum autem duo milia.c.xxx. Hæc Galæis clades contigit quinto & uigeſimo die Iunij menſis.

De Samaritis à Cereale deuictis. Caput XII.

SEd nec Samaritæ quidem alieni à calamitatibus remanſere: Hi nãq; in monte Garizin,qui eſt illis ſanctiſſimus,cõgregati,locis ſuis expectabãt: belli aũt minas eorum cõuentus ac ſpiritus habere uidebatur: Nec ſaltem uicinorum malis corrigebantur,ſed incõſulta ſuarũ uirium infirmitate,ſecũdis Romanorũ rebus exterriti,prona in tumultũ uoluntate pendebant. Veſpaſiano autem placebat motus antecapere,eorumq; impetus præuenire. Nam & ſi præſidijs tota Samaritica regio cincta erat, tamẽ eorum multitudo qui coierant.& conſpiratio timebatur. Eaq; cauſa Cercalẽ quintæ legionis rectorem, cum ſexcẽtis equitibus tribusq; peditum milibus mittit. Ille aũt ad montem quidẽ accedere, prælioq; cõgredi nequaq; tutũ eſſe duxit,quod hoſtes plurimi deſuper eſſent: milites uero circũuallatis undiq; montis radicibus,tota eos die cuſtodiebãt. Euenit aũt aquæ tunc indigentibus Samaritis,etiã graues accendi æſtus,(erat enim tẽpus æſtatis)neq; ſe rebus neceſſarijs uulgus inſtruxerat, adeo ut nõnulli quidẽ una die ſiti morerentur,multi uero eiuſmodi morti ſeruitium præferentes,ad Romanos tranſfugerent: ex quibus cognito, Cerealis,illos etiam qui adhuc perſeuerarent,

malis

malis infractos aſſumens,mõtem aſcendit,& circum hoſtes exercitu conſtituto, primum eos à dextera parte hortabatur,atq; ut ſalui eſſe mallent rogabat:ſi arma proiecíſſent,tutos fore promittens.Deniq; quia perſuadere non poſſet, aggreſſus eos occidit omnes.Erant autem undecim milia & ſexcenti.Hæc Iunij mẽſis uigeſimo & ſeptimo die geſta ſunt: atq; his calamitatibus Samaritæ uſi ſunt.

Iotapatæ excidium. Caput XIII.

IOtapatenis aũt diu durãtibus,& præter ſpem aduerſa tolerãtibus, quadrageſimo quidẽ ac ſeptimo die, Romanorum aggeres ſuper murorum altitudinẽ ſunt elati.Quidam uero ad Veſpaſianum eodem die profugus uenit, paucitatem ciuium & infirmitatem ſimul eorum enũcians:quodq; diuturnis uigilijs,& prælijs aſſiduis conſumpti,minime quidem ulterius uim ferre poſſent,uerum do lo etiam caperentur,ſi quis inſtaret.Circa extremam nanq; uigiliam,quando & malorum requiem habere uiderentur,& maxime defatigatos cuſtodes matutinus ſomnus occupat,dormire eos dicebat,eademq; hora inuadendos eſſe ſuadebat.Veſpaſiano autem,quia fidem noſſet inter ſe Iudæorum,quãtaq; ſuperbia pœnas contemnerent,tranſfuga ſuſpectus erat:Nam & antea quidam ex Iotapata captus,omne tormentorum genus fortiter pertulit,& cum ne flãmis quidem coactus,quid intus ageretur,hoſtibus exquirentibus prodidiſſet, mortem deridens cruci ſuffixus eſt. Fidere tunc proditori coniectura faciebat, & fortaſſe quidem illum uera dicere:ipſe autem nihil ex eius fallacia magnum ſibi exiſtimans eſſe metuendum,aſſeruari hominem iuſſit,& ad occupandam ciuitatem parabat exercitum.Hora igitur quæ fuerat indicata,otioſe ibat ad muros: primusq; incedebat Titus cũ uno ex Chiliarchis Domitio Sabino,paucis ex quintadecima legione comitatus.Interfectis autem uigilibus,in ciuitatem ingrediuntur,& poſt eos Sextus quidam Caluarus Chiliarchus,& Placidus,ſubiectos ſibi milites introducebant.Arce uero occupata,cum hoſtes in medio oppido uerſarentur,iamq; plane dies eſſet,nec tunc quidem illi qui capti tenerẽtur,adhuc excidium ſentiebant,multo labore ſomnoq; pariter diſſoluti.Et ſi quis euigilaſſet, nebula uiſus eius hebetauit,quæ caſu tunc plurima ſe circa oppidum fuderat,donec totus irrupit exercitus:ſoloq; malorum periculo exuſcitati ſunt,morientesq; demũ ſe perijſſe crediderũt.Romanos aũt memores quid obſidionis tẽpore pertuliſſent,neq; parcẽdi cuiq;,neq; miſerẽdi quenq; tangebat cura.Sed ex arce plebẽ ad prona cõpulſam facilime trucidabant, ubi loci difficultas pugnacibus negaret copiam reſiſtendi.Viarũ nanq; anguſtijs preſſi, ac per decliuia dilabẽtes, fluẽte deſuper bello obtegebantur. Id multos etiam qui circa Ioſephum lecti erant,ut manibus propriis liberarẽtur incitauit.Nam cum ſe uiderent Romanorum neminem poſſe occidere,ne Romanorum manibus oppeterent præuenerunt,& in extrema parte ciuitatis congregati,ſemet interfecerunt. Quicunq; tamẽ uigilũ primi captã ciuitatem ſenſerant, in quandam turrim ſeptentrionalem fuga recepti,aliquandiu quidem reſtiterunt.Deinde circunclusi hoſtium multitudine,ſero dextras dedere:hiſq; inſtãtibus,mortẽ ſuã æquo animo præbuerũt. Potuiſſent aũt incruento Romani obſidionis fine gloriari, niſi unus ex ipſis occidiſſet hecatontarchus Antonius,peremptus inſidijs.Nam quidã ex his quĩ ad

Titus clam hoſtibus oppidum capit

ſpeluncas

ſpeluncas confugerant(erant autem plurimi)rogabat Antonium, dextram ſibi porrigere,ad fidem ſalutis ac præſidiū,quo tutus aſcenderet. Cumq; is manum porrexiſſet incaute ſuper haſta,ille præuentū ſub inguine perculit,ſtatimq; confecit. Illo die quidem immaniſſimam multitudinem peremere Romani. Poſtea uero ſecutis diebus ſcrutando latebras,per cuniculos & ſpeluncas omnem ulciſcebātur ætatem,præter infantes ac fœminas. Itaq; captiui quidem mille ducenti congregati erant:quadraginta uero milia connumerata ſunt excidij tempore,pugnisq; ſuperioribus,mortuorum. At Veſpaſianus ciuitatem ipſam excindi iubet,caſtellaq; eius omnia adhuc exurit. Iotapata quidem ita deuicta eſt tertiodecimo imperij Neronis anno,calendarum Iuliarum die.

Quomodo Ioſephus captus uitam ſuam redemerit facto & uerbis. Caput XIIII.

ROmani uero Ioſephum requirētes,& propriæ indignationis cauſa,& quod imperatori operæprecium uidebatur,(captus enim,maxima pars belli eſſet) mortuos itemq; abditos rimabantur:ille autem in exilio ciuitatis fortunæ quodam uſus auxilio,per medios ſe hoſtes ſurripuit,& in quendam profundum puteum ſaltu demiſſus eſt,cui amplum ſpecus adiūctum erat à latere,quod ſuprà ſcrutantes uidere non poſſent:ubi quadraginta quidem inſignes uiros latitātes offendit,rerumq; utilium apparatum, qui non paucis diebus ſufficeret. Hoſtibus autem omnia complexis,interdiu quidem ſe occultauit: nocte uero ſurſum aſcendēs,uigilias explorabat, ut fugeret. Cumq; omnia undiq; ipſius cauſa maxime cuſtodirentur,neq; fallendi ſpes eſſet,in ſpeluncam iterum deſcendebat:ibi duumq; ibi delituit. Tertia uero die,capta quadam muliere, quæ cum ipſis fuerat,indicatus eſt. Tumq; Veſpaſianus propere duos chiliarchos, Paulinum & Gallicanum, iuſſos pacem dare Ioſepho, & hortari eum ut aſcenderet, mittit. Quibus tamen ille rogantibus,poſtquam ad eum uenerunt, fidemq; pro ſalute dantibus minime paruit. Ex his autem magis quæ pati meritus eſſet,qui plurima commiſiſſet,quàm ex naturali manſuetudine rogantium,ſuſpicionem colligens,uelut ad pœnam euocaretur,timebat:donec Veſpaſianus tertium quoq; chiliarchum Nicanorem,Ioſepho notum,atq; olim conſuetum direxit. Is autē, quàm dulce in eos Romanorum eſſet ingenium, quos ſemel ſubiugaſſent, referens:quodq; ipſe Ioſephus uirtutis cauſa magis admirabilis,quàm inuiſus dubus haberetur: eſſetq; imperatori ſtudium non eum ad ſupplicium ducere, quod etiam ſine deditione ſibi liceret exigere,ſed conſeruare potius uirum fortem. His addebat,quod nec Veſpaſianus, ſi quid dolo moliretur, amicum ad id mitteret, ut in re optima, peſſimam, hoc eſt perfidiam, prætexeret amicitia: neq; ſemetipſum illi, ut amicum falleret, obtemperaturum fuiſſe. Verum Ioſepho etiam poſt Nicanoris dicta hæſitante, milites quidem irati, ſpelūcæ ignē ſubmittere properabant. Sed retinebat eos belli ductor, uiuum Ioſephum capere plurimi pendens. Nicanore autem uehementer inſtante,ubi etiam hoſtilis multitudinis minas comperit Ioſephus,nocturna ſomnia reminiſcitur: quibus ei deus & futuras Iudæorum clades, & quæ Romanis eſſent euentura principibus, oſtendit. Erat aūt interpretandis quoq; ſomnijs idoneus, & cōiectare

quæ

quæ ambigue diuinitus dicerentur, sciebat: qui & sacros prophetarum libros nouerat, quod & ipse sacerdos esset, & parentibus sacerdotibus procreatus. Illa igitur hora quasi deo plenus, & recentium somniorum, quæ horrenda uiderat, simulacra mente complexus, occultas preces deo offert. Et quia Iudæorum, inquit, labefactari tibi rem creator placuit, fortuna uero ad Romanos tota migrauit, animamq; meam, quæ futura prædiceret, elegisti, do quidem manus sponte Romanis, & uiuo. Testor autẽ, quod non proditor, sed tuus minister ad eos ibo. Simúlque his dictis, Nicanori consentiebat. Verum qui unà confugerant Iudæorum, postquam intellexerunt Iosephum rogantibus cedere, uniuersi circunstantes clamabant, certe plurimum ingemiscere leges patriæ. Vbi sunt, quæ Iudæis deus annuit, quibus mortem contemnentes animas indidit? Vita Iosephe captus es, lucémq; pateris intueri seruientẽ, quàm cito tui oblitus es? quàm multos pro libertate mori persuasisti? falsam profecto opinionem fortitudinis habebas, falsámque prudentiæ, si salutem apud eos speras, cum quibus ita dimicasti: aut si hæc etiam certa sunt, ab illis tamen te seruari cupis. Sed quamuis te Romanorum fortuna tui obliuione perfuderit, & nos tamen patriæ gloriæ cõsulentes, & dexteram tibi & gladium commodabimus. Tu uero si quidem sponte, moriare dux Iudæorum: si uero inuitus, proditor morieris. Vix hæc elocuti sunt, & intentatis ei gladiis, occidendum illum comminabantur, si Romanis pareret. Timens igitur impetum Iosephus: & se dei præceptorum proditorem esse ratus, si ea non enunciasset morte præuentus, argumẽtis eos philosophiæ necessario tractare incipit. Et quid enim tantopere, inquit, ò socij propriæ cædis auidi sumus? aut cur amicissimas inter se res, corpus & animam, in dissensionem uocamus? mutatum me esse quispiam dicet? Sed Romani hoc sciunt, optimũ esse in bello mori: sed lege belli hoc est, à uictoribus trucidari. Proinde si quidem Romanorum ferrum deprecor, uere meo gladio meáq; manu sim dignus. Sin illi hosti suo parcendũ putant, quanto iustius nosipsi nobis pepercimus? Quippe stolidum est ea circa nos admittere, pro quibus ab illis dissensimus. Pulchrum enim esse pro libertate mori, & ipse fateor, pugnando tamen, & illorum manibus qui eam præripuere: nunc autem neq; prælio nobis obstant, neq; nos interficiũt. Itidem autem timidus est habendus, qui mori non uult cum opus est, & qui uult cum non oportet. Præterea quis nos metus prohibet ad Romanos ascendere? nempe mortis. Ergo eam quæ ab hostibus dubie suspecta formidini est, eam certam ipsi nobis irrogabimus? Verum seruitutem dicet aliquis: Valde quidem nunc liberi sumus. At uiri fortis est semet occidere: Imò uero ignauissimi quantum opinor. Nam & gubernatorem timidissimum puto, qui tempestatem metuens, ante uim turbinis nauem sponte submergit. Quinetiam propria manu perire, à communi omnium animaliũ natura discrepat, eoq; modo in creatorem nostrum deum summum scelus admitti tur. Nullum est animal, quod ex industria uel per se moriatur. Siquidem naturæ lex ualidissima, ut uelint uiuere, in omnibus sita est: idcirco & qui nobis adimendum id putant, hostes ducimus, & quos nos insidiatores putamus pœna persequimur. Deum uero indigne ferre non arbitramini, cum donum eius homo despiciat? Ab illo enim accepimus ut essemus: rursumq; ut esse desineremus, illi

Iosephus tradit se manibus Nicanoris.

reddendum eſt. Corpora quidem cunctis mortalia ſunt, ex caduca materia fabri cata: anima uero ſemper immortalis eſt: deiq; particula in corporibus collocata. Si quis ergo depoſitū hominis ſurripuerit aut male tractauerit, peſſimus ſtatim ac perfidioſus habetur. Si dei depoſitum ex proprio corpore quis eiecerit, eum ſe latuiſſe quem læſerit æſtimabit? Et ſeruos quidem fugientes ulciſci, iuſtum creditur, quamuis nequam dominos fugerint: ipſi uero deum fugientes, & optimum deum, impie facere non uidebimur? An ignoratis quod eorum qui lege naturæ uita exeunt, acceptúmq; deo debitum ſoluunt, cum id qui dedit recuperare uoluerit, perpetua laus domúsq; ac familia ſtabiles ſunt? puræ autem & quæ inuocantes exaudiantur animæ, retinent locum in cœlo adeptæ ſanctiſſimum: atq; inde rurſum, uoluentibus ſeculis, caſta corpora iubentur incolere. Quorum uero manus in ſe ipſos inſanierunt, eorū animas tenebroſior Orcus ſuſcipiet. Pater autē illorū deus autores iniuriæ per nepotes ulciſcitur. Hinc & deo inuiſum eſt, & à ſapientiſſimo legis noſtræ cōditore coërcetur. Deniq; ſi qui ſe occiderint, apud nos quidem uſq; ad ſolis occaſum inſepultos abijci decretum eſt, cum etiam hoſtes ſe peliri fas eſſe ducamus, apud alios autem & dextræ iubentur abſcindi eiuſmodi mortuorum, quæ in ipſos armatæ ſunt: quoniam ut corpus ab anima, ita manū eſſe à corpore alienam exiſtimarent. Pulchrum eſt igitur, ò ſocij, iuſta ſentire: neque humanis cladibus addere, ut creatorem omnium impietate lædamus: ſi ſalui eſſe uolumus, ſalui ſimus. Nec enim ſalus apud eos ignobilis eſt, quibus tantis uirtutē operibus demonſtrauimus. Sin mori placet, ab his occidi perpulchrū eſt qui nos ceperint. Non migrabo ego in hoſtium locū, ut ipſe mei proditor fiam. Multo enim ſtolidior ſim, quàm qui ad hoſtes ultro profugiunt. Siquidem illi ſalutis ſui cauſa id faciunt: ego uero interitus, & quidem mei: Romanorum tamen inſidias uotis expeto. Nam ſi me hi poſt iunctas dextras perimant, magno animo paratóq; moriar, mendacij perfidiam pro uictoriæ ſolatio mecū auferens. Multa quidem in hunc modum Ioſephus, ut à cæde propria ſocios dehortaretur, dicebat. Illi autem obſtructis auribus deſperatione, qua ſe iamdudum morti deuouerant, concitantur: & alij aliunde cum gladijs accurrentes, ignauiam exprobrabant: & quaſi eum mox percuſſurus, quiſq; adoriebatur. Ille autem cum aliū nominatim uocaret, alium uultu ducis intueretur, alterius dexteram prehenderet, alium precibus exoraret, uaria mentis affectione (ut in tali neceſſitate potuit) diſtractus, ferrum omnium à cæde ſua prohibebat, non ſecus ut feræ beſtiæ circumduſæ, ad eum ſemper qui ſe contingeret, ora conuertens. Illorum autem, qui ducem in extrema quoq; clade reuerendum putabant, debilitabantur dextræ, gladijſq; de manibus elabebantur: multi cum ſponte manus ei afferrent, frameas demittebant: Ioſepho autem nō defuit in deſperatione conſiliū, ſed fretus dei prouidentia, ſalutem in periculum mittit. Et quoniam mori decretum eſt, inquit, agite, cædes mutuas ſortiamur: & cui obtigerit, manu ſequentis occumbat, atque ita omniū fortuna perambulet, neq; ſua dextera quiſq; ſubiaceat. Iniuſtū eſt enim cæteris interemptis, ex alijs quenquam, ſi pœnituerit, ſaluum eſſe. Viſus eſt uera dicere, & quod perſuaſit agitur: ſors cuiq; obtigit, paratam ei, qui ſequeretur, necem ſuam præbebat, quaſi mox etiam duce perituro. Cum Ioſepho enim perire

uita

uita dulcius æstimabant. Remansit autem ipse cum altero, siue fortuna dici poterat, siue dei prouidentia. Consultóq; prospiciens, ne uel sorte grauaretur, uel si nouissimus recessisset, gentilis cæde pollueretur: illi quidem, fide interposita, ut uiueret, persuasit: Ille quidem hoc modo & Romanorum & domestico bello liberatus, ad Vespasianum per Nicanorem ducebatur. Omnes autem Romani uisendi eius gratia occurrebant: & cum se circa ducem premeret multitudo, uarius tumultus erat: his exultantibus, quod captus esset, alijs minitantibus, nõnullis autẽ propius eum uidere certantibus. Et qui longius quidem aberant, hostem interficiendum esse clamabant. Qui uero propius erant, facta eius reputantes, mutatione stupescebant. Rectorũ autem nemo fuit, qui licet ante iratus ceteretur nomini eius, uiri aspectu non mitior factus sit. Titum uero præter alios & fortis Iosephi animus in calamitatibus, & ætatis eius misericordia capiebat: qualisq; pridem fuisset in prælijs reminiscentem, & qualis nunc sic in hostium manibus positus intuentem: iubebat intelligere, quanta esset fortunæ potentia, quamq; uelox belli momentum: humanarum autem rerum nihil firmum atq; perpetuũ: quàm multos etiam tunc ita ut sentiebat ipse, ut Iosephum miserarentur, effecit: plurimáq; salutis eius pars Titus extitit apud patrem. Vespasianus tamen, quasi missurus eum Cæsari, ut cautissime custodiretur præcepit. Quo audito, Iosephus aliquid ei soli se dicere uelle ait. Summotisq; ab illo omnibus alijs præter filium Titum, ac duos amicos: Tu quidem, inquit, Vespasiane, tantum hoc putas, Iosephũ te habere captiuum: ego autem maiorum ad te nuncius uenio, præmissus à deo, ut Iudæorum regem uiderem, & quemadmodum duces exercituum mori deceret, ad Neronem me mittis. Quid ita? quasi qui Neroni usq; ad te successuri sint, maneant. Tu & Cæsar Vespasiane & imperator, atq; hic filius tuus nunc: me autem colligatum arctius tibi asseruato: nam dominus quidem non mei solus es tu Cæsar, uerum etiam terræ marisq;, ac totius hominum generis. Me autem ad maiorem pœnam custoditi oportet, si ex tempore aut subito in dominum ista confingo. His dictis Vespasianus statim quidem fidem non habere uidebatur, eáq; Iosephum existimabat salutis gratia comminisci. Paulatim uero ad credendum impellebatur, iampridem illũ excitante ad imperiũ deo, sceptráq; multis prænostrante alijs portentis. Sed & in alijs ueracem esse Iosephum deprehenderat. Altero nanq; amicorum qui secretis intererant, admirari dicente, quemadmodum (nisi hæc deliramenta sint) neq; Iotapatenis de excidio, neq; sibi de captiuitate quicquam diuinasset, ut à se iram depelleret. Iosephus Iotapatenis ait, se prædixisse, quod post diem septimum & quadragesimum eos maneret exitium, quodq; ipsum Romani uiuũ essent in custodia retenturi. Hæc in secreto quæsita, Vespasianus ubi uera esse comperit à captiuis, etiam quæ de se dixisset credibilia cœperat existimare: sed neq; custodiam Iosepho nec uincula remittebat: uestimentis autem alijsq; muneribus eum donare benignissimeq; fouere non desinebat, etiam Tito magnam honori eius operam commodante. Quarto autem die mensis Iulij Vespasianus in Ptolemaida reuersus, inde in loca maritima Cæsaream peruenit, Iudææ maximam ciuitatem, & quæ maiorem incolarum partem Græcos haberet. Igitur & exercitum & rectorem indigenæ omni fauore ac benigni-

Iosephi præsagium.

Item aliud.

Cæsariensium odium in Iosephum.

tate ſuſcipiunt, affectu quidem quo Romanos diligerent, plus autem illorum qui exciſi fuerant odio: unde etiam multi quidem, ſimul ut de Ioſepho ſuppli cium ſumeret, cum clamore præcabantur. Veſpaſianus autem de iſta quidem petitione, uelut ab inconſulta multitudine oblata, nihil reſpondendo diſſoluit. Legionum uero duas quidem hyematum apud Cæſaream poſuit, quod opportunam uideret eſſe ciuitatem. Decimam uero & quintam Scythopolim miſit, ne totius exercitus moleſtia Cæſaream præmeret. Erat autē illa quoq; aprica per hyemem, quantum æſtatis caloribus æſtuoſa, ut in planitie ſita atq; maritima.

Ioppe denuo capitur. Caput XV.

DVm hæc autem aguntur, collecta non exigua multitudo, quæ uel ab hoſtibus ſeditione defecerant, uel ex ciuitatibus euerſis effugerant, Ioppen ſibi receptaculo renouāt ſeditioſi, quam ante uaſtauerat Ceſtius. Et quia terra quam uaſtauerat arcebantur, migrandum in mare cenſuerunt: ac piraticis nauibus fabricatis, in Syriam & Phœnicen, itémq; in Aegyptum commeantes, plurimos latrocinijs prædabantur: omnibúsq; nauigijs inuium faciebant illarum partiū pelagus. Sed Veſpaſianus cognito quid conſtituiſſent, equites in Ioppen necnon & pedites mittit: hiq; nocte in ciuitatem, quod incuſtodita erat, ingreſſi ſunt. Eius autem habitatores, poſtquam irruptionem præſenſerant, ne tunc Romanos arcerent, metu deterriti, naues fuga petierunt: & in his, ultra contiguum ſagittæ ſpa
Ioppes ſitus. tium, pernoctauere. Cum uero Ioppe natura eſſet importuoſa (nanq; in aſperum: cæteráq; arduum littus deſinit, ac ſummis utrinq; cornibus leuiter incuruū. quæ uaſte ſuperſunt, & ingentibus procellis pelagus turbant: ubi etiam nunc Andromedæ catenarum ſignis extantibus, fabulæ ueteris fides oſtenditur. Aduerſus autem aquilo feriens littora, ſummos in obiectas cautes fluctus affligit, eo quod ſolitudinem in tutiorem efficit ſtationem) in eo ſalo fluctuantibus Ioppenis, prima luce uiolentus, quem illac nauigantes Melamborean uocant, flatus incumbit: & alias quidem naues inter ſe, alias uero colliſit in ſcopulos. Multæ autē cum magna ui aduerſo æſtu niterentur ad pelagus (nam & littus ſaxis infeſtum, & hoſtes in eo conſtitutos timebant) ſublatæ in ſublimi gurgite mergebantur. Et neq; fugæ uſpiam locus erat, neq; manentibus ſpes ſalutis: cum & mari uentorum, & ciuitate Romanorū uiolentia pellerentur. Itaq; multi ululatus colliſis nauibus audiebantur, & multi crepitus fractis: Ioppenorum autem fluctibus pars obruti, pars naufragijs implicati moriebantur. Nonnulli autē ferro ſe interficientes, ueluti ſatius eſſet mori, præueniebant: plurimi autem euecti fluctibus, ſcopulis carpebantur: ut & pelagus ſanguine redundaret, omniſq; ora maritima cadaueribus oppleretur: cum etiam ad littus appulſos, in eo ſtantes Romani milites trucidarent. Eiectorum autem corporum quatuor milia ducenta fuerunt. Ita captam nullo prælio ciuitatem Romani funditus eruunt. Ioppe quidem hoc modo breui tempore bis à Romanis exciſa eſt. Veſpaſianus autem, ne rurſus eò piratæ confluerent, caſtris in arce munitis, ibi cum peditibus paucis equitatum reliquit: ut hi quidem locis ſuis manentes, eadem caſtra defenderent: equites uero omne circum territoriū peragrantes ad fines Ioppes, uicos & municipia ſimul exi merent. Illi quidē præceptis obedientes, in dies ſingulos incurſando, excindebant

totas

totas regiones atque uaſtabant. Vbi uero Iotapatæ apud Hieroſolymam caſus nunciatus eſt, primo quidem plurimi & pro magnitudine calamitatis, & quod nemo qui ſe uidiſſe diceret quæ iactabantur aduenerat, non credebant. Nec enim uel nuncius aliquis ſuperfuerat: ſed ipſa per ſe fama excidium prædicabat. Vnde præmatura triſtium paulatim per finitimos ueritas ambulabat, & apud omnes ambiguitate certior habebat. Quinetiam rebus geſtis plura quæ facta nō erant affingebantur: & in excidio ciuitatis peremptus dicebatur eſſe Ioſephus. Quæ res maximo luctu repleuit Hieroſolymam. Et per ſingulas domos item q̄ cognationes, amiſſorum quiſq̄ lugebatur à ſuis. Luctus uero ducis publicus erat. Et hi quidem hoſpites, alíj propinquos, amicos alíj, nonnulli etiam fratres flebant, Ioſephum autem uniuerſi, adeo ut per dies triginta nunquam lamenta in ciuitate ceſſarent, magnáq̄ mercede cōducerentur tibicines næniarum. Tempore autem ueritate reuelata, ubi de Iotapata quidem ut res habebat, fictum uero quod de Ioſephi morte uulgabatur: eúmq̄ uiuere & cum Romanis eſſe, compertum eſt, ac ſupra captiui fortunam à ducibus honorari, tantam in eum uiuū iracundiam, quantam prius cum mortuum crederent beneuolentiam, conceperunt. Et ab alíjs quidem ignauiæ, apud alios proditionis arguebatur: totáq̄ in eum ciuitas plena erat indignatione, atq̄ conuicíjs. Vltro autem his uulneribus excitabantur, magiſ que accendebantur rebus aduerſis: & offenſio quæ prudentibus ne ſimilia perferant, cautionis & cuſtodiæ cauſam præbet, ad alias calamitates tanquam ſtimulus incitabat: & malorum quæ ſemper accipiebant ex fine principiū. Deniq̄ maiore in Romanos impetu ferebantur, uelut in Ioſephum pariter uindicaturi. Hieroſolymorum quidem habitatores eiuſcemodi turbis agitabantur.

Deditio Tiberiadis. Caput XVI.

VEſpaſianus autem ſtudio uiſendi regnum Agrippæ (nam & ipſe rex inuitabat, rectorem cum exercitu ſimul paratus accipere domeſticis diuitíjs, ac per eos ægras partes regni compeſcere) motis ex Cæſarea maritima caſtris, in eam quæ Philippi dicitur Cæſaream demigrauit: ibiq̄ per dies uiginti, milite recreato, ipſe quoq̄ rerum geſtarum gratias deo referens in epulis erat. Poſtquàm uero Tiberiada quidem nouas res cupere, ac rebellare Taricheas audiuit (ad regnum autem Agrippæ utraq̄ pertinebat) decreto apud ſe undiq̄ Iudæos excindere, opportunū eſſe credidit aduerſus eos exercitum ducere, ſimul ut Agrippæ hoſpitio uicem rependeret, poteſtati eius ciuitatibus creditis. Igitur filium ſuū Titum in Cæſaream, ut inde militem Scythopolim traduceret, mittit. Hæc autem ciuitas decem ciuitatum maxima, & Tiberiadi uicina eſt. Quò cum ipſe ueniſſet, ibi filium præſtolabatur. Deinde cum tribus ultrà legionibus progreſſus, ad trigeſimum à Tiberiade ſtadium, in quadam manſione conſpicua rebellantibus, cui nomen eſt Enabris, caſtra ponit, atq̄ hinc decadarchum Valerinum cum equitibus quinquaginta dirigit: qui pacifico ſermone oppidanos alloqueretur, & ad fidem inuitaret. Audierat enim, quod pacem populus deſideraret: à nonnullis autem ad bellū eum cogentibus, ſeditionem pateretur. Itaq̄ Valerinus ubi muro appropinquauit, & ipſe de equo deſilíjt, & ſuos comites idem facere iuſſit: ne laceſſendi prælíj cauſa, potius ueniſſe uideretur. Sed priuſquàm uerbum faceret, arma

ti excurrêre in eum ſeditioſi,qui erant ualidiores,rectore quodam, nomine Ieſu, Thobiæ filio,latrocinalis agminis principe. Valerinus autem,neq; præter mandata ducis prælio congredi tutum ratus,etiam ſi de uictoria certus eſſet: pugnámq; periculoſam eſſe,ſi cum multis pauci,& inſtructis imparati confligerent,inopinata præterea Iudæorum ſtupefactus audacia,& ipſe pedes refugit,& quinq; alijſi militer equis relictis:quos Ieſus eiúsq; ſocij,ueluti pugna non inſidijs captos,læti in oppidum adduxerunt. Id autem ueriti ſeniores, & qui præſtare populis uidebantur,in Romanorum caſtra profugiunt: adhibitóque ſibi rege,ad Veſpaſiani genuæ ſuppliciter accedunt, ne ſe deſpiceret obſecrantes:ueúe quæ paucorũ eſſet, totius eſſe ciuitatis inſaniam exiſtimaret:ſed populo parceret, qui ſemper amica Romanis ſentiret,magisq; ultum iret defectionis autores, à quibus ipſi olim ad fœdus uenire properantes,nunc uſq; ne id facerent aſſeruati fuiſſent. His eorum precibus,quanquam toti ciuitati propter equorum rapinam infenſus eſſet,indulſit. Nam & Agrippam uidebat eius oppidi cauſa trepidare. Fide autem per eos populo data,Ieſus eiúsq; ſocij,tutum ſibi non eſſe rati apud Tiberiada cõſiſtere, ad Taricheas confugiunt. Poſteróq; die Veſpaſianus in arcem præmittit cũ equitibus Traianũ,qui multitudinem,an omnes pacem cuperent,experiretur. Cognito autem populum eadem ſentire quæ ſupplices, ad ciuitatem ducebat exercitũ. Illi autem portis ei patefactis,cum laudationibus obuiam prodeunt, ſalutis datorem ac benemeritum acclamantes. Cum uero militem anguſti aditus remorarentur,murorum partem dirui Veſpaſianus ex meridiano latere iuſſit, eoq; pacto dilatauit ingreſſum: ut præda tamen & iniurijs abſtinerent, in gratiam regis edixit, ciuſdémque cauſa muris pepercit, ſpondentis habitatores eius poſt hæc cum reliquis fore concordes: aliſq; modis malis affectam ciuitatem ex diſſenſione recreauit.

Tiberiadis deditio.

Veſpaſianus à Tiberienſibus recipitur.

Taricheorum obſidio. Caput XVII.

Veſpaſianus mouet exercitum cõtra Taricheos.

DEinde ab ea digreſſus,inter ipſam & Taricheas caſtra poſuit,muroq; firmauit,belli ſibi moras illic fore proſpiciens: quod omnis turbarũ cupiens multitudo,ad Taricheas confluueret,munitione confiſa ciuitatis, & lacu qui Geneſar ab indigenis ſic appellabatur. Etenim ciuitatem ita ut Tiberias, ſub monte poſitam,qua lacu non alluebatur,undiq; muro ualidiſſimo,ſed minore tamen quàm Tiberiada,Ioſephus cinxerat. Nam illam quidem in principio defectionis,pecuniarum itémq; uirium copia cõmunierat: Taricheis uero largitatis eius reliquiæ profecerunt. Scaphas autem plurimas,in lacu paratas habebant:ut in eas uideliret,ſi terreſtri prælio uincerentur,refugerent:ſimúlq; ad nauale bellum,ſi opus eſſet,inſtructas. Romanis autem caſtra munientibus,Ieſus eiúsq; ſocij neq; multitudine hoſtiũ,neq; diſciplina militiæ perterriti,curſu in eos irruunt: primoq; impetu diſiectis muri fabricatoribus,ac parte aliqua ædificij diſſipata, ubi armatos congregari uiderunt,antequam mali aliquid paterentur,ad ſuos refugiunt:eoſq; inſecuti Romani,ad nauigia cõpulere. Et illi quidem tantũ prouecti,unde Romanos cõtingere miſſilibus poſſent,anchoras iaciũt: & ſicut acies aſſolẽt,denſatis inter ſe nauibus,aduerſus hoſtes in terra cõſtitutos,nauali prælio decertabant. Audito au

dito autẽ Veſpaſianus magnam eorũ multitudinẽ in proxima ciuitati planicie congregatam, filium ſuum cum ſexcentis equitibus lectis eò mittit. Qui cum infinitum hoſtium numerum reperiſſet, patri quidem maioribus auxilijs opus eſſe mandauit. Ipſe uero equitum pleroſque, etiam priuſquam ſubſidia uenirent, alacres eſſe uidens, cum nonnulli eorum multitudinem Iudæorum formidarent, unde exaudiri poſſet conſtitit: & ò Romani, ait, pulchrum eſt nanque in principio ſermonis admonere uos generis ueſtri, ut qui cum quibus pugnaturi ſimus ſciatis: noſtras enim manus nemo unquam toto orbe hoſtis ullus euaſit. Iudæi uero, ut etiam pro his dicamus aliquid, ad hoc uſque tempus uicti non defatigantur. Itaq; oportet illis in aduerſis rebus conſtanter dimicantibus, etiam nos in ſecundis perſeuerantius laborare. Aperta quidem fronte uobis plurimum alacritatis ineſſe conſpiciens, gaudeo: Vereor autem, ne cui ueſtrum tanta timorem multitudo hoſtium latenter incutiat. Igitur quiſque iterum cogitet, qualis cum quibus decertabit: quodq; Iudæi, licet ſatis ſint audaces, mortémq; contemnant, incompoſiti tamen bellorumq; imperiti ſunt, uulgus recte potius quàm exercitus appellandi. De ueſtra uero peritia atq; ordinatione referre quid opus eſt? Nempe idcirco ſoli armis exercemur pacis etiam tempore, ut ne in bello nos cum hoſtibus numero conferamus. Nam quod perpetuæ militiæ cõmodum, ſi pares cum rudibus congrediamur? Quin reputate, quod armati cum inermibus, & equites cum peditibus, & duces tuti conſilio cum uagis, neq; rectorem habentibus decertabitis: quodq; nos hæ uirtutes multo plures efficiant, multũ autem uitia de hoſtium numero detrahant. Nec ſola hominum multitudo, quamuis pugnaciſſimi fuerint, in bello obtinet: ſed etiam ſi uel in paucis ſit fortitudo. Hi enim & ordinari faciles ſunt, & ſibimet ſubuenire: numeroſæ autem copiæ plus incõmodi ex ſemetipſis, quàm ex hoſtibus capiunt. Itaq; Iudæos audacia & ferocitas ac deſperatio ſiue mentis ſæuitia ducunt: quæ rebus ſecundis aliquantũ ualent, minimis uero offenſionibus extinguũtur. Nos autẽ uirtus regit, & morigera uoluntas, itémque fortitudo, quæ & in proſpera fortuna uiget, nec ad finem uſq; inter aduerſa decipitur. Ad hoc maiores nobis ſunt, quàm Iudæis, cauſæ certaminis. Nam ſi illi pro libertate ac patria belli pericula ſuſtinent, qd eſt nobis inclyta fama præſtantius? Et ne poſt orbis terræ imperium uideamus hoſtiũ aduerſariorũ loco Iudæos habere. Præterea conſiderate, qd' ne patiendi quidẽ alicuius intolerabilis mali metus eſt. Multos enim eosq; in proximo adiutores habemus. Rapere autẽ uictoriã poſſumus: & quos à patre mitti nobis ſperamus auxilio, cõuenit antecapere, ut & maior ſit, & ſociũ nõ habeat uirtutis effectus. Equidẽ puto nunc de me ac patre meo, uobisq; pariter iudiciũ fieri. Siquidẽ ille rebus ante glorioſe geſtis dignus fuit. Ego uero eius ſum filius, uosq; milites mei: nã illi uincere conſuetũ eſt. Ego uero reuerti ad eũ perpetiar uictus? Quo pacto autẽ uos nõ puduerit, duce ueſtro periculis occurrente, nõ ſuperare? Appetam enim pericula, mihi credite, primúsq; in hoſtes irrumpam. Nemo autem ueſtrũ à me diſceſſerit, perſuaſum habens, impetũ meum ſuſtentari opere diuino: & manifeſtiſſime præſumite, quod multo plus mixti hoſtibus efficiemus, quàm ſi extrinſecus pugnaremus. Poſtq; locutus hæc eſt Titus, diuina quædã alacritas militibus incidit. Et quia Traianũ

Oratio Titi ad milites.

aduenire cum trecentis equitibus ante prælium contigit,ægre ferebant,tanquam minueretur uictoria ſocietate.Miſit autem Veſpaſianus Silonemum & Antonium cum duobus milibus ſagittariorum:ut occupato monte, qui ex aduerſo erat oppido,murorum propugnatores repellerent.Et ab illis quidem ita ut præceptũ fuerat,circumuenti ſunt,ex ea parte ſubuenire tentantes.Titus autẽ primus perrexit citato equo in hoſtes, & poſt eum cæteri cum clamore, pro tanto ſpatio fuſi, quantum aduerſa acies occupauerat,unde multo etiam plures quàm erant apparuerunt.Iudæi uero,licet incurſu eorum & diſciplina conterriti, pauliſper quidem primos ſuſtinuere congreſſus.Perculſi autem contis,equorúmq; impetu deturbati conculcabantur:atq; ita multis paſſim peremptis diſperguntur,& in ciuitatem, ut quiſq; uelocitatis habebat,effugiunt.Titus autem aliquos à tergo inſtans,alios per tranſitum occidebat, nonnullos curſu antecapiens,ictu ora tranſuerberabat.Multos autem,alium ſuper alium lapſos inuoluens,conficiebat:omnésq; ad mœnia confugientes præueniens,detorquebat ad campum, donec ui multitudinis elapſi,in oppidum confugerunt.Excepit autem illos acerba diſſenſio. Nanq; indigenis,& fortunarum ſuarum & ciuitatis gratia,& ab initio bellum geſtũ, maxime quod male pugnatum fuerat, non placebat. Sed populus aduenarum qui plurimus eſſet uim adhibebat, & inter ſe diſcordantiũ clamor erat,*ueluti iam* arma caperent. Quibus auditis, nec enim procul à muris aberat Titus,exclamat: Hoc tempus eſt,quid moramur cõmilitones? deo nobis dedente Iudæos,ſuſcipite uictoriam.Non auditis clamores,qui manus noſtras euaſere,diſcordant:habemus ciuitatem,ſi modo properamus. Veruntamen cum uelocitate animis opus eſt. Nihil enim magnũ effici ſine periculo conſueuit:non ſolũ autem hoſtiũ concordiam,quos cito neceſſitas in gratiam reuocabit, ſed etiam noſtrorum auxilia præuenire debemus:ut præter uictoriam,qua tantas copias pauci ſuperamus, etiam ciuitate ſoli potiamur.Simul his dictis cõſcendit equũ, atq; ad lacũ decurrit, & per eum propere ciuitatem ingreditur,quem cæteri conſecuti ſunt. Pauor autẽ eius audaciæ murorũ defenſores inuaſit: & pugnare quidem uel prohibere uenientem,nemo ſuſtinuit.Relictis autem excubijs,Ieſus quidem cum ſocijs in agros effugit:alij uero decurrentes ad lacum, in manus hoſtiũ contra uenientiũ incidebant.Mactabantur alij cũ ſcaphas ſcanderent,itémq; alij,cum iam prouectas aſequi natando conarentur:plurimáq; per ciuitatem agebatur hominũ cædes,aduenarum quidem reſiſtentiũ,qui non effugiſſent:indigenarum uero ſine pugna, quoniam ſpes eos fœderis,& conſcientia,quod belli conſiliũ non habuerant, prælio deterrebat:donec Titus nocentibus interemptis,miſeratus indigenas ab interneicione requieuit.At qui in lacũ cõfugerant,ubi ciuitatẽ captam uiderunt, quàm longiſſime ab hoſtibus receſſerunt. Titus uero miſſis equitibus res geſtas patri nunciat.Quibus ille compertis,quod neceſſe fuit,& filij uirtute admodũ lætus,& facinoris claritudine (maxima enim belli pars uidebatur exempta) tum quidem ſtatim circundari ciuitatem cuſtodibus iuſſit,ne quis ex eadem ſubterfugeret,neque à cædibus temperaret. Poſtero autem die cum deſcendiſſet ad lacũ,rates aduerſus illos,qui eò refugerant,fabricari iuſſit.Quæ tam materiarum copia,quàm artificum multitudine mature contextæ ſunt.

Ieſus cum aliis fugit.

Cæduntur Tarichei à Tito.

De lacu

De lacu Geneſara, & fontibus Iordanis. Caput XVIII.

LAcus Geneſar quidem à terra continente appellatur. Quadraginta uero ſtadijs in latitudine patens, centúmq; in longitudine, aquæ dulcis eſt atq; potabilis. Paluſtri enim craſſitudine tenuiores habet latices: & undiq; in littora & arenas deſinens, purus eſt: ac præter hoc temperatus ad hauriendum, & fluuio quidem ſiue fonte leuior. Semper autem frigidior, quàm lacus diffuſio patitur, manet: æſtiuisq; noctibus eius aquæ ſub diuo perflatæ, nequaquam æſtibus cedunt: id enim facere indigenis moris eſt. Variáq; ſunt in eo piſcium genera, ab alterius loci piſcibus tam ſapore, quàm ſpecie diſcreta. Mediúsq; fons eſt in fluuio Iordane, Pannium nomine: qui terra conditus, fertur ex ea quæ uocatur Phiale. Hæc autem eſt, qua in Trachonitide aſcenditur ad centeſimumuigeſimum ſtadium Cæſariæ, non longius in dextro itineris latere. Et proprie quidem ex rotunditate Phiala dicitur lacus, rotæ ſpeciem præferens. Semper autem inter eius labra cohíbetur unda, nunquam deficiens uel exuberans. Cúmque interim hoc eſſe Iordanis principium neſciretur, à tetrarcha quondam Trachonitidis Philippo deprehenſum eſt. Is nanque miſſis in Phialen paleis, inuenit eas apud Pannium reddítas, unde ante fluuius naſci credebatur. Naturalis quidem pulchritudo Pannij, regijs opibus & Agrippæ diuitijs magnificentius accurata eſt. Manifeſtum autem flumen Iordanis ex hoc antro incipiens, Semechonitidis quidem lacus paludes ſecat & margines: centum autem uiginti alijs præteritis ſtadijs, poſt oppidum Iuliada, Geneſara lacum mediũ tranſemenſus, deinde multam per ſolitudinem in Aſphaltiten lacum exit. Ad Geneſara uero lacũ eiuſdem nominis terra prætenditur, natura ſimul & pulchritudine admirabilis. Nullum enim ipſa pro ubertate ſui negat arbuſtum, totámq; plantis conſeuere cultores. Cœli uero temperies etiam diuerſis aptiſſima eſt. Nuces enim, quæ arborum maxime frigoribus gaudent, infinitæ floreſcunt: ubi etiam palmæ, quas nutrit calor æſtiuus: has iuxta ficus & oleæ, quibus aura mollior deſtinata eſt: ut naturæ magnificentiã hanc eſſe quis dixerit, uim adhibentis ut in unũ cõueniant inter ſe repugnãtia, anniq; temporũ cõtentione bona, ueluti ſingula peculiari ſtudio terræ fouerent. Non enim ſolum nutrit præter opinionem poma uaria, ſed etiam ſeruat, egregia quidem, & quodammodo regnantia. Vuas & carices ſine intermiſſione decẽ menſibus ſugerit, cæteros uero fructus anni ſpatio ſeneſcentes. Nam præter aëris lenitatẽ, & fonte quoq; irrigatur uberrimo, qui Capernaũ ab indigenis appellat. Eum nonnulli uenam eſſe Nili fluminis opinantur, quod ſimiles Coracino, ſicut lacus, generat piſces. Longitudo autem regionis æque ac littora cognominis lacus triginta ſtadijs extenditur, & latitudo uiginti. Horum quidem natura eiuſmodi eſt.

De lacu Geneſara.

Phiale lacus.

Mira fertilitas terræ Geneſara.

Fons Capernaum.

Taricheorum excidium. Caput XIX.

VEſpaſianus autem perfectis ratibus, impoſita manu militũ, quanta in eos, qui lacu effugerant, ſatis eſſet, unà prouehitur. Illi autem neq; compulſi ad terram euadendi facultatem habebant, infeſtis omnibus, neq; nauali bello pari cõditione pugnandi. Nam & ſcaphæ paruæ, atq; piraticæ aduerſus rates infirmæ erant: & cum pauci ſingulis ueherentur, cunctis ſimul inſtantibus Romanis, appropinquare metuebant. Veruntamen circum rates nauigando, nonnunquam etiam

etiam propè accedendo, lapidibus Romanos eminus appetebant, aut cóminus etiam iritando feriebant: plus autem ipſis utroq; modo nocebatur. Nec enim ſaxis quicquam præter crebros ſonitus agebant: quoniam cõtra ſeptos armis iaciebantur, contigúicq; ſagittis eorũ efficiebantur. Etſi accedere propius auſi fuiſſent, priuſquam facerent aliquid, patiebantur, cúmq; ipſis nauigijs mergebantur. Multos autem uulnera inferre tentantiũ, qui pilis cõtingi poſſent, alios deſiliendo in ſcaphas Romani gladijs transfigebant: nõnullos, concurrentibus inter ſe ratibus in medio, deprehenſos cum nauiculis capiebant. Submerſorum autem, qui capita ſuſtuliſſent, aut ſagittis præueniebantur, aut ratibus occupabantur: & ſi deſperatione cõpulſi, inimicis adnatare tentaſſent, eis uel manus uel capita truncabantur: plurimúsq; paſſim ac uarius erat interitus eorum: donec in fugam uerſi, cæteri terræ appulſi ſunt, circunduſis nauiculis ſuis. Effuſi autem multi quidem in ipſo lacu, telis configebantur: multos uero in terram egreſſos, peremerunt Romani. Mixtum autem ſanguine, plenúmq; cadaueribus cerneres totum lacum. Nullus enim ſaluus euaſit. Acerbus autem ſecutis diebus odor illam regionem oppreſſit & facies. Nam littora quidem naufragijs ſimul plena erant, & corporibus tumidis. Caleſcentes autem ac tabefacti mortui, cœli tractum corrumpebant, ut non Iudæis ſolum ille caſus miſerabilis uideretur; uerumetiam factoribus ipſis eſſet inuiſus. Iſte quidem illius prælij naualis exitus fuit. Perierũt cum his, qui pridem in ciuitate cecidere, ſex milia & quingenti. At Veſpaſianus, pugna peracta, pro tribunali ad Taricheas reſidens, aduenam populum ab indigenis ſecernebat, qui autor belli extitiſſe uidebatur: & an hi quoq; ſeruandi eſſent, cum rectoribus deliberabat. Tunc autem affirmantibus eorum liberationem detrimento futuram: nec enim dimiſſos quieſcere poſſe homines, qui & patrijs carerent, uimq; adhibere ac bellum inferre poſſent ad quos cõfugiſſent. Veſpaſianus ſalute quidem indignos eſſe eos, contráq; ſeruatores ſuos nouerat euaſuros: ſed de eorum mortis qualitate cogitabat. Nam ſi ibi occiderentur, non perpeſſuros ſuſpicabatur indigenas, tot apud ſe ſupplices obtruncari: fidéq; interpoſita, deditis uim pigebat afferre: uerum ab amicis ſuperabatur, nihil in Iudæos committi poſſe dicentibus: quódq; utile eſſet, honeſto debere præponere cum utrunq; obtinere non poſſet. Indubitata igitur conceſſa licentia, ſolo eos itinere, quod Tiberiada duceret, exire permiſit. Cúmq; illi facile his quæ cupierant credidiſſent, & quò iuſſum fuerat commitati, neq; pecunijs ſuis quicquam metuentes abirent: totam quidem à Tiberiada uſque uiam Romani, ne quis euaderet, occupauerunt: eósque in ciuitatem conduſos, mox inſecutos, Veſpaſianus omnes in amphitheatri ſtadio conſtituit. Et ſeniores quidem cum imbellibus, qui mille ducenti erant, iuſſit occidi: iuuenũ autem ualidiſſimos ſex milia lectos, ad Iſthmon Neroni tranſmiſit. Cæteram uero multitudinem triginta milia & quadringentos uendidit, præter alios quos Agrippæ donauerat. Nam his, qui ex eius regno eſſent, facere, quod uellet ipſe, permiſit. Verum & iſtos rex uendidit. Reliquum tamen uulgum, qui erant Trachonithæ & Gaulanitæ & Hippeni, plurésq;, & Gadaritæ ſeditioſi, & fugitiui, & quibus probra pacis bellũ conciliant. Capti ſunt autem ſexto idus Septembris.

FLAVII IOSEPHI DE
BELLO IVDAICO LIBER QVARTVS.

Obsidio Gamalensium. Caput I.

Vicunq; autem Iudæorum Iotapatitis excisis à Romanis defecerant, hi se ad eos postquam Taricheatæ superati sunt, applicabant: omniáq; Romani castella & ciuitates ceperant: præter Giscalam, & qui montem * Itaburium occuparant. Cum his autem rebellarat Gamala ciuitas, contra Taricheas posita supra lacum, quæ ad fines pertinebant Agrippæ, itémque Sotanin & Seleucia. Et hæ quidem Gaulanitidis regionis erant ambæ: Sotanin superioris partis, cui nomen est Gaulana: & inferioris Gamala. Seleucia uero ad lacum Semecolim, triginta latum, & sexaginta stadijs longum, paludésque suas ad Daphnen usque tendentem. Quæ regio cum aliâs sit delicioſa, præcipue tamen fontes habet, qui minorem (quem sic appellant) Iordanem alentes, sub aureo Iouis templo in maiorem deducunt, Sotanin quidem ac Seleuciam colentes, in principio defectionis Agrippa sibi fœdere sociauerat: Gamala uero ei non cedebat, freta locorum difficultate, amplius quàm Iotapata. Iugum nanq; asperum, ex alto monte deductum, mediam ceruicem erigit: & ubi supereminet, in longitudinem tenditur: tantum contrà decliue, quantum à tergo, ut cameli similitudinem præferat: unde nomen etiam duxit: nisi quod expressam uocabuli significationem indigenæ seruare non possunt. Et à fronte quidem ac lateribus, in ualles inuias scinditur. Post uero quàm de monte pendet, paululũ difficultatem refugit. Verum & hanc partem, per obliquum excisa fossa, indigenæ deuiam fecerant. Domus autem crebræ, & uicissim per prona erant ædificatæ, & nimio præcipitio casuris similes. Ciuitas intra se decurrebat, in meridiem uergens. Australis uero collis immẽsa ædi tus altitudine, usum arcis sine muro ciuitati præbebat, rupésq; superior ad profundam pertinens uallem. Fons autem intra muros erat, in quem oppidum desinebat. Quamuis autem natura inexpugnabilis esset ciuitas, tamen etiam Ioſephus cum murorum eam ambitu cingeret, fossis & cuniculis reddidit firmiorem. Eius autem habitatores, natura quidem loci confidentiores erant, quàm Iotapateni: sed multo pauciores, minúsq; pugnaces: sitúsq; freti difficultate, plures esse hostibus putabant. Nam plena erat ciuitas, multisq; in eam, quod esset tutissima, cõfugientibus. Vnde ab Agrippa quoq; præmissis ad obsidionem, per menses septem restitere. Vespasianus autem profectus ex Amathunte, ubi pro Tiberiade posuerat castra (Amathus autem, si quis nomen interpretatur, aquæ calidæ uocantur: Ibi enim eiusmodi fons est, sanandis corporũ uitijs idoneus) Gamalam peruenit: & totam quidem ciuitatem ita, ut diximus, positam, custodia circunuallare nequibat. Qua uero fieri posset, excubias collocauit: montemq; occupat superiorem. In quo milites castris, ita ut assolet, muro circundatis, opus aggerum

Aliâs Tabu rium.

Gamale situs

Aquæ calidæ.

gerum poſtremo aggrediuntur. Et aperte quidē Orientis ſummo ſupra ciuitatē loco turris erat: ubi & quintadecima legio, necnon & quinta contra mediam ciuitatem operabatur: foſſas autem decima repleuit & ualles. Et inter hæc Agrippam regem, cum acceſſiſſet ad muros, eorúmq; defenſoribus de traditione loqui tentaret, fundibulariorum quidam ad dextrum cubitum lapide percutit. Et ille quidem propterea familiaribus ſuis circunſeptus eſt. Romanos autem ira ſimul ob regem, ſuiq; metus ad obſidionem protinus intitauit: nullū Iudæos crudelitatis modum in alienigenas atq; hoſtes prætermiſſum ire credentes: qui circa gentilem ſuum, & eorum quæ ipſis cōducerent ſuaſorem, tam immanes fuiſſent. Aggeribus autem manus multitudine, operiſq; conſuetudine cito perfectis, machinas applicabant. Chares autem & Ioſephus (nanq; ipſi erant oppidanorum potentiſſimi) armatos quidem, licet metu perculſos, ordinauere. Et quanquam non diu obſidionem poſſe ſuſtinere arbitrabantur, quibus aqua itémq; alia uſui neceſſaria non ſufficerent, adhortati tamen eos ad mœnia produxerunt. Et pauli ſper quidem machinis aduenientibus repugnarunt. Baliſtis autem tormentiſq; perculſi, in oppidum receſſerunt. Itaq; Romani tribus ex locis aggreſſi, murum arietibus quatiunt: & qua deiectus fuerat, infuſi magno cum armorum ſtrepitu ac tubarum ſonitu: ipſi quoque inſuper ululantes cum oppidanis confligebant. Illi autem ad primos aditus interim pertinaces Romanis, ne ultrà progrederentur obſtabant. Cæterum ui & multitudine ſuperati, undiq; ad excelſa ciuitatis loca fugiunt. Deinde reuertentes inſtantibus ſibi hoſtibus incūbunt: eoſq; impingendo per decliuia, locorum difficultate & anguſtia depreſſos interficiebant. Romani autē cum neq; à uertice imminentibus repugnare, neq; in partem aliquam euadere poſſent, pronos eos urgentibus hoſtibus, in domos hoſtium plano contiguas refugiebant. Sed hæ repletæ labebantur, quod pondus ſuſtinere non poterant. Vnáq; deiecta multas inferiores, itémq; illæ alias deturbabant. Ea res plurimos Romanorum morte conſumpſit. Incerti enim quid facerent, quamuis ſubſidere tecta uiderent, tamen eò conuolabant, atq; ita multi quidem ruinis opprimebantur. Non pauci uero ſubterfugientes, parte corporis opprimebantur. Plurimi autem puluere ſuffocati moriebantur. Sed ea Gamalenſes pro ſe fieri exiſtimabant: propriáq; incommoda negligentes, magis inſtabant: hoſtēsq; in tecta ſua quamuis labentes ſuſtentando compellebant. Qui uero per anguſtos uiarū diuos cecidiſſent, eos telis deſuper miſſis interficiebant. Et ruinæ quidem lapidū copiam, ferrum uero eis mortui hoſtes dabant. Cæſorum enim gladios auferentes, his contra ſemineces utebantur: multi iam procumbentibus tectis, ſemet in de proijciendo moriebantur: tergáq; dantibus, ne fuga quidem facilis erat. Viarum nanq; ignorantia, & caligine puluueris alius alium non agnoſcentes perterrabant, & circa ſe ſternebantur. Sed illi quidem uix reperto exitu, ab oppido receſſerunt.

Agrippa funde iactu leſus

Veſpaſianus ſolus inter hoſtes relictus eſt

Veſpaſianus autē qui laborantibus ſemper interfuit, ſæuiſſimo dolore perculſus, cum ſuper militem ruere ciuitatem uideret, propriæ tuitionis oblitus, dàm paulatim ſuperiore in oppido locum prehendit: ibiq; inter media pericula cum paucis omnino relinquitur. Nec enim aderat tūc ei filius Titus, ad Mutianū pridem in Syriam miſſus. Et dare quidem terga, neq; tutū neq; honeſtū ſibi putabat. Rerū

bat. Rerum autem quas ab aduleſcentia geſſerat,ac propriæ uirtutis memoria, quaſi deo repletus,corpora ſociorum atq; arma condens, & cum his bellum unà à uertice defluens ſuſtinebat:& neq; uirorum neque telorum multitudinem formidans manebat,donec eius animi obſtinationem hoſtes diuinam eſſe reputantes,impetum remiſerunt. Illis autem iam infirmius oppugnantibus,ipſe pedem referens,non prius terga oſtendit,q; extra muros egreſſus eſt. Plurimi quidē Romani milites in ea pugna ceciderunt, & inter uos Ebutius Decadarchus,uir non eo tantum prælio quo perijt,ſed ubique antea fortiſſimus cōprobatus,quiq; plurimis malis Iudæos affeciſſet. In ea pugna Gallus quidam nomine Hecatontarchus,cum decem militibus in quadam domo latuit. Eius aūt habitatoribus dum cœnarent, quod in Romanos fuiſſet conſilium populi ſui, inter ſe fabulantibus, hoc audito(nam & ipſe Syrus erat,& hi quos ſecum habebat)nocte illos aggreditur:omnibusq; mactatis ad Romanos ſaluus cum militibus euadit. Veſpaſianus autem mœrere exercitum aduerſis caſibus uidens, quodq; nullam interim tantā experti fuerant cladem: huiusq; rei magis eos pudere,quod ſolum ducē in periculis reliquiſſent,conſolandos putabat:de ſe quidē nihil dicens,ne quē uel initio culpaſſe uideretur. Oportere autem inquiens,quæ communia eſſent fortiter ferre,naturam belli cogitātes,quodq; nuſquā eueniat ſine cruore uictoria,iterūq; habeat fortuna regreſſum. Multis tunc Iudæorum milibus interfectis, exiguam pro his ſtipem ſe inimicæ ſæpe pendiſſe fortunæ. Atq; ut iactantium eſſet,nimis ſecundis rebus inſoleſcere, ita eſſe ignauorum,in offenſionibus trepidare: uelox enim eſſet in utrunq; mutatio:& ille uir fortis habetur, cuius ſobrius erit & animus,in rebus quoq; infeliciter geſtis,ut idem ſcilicet maneat, rectis conſilijs peccata reſtituens:quanquam ea quæ nūc acciderunt,neq; mollitia noſtra,neq; Iudæorum uirtus effecit. Nam & illis pugnæ melioris,& nobis deterioris,cauſa fuit difficultas locorum. Qua in re nimirum quis reprehenderit alacritatis ueſtræ temeritatem. Nam cū hoſtes in excelſiora loca refugiſſent,manus continere debuiſtis, neq; in ſummo uertice conſtituta ſequi pericula:ſed capta inferiori ciuitate,paulatim eos qui refugerāt,ad tutiorem uobis & ſtabilem pugnā reuocare. Nunc autē immoderata feſtinatione uincendi, q; id incaute fieret,non curaſtis. Inconſultus autem & furibundus impetus belli,à Romanis alienus eſt,qui cuncta ordine peritiáq; perficimus,Barbariſque conueniens,& quo Iudæi maxime poſſidentur. Oportet igitur nos ad propriam uirtutem recurrere:atq; indignæ offenſioni iraſci potius q; mœrere. Optimum autem quiſque de ſua manu ſolatium quærat. Ita em̄ fiet,ut & amiſſos ulciſcamur,& in eos à quibus perempti ſūt,uindicemus. Ipſe autem, ita ut nunc feci,experiar:æque ac uos pugnando prius ad bella pergere,& nouiſſimus inde diſcedere. Ille quidem his dictis recreauit exercitum. At Gamalēſes bene geſta re,pauliſper animos erexere:quæ nulla ratione,magna magnificéq; prouenerat. Mox aūt reputantes ablatam ſibi eſſe fœderis ſpem,quódque minime poſſent effugere(iam enim uictus eos defecerat) uehementer dolebant,animósque remiſerant. Nec tamen quatenus ualebant, ſalutem ſuam negligebant:ſed tam diſturbatas partes muri,qui erant fortiſſimi, q; integras, cæteri amplexi cuſtodiebant. Romanis autem conſtruētibus aggeres,iterumq; tentāti-

Gallus.

Veſpaſianus ſolatur exercitum.

bus irruptionē, multi ex ciuitate per ualles deuias, quà nulli cuſtodes erant, & per cloacas diffugiebant: Eos, qui metu ne caperentur ibi remanerent, inopia cōſume bat. Solis enim undique alimenta qui pugnare poſſent, congerebantur. Sed illi quidem in huiuſmodi cladibus perdurabant.

Thaburius alias.

Itaburius mons occupatur à Placido. Caput II.

VEſpaſianus autem inter curas obſidionis, ſubciſiuum opus aggreditur ad uerſus eos, qui mōtem Itaburium occupauerant, inter campum magnum & Scythopolim ſitum: cuius altitudo quidem triginta ſtadijs conſurgens, ſeptentrionali tractu inacceſſa eſt. In uertice autem, uiginti ſtadiorum planicies patet, tota muro circundata. Hunc autem tantum ambitum quadraginta diebus ædifi, cauerat Ioſephus: & alias ei materias, & aquas ſuggerētibus locis inferioribus. Solam enim incolæ pluuialem habebant. Magna igitur in eo multitudine congregata, Veſpaſianus Placidum cum ſexcētis equitibus dirigit. Huic aūt ſubeūdi quidem montis ratio nulla erat. Multos autem fœderis ac ueniæ ſpe hortabatur ad pacem: & deſcendebant ad eum ipſi quoque inſidias molientes. Nam & Placidus eo ſtudio mitiſſime cum his loquebatur, ut eos in planicie caperet: illiſq; tanq; dictis obedientes, ad eum ueniebant, ut incautum aggrederentur. Vicit tamen aſtutia Placidi. Cœpto enim à Iudæis prælio, aſſimulat fugam: & poſtquam inſequētes ad magnam partem campi pellexit, reflectit in eos equitum manus: plurimiſq; in terga uerſis, aliquos interfecit. Semotam uero multitudinem cæteram, ab aſcenſu coērcet. Itaq; alij quidam Itaburio relicto, in Hieroſolymam refugiebant. Indigenæ autem fide accepta, quod eis aqua defecerat, & ſe, & montem Placido tradiderunt.

Excidium Gamalæ. Caput III.

APud Gamalam uero, degentium audaciſſimi quiq; fuga diſperſi latebant, imbelles autem fame corrūpebātur. At uero pugnantium manus obſidionem ſuſtinebat, donec euenit ſecūdo & uigeſimo die menſis Octobris, ut tres ex decimaquintā legione milites, circa matutinas uigilias editiſſimā præ cæteris turrim, quæ in ſua parte fuerat, ſubirent: eamq; occulte ſuffoderent: cum appoſiti ei cuſtodes neq; adeūtes eos (nox enim erat) nec poſtquam adiere, ſenſiſſent. Iidem autem milites, cauendo ne ſtrepitus fieret, quinq; ſaxis duriſſimis euolutis, reſiliunt. Subitoq; turris cum magno ſonitu decidit, unáq; cuſtodes præcipitantur. At uero qui per alias cuſtodias erant, perturbati fugiebant: multosq; euadere auſos, peremere Romani: inter quos etiam Ioſen, ſuper dirutam muri partem quidam iaculo percuſſum, interfecit. Intus autem in ciuitate degentibus, ſono concuſſis, multus erat pauor, atq; diſcurſus, tanquam omnes eſſent hoſtes ingreſſi. Tuncq; Chares ægrotus & iacens defecit: cum timoris magnitudo morbum eius plurimum iuuiſſet ad mortem. Romani tamen prioris peccati memores, uſq; ad uigeſimam & tertiam diem ſupradicti mēſis, oppidum non ſunt ingreſſi. Titus autem (iam enim aderat) indignatione uulneris, quod Romanos ſe abſente perculerat, ducentis equitibus præter pedites lectis, otioſe in ciuitatem introiuit. Eóque prætergreſſo, uigiles quidem ubi ſenſerunt, ad arma cum clamore properabāt. Cognito autem intus conſtituti eius ingreſſu, alij raptis liberis, trahentes etiam con-

iuges.

ingęs,cum ululatu & exclamationibus in arcem refugiebant: alij Tito occurrentes,ſine intermiſſione trucidabãtur.Qui uero prohibiti eſſent in arcem recurrere, neſcij quid facerent,Romanorum præſidijs incidebant. Vbiq; aũt infinitus erat morientium gemitus:perq; prona loca effuſus cruor, totum oppidum diluebat. In eos autem,qui arcem occupauerant,omnem Veſpaſianus induxit exercitum: Erat autẽ ſaxoſus:& acceſſu difficillimus uertex,in immenſum editus,& undique circũ hoſtium multitudinem præceps :unde Romanos ad ſe adeuntes,alios telis & præterea ſaxis deuolutis ulciſcebantur Iudæi:cum ipſos in excelſo loco poſitos, nullæ ſagittæ contingerẽt. Verum ad eorum interitum,diuino munere quodam, turbo exoritur,Romanorum quidem tela in eos ferẽs,ipſorum autem à Romanis repellẽs,& obliqua traducens, ut neq; in præruptis cõſiſtere propter uiolentiã flatus poſſent,cum nihil eſſet immobile,neq; hoſtes ad ſe accedẽtes uidere. Itaq; ſupergreſſi Romani,eos circumueniunt:& alios quidem repugnantes ante capiebant:alios,cum manum ſuperponerent.In omnes autem uehementius ſæuiebãt, illorum memoria quos in primo aggreſſu perdiderant. Multi autem undiq; circumduſi,deſperatione ſalutis, filios & coniuges,& ſemetipſos in uallem præcipites dabant, quæ ſub arce in profundum patebat. Euenit autem,ut ipſorum in ſe qui capti fuerant,immanitate lenior exiſteret iracundia Romanorum.Ab his em̃ quatuor milia perempta ſunt: qui uero ſe præcipitauerunt, quinq; milia ſunt reperti. Neque quiſquàm,præter duas mulieres,ſaluus euaſit: quæ ſorores erant, Philippi filiæ: qui Philippus Iachino genitus erat,inſigni uiro,& qui ſub Agrippa rege tetrarches fuerat.Seruatæ ſunt autem,quod excidij tempore Romanorũ impetum latuere. Nec enim uel infantibus pepercere ,quorum multo ſinguli raptos ex arce proijciebant. Gamala quidem hoc modo exciſa eſt, tertio & uigeſimo die menſis octobris: quæ uigeſimo & primo die menſis Septembris cœperat rebellare.

Immditur arx.

Giſcala à Tito capitur. Caput IIII.

IAmq; ſolum Giſcala municipium Galilææ reſtabat indomitum:cuius multitudo pacis ſtudio tenebatur,quod erant plerique agricolæ,ſpemq; ſuam ſemper in fructibus collocauerant. Non paruæ autem manus latrocinali permixtione corruptæ erant,quo morbo etam nonnulli ciuium laborabant.Hos autem ad defectionem impellebat,atque conflabat,Leui cuiuſdam filius,nomine Iohãnes: homo ueneficus,& fallax,uariusq; moribus, & immoderata ſperare promptus, miróque modo quæ ſperaſſet,efficiens: atque omnibus iam cognitus,quod affectandæ ſibi potentiæ cauſa,bellum amaret.Huic apud Giſcala ſeditioſorum turba parebat: quorum cauſa populus etiam legatos fortaſſe de traditiõe miſſurus, Romanorũ tamen congreſſum in parte belli præſtolabatur.At Veſpaſianus contra hos quidem Titum cum equitibus mille, decimam uero legionem circa Scythopolim mittit: cũ reliquis autem duabus Cæſaream ipſe regreditur, dandã his ex labore continuo requiem putans,ex ciuitatum copijs : eorumq; corpora,itẽq; animos ad futura certamina exiſtimans eſſe refouendos.Nec enim exiguum ſibi laborem ſupereſſe de Hieroſolymis præuidebat,quæ & regalis eſſet ciuitas,& cunctæ nationi præſtaret.His autẽ,qui ex bello fugiſſent, in eam confluentibus,etiã

De Iohanne quodam ſeditioſo.

naturalis munitio,itemq; murorum eius conſtructio,non minimam ei ſolicitudi nem comparabat: cũ uirorum ſpiritum & audaciam,& ſine muris,inexpugnabi lem eſſe cogitaret:ob eamq; rem milites,uelut athletas, ante certamina oportere curari. Tito autẽ ciuitas Giſcala(equitãdo enim ad eam acceſſerat)aggreſſione ca pi facilis uidebatur:ſciens tamẽ quod ea ui capta,paſſim à militibus populus ab ſumeretur(nanque ſatiatus erat ipſe iam cædibus)miſerans multitudinem etiam ipſe ſine ullo diſcrimine cum nocentibus intereuntem, pactione magis ſubigere ciuitatem uolebat. Itaq; plenis hominum muris,quorum plericq; perditæ factio nis erant, mirari ſe ait,quonam freti conſilio,cunctis iam ciuitatibus captis,illi ſo li Romanorum arma operirentur,cum uiderent,multo quidem munitiora oppi da uno impetu fuiſſe ſubuerſa: ſecuros autem fortunis ſuis potiri,qui Romano rum dextris credidiſſent:quas quidem etiam nũc illis ait ſe porrigere,neq; ob in ſolentiam ſuccenſere,quia ſpem libertatis agnoſcendam putaret. Non tamen,eti am ſi quis impoſſibilia uellet, perſeueraret. Quod ſi dictis humaniſſimis non paruiſſent, fidemq́ue dextris non habuiſſent, expertum iri arma crudelia: iam cognituros eſſe,mœnia ſua ludum fore machinis Romanorum :quibus diffiden tes,ſoli ex Galilæis ſeſe oſtentarent arrogantes eſſe captiuos.His dictis,populari um quidem neminem non modo reſpondere,ſed ne ad murum quidem licuit a ſcendere:quia totum latrones præuenerant: & cuſtodes erant portis appoſiti,ne quis uel ad fœdus prodiret,uel equitum quẽquam in ciuitatem reciperet. Iohan nes autem & ipſe complecti conditiones ait, ita aut perſuaſurum,aut neceſſitatẽ belli renitentibus adhibiturum. Illum tamen diem Iudæorum legi oportere con cedi:quoniam ſicut arma mouere,ita etiam de pace conuenire nefas haberent.Nã & Romanos ſcire,quod ab omni ceſſaret opere, dierũ ſeptem circuitio: quam ſi temeraſſent,non minus coactos, q̃ qui cogerent,piaculũ commiſſuros,ipſumq; Titum: nullum enim ſibi ex mora eſſe diſpendium formidandum: quod unius noctis ſpatium,præter fugæ conſilium ceperit,præſertim cum id obſeruare circũ ſedentem nemo prohibeat:ſibi autem magnum eſſe lucrum, nulla in re deſpice re patrios mores.Et illum decere,qui pacem non ſperantibus indulget,legẽ quo que ſeruare ſeruatis .His Titum Iohannes fallere conabatur,non tantum pro ſe ptimi diei religione ,quantum pro ſua ſalute ſolicitus. Verebatur autem,ne ſta tim capta ciuitate,ſolus deſtitueretur:qui totam in nocte ac fuga uitæ ſpem collo caſſet. Verum profecto dei nutu, in excidium Hieroſolymorum Iohannem ſal uum eſſe cupientis,factum eſt,ut non ſolum induciarum cauſationem Titus ad mitteret,uerumetiã in ſuperiori parte oppidi caſtra poneret,ad*Diſſam,qui me diterraneus eſt Tyriorum uicus ualidiſſimus, Galilæis ſemper exoſus.Nocte au tem Iohãnes,cum nullas Romanorum excubias circa oppidum uideret ,arrepto * tempore,nõ ſolum his quos circa ſe habebat armatos,ſed etiam ſenioribus plu rimis cum familijs abductis,in Hieroſolymam fugiebat.Sed uſq; ad uigeſimum quidem ſtadium fieri poſſe uidebatur,ut mulieres ac pueros,aliamq; multitudi nem ſecum duceret,homo quem captiuitatis,itemq; ſalutis metus urgeret. Vltrà uero procedente eo,relinquebatur,& oriebatur atrox remanentiũ fletus.Quanto enim quiſquam procul à ſuis aberat,tanto propiorem ſe hoſtibus eſſe credebat.

Al.*Diſarim. Sidiſſa.

Al.* itinere.

Iamq;

Iamq; affore qui se caperent existimantes, necessario pauitabant: & ad strepitū, quem ipsorum cursus faciebat, assidue respectabant, uelut instantibus quos fugi sent: multiq; simul ruebant, & circa uiam plurimos certamen præcedentium con terebat. Miserabile autem fœminarum & infantium erat excidium. Aut si quam iactarent uocem, nonnullæ uiros aut propinquos, ut se operirentur, orabant. Sed Iohannis exhortatio superabat, ut seipsos seruarent inclamantis: eóq; confuge rent, unde remanentibus etiam si raperentur, pœnas à Romanis peterent. Mul titudo quidem eorum qui fugerant, ut cuiq; uirium fuit, cito dispersa est. Luce ue ro facta Titus ad muros aderat, fœderis causa: populus autem portis ei patefa ctis, cum coniugibus adeuntes, tanquam benemerito, & qui custodia ciuitatem liberasset, laudibus prædicabant: simulq; Iohannis fugam significantes, ut & si bi parceret obsecrabāt, & eos qui ex nouarum rerum cupidis reliqui supererent, ulciscereturr. Ille autem precibus populi postulatus, equitum partem ut Iohannē persequeretur, dirigit. Sed eum quidem occupare nequiuere, quod antequam ue nerant, in Hierosolymam sese receperat. Vnà ergo fugientium propè ad duo mi lia perimunt: mulieres ac pueros paulominus q̄ tria milia circumactos reducūt. Titus autem indigne ferebat, non statim à Iohanne pœnas fraudis exactas. Ira to uero animo, satis esse (quod spe deciderat) ad solatium putans, captiuorum & qui trucidati fuerant multitudinem, in oppidum cum fauore ingreditur: iussisque militibus minimam muri partem iure possessionis abrumpere, minitando ma gis q̄ puniendo reprimebat perturbatæ ciuitatis autores. Multos enim propter odia domestica, uel proprias inimicitias, delatores innocentiæ fore credebat: si di gnos pœna discerneret, melius noxiumq; relinqueret metu suspensum, q̄ imme ritum quenquam cū eo perdere gratius existimabat. Illum enim fortassis mode stiorem futurum, uel metu supplicij, uel quod erubescceret præteritorum criminū uenia: sine causa uero morientium pœnas, nullo modo cortigi posse. Præsidijs ta men ciuitatem circundedit, quæ tam nouarum rerum studiosos compescerent, quàm pro pace sentientes, quod sibi relicturus erat maiore fidutia firmarent. Ga lilæa quidem tota, postquam multo sudore Romanos exercuit, hoc modo sub acta est.

Titus recipi tur à Giscalenis.

Occisi bis mille fugientes.

Hierosolymitani excidij initium. Caput V.

APud Hierosolymam uero, ad Iohannis introitum, omnis populus erat ef fusus: & circa singulos, qui unà confugerant, numerosa turba collecti, quas foris clades experti essent, percontabantur. Illorum autem feruens idem adhuc, atque interruptus anhelitus, necessitatem significabat. Verūtamen in malis quo que sibi arrogabant: non Romanorum uim fuisse dicentes, sed sponte uenisse, ut cum his ex cautiori loco pugnarent. Inconsultorum enim atq; inutiliū esse ho minū, incaute pro Giscalis, & inualidis municipijs periclitari: cum arma uigorēq; oporteat pro metropoli suscipere, atque seruare: significando tamen excidium Gi scalorum, etiā quam dicebant honestā, discessionem suā, ut primi fugam esse in telligerent, prodiderunt. Auditis autem, quæ captiui pertulere, non mediocris po pulum perturbatio tenuit, magnumq; id esse argumentū proprij reputabant exci dij. At Iohannes, qui eorum quidem quos fugientes reliquerat causa, minus eru

Iohannes arrogãtia ſua oẽs ad bellum accendit.

beſcebat. Singulos autem circuiens, ſpe ad bellum incitabat, infirmitatem Romanorum aſſerens, propriasq; uires extollens, & imperitorum ea cauillatione inſciam decipiens, quod etiam ſi pennas ſumerẽt, nunquam Hieroſolymorum mœnia tranſgrederentur Romani, qui pro Galilæorum uicis tãta mala pertuliſſent, atq; in eorum muris machinas contriuiſſent. His eius dictis magna quidem corrumpebatur iuuenum manus. Prudentiorũ autem atq; ſeniorum nemo erat, qui non futura proſpiciens, uelut iã perditam ciuitatem lugeret. Et populus quidem in ea cõfuſione tunc erat. At uero per territoriũ manus agreſtium, ante ſeditionẽ, quæ Hieroſolymis orta eſt, diſcordare iam cœperat. Titus enim à Giſcala Cæſaream, Veſpaſianus autem à Cæſarea Iamniam & Azotum profectus, utranque ſubegit: impoſitiſq; illic præſidijs, reuertebatur, maximam ducens eorum multitudinem, qui ſe fœdere ſociauerant. Singulas autem ciuitates, tumultus bellumq; inteſtinum exagitabat: quantũq; à Ro. reſpiraſſent, in ſemetipſos manus uertebant: cum inter amatores belli, ac pacis cupidos eſſet ſæua contentio: ducumq; concordium pertinacia primo inter domos accenderetur: deinde inter ſe amiciſſimi populi diſſiderent: & ad ſimilia uolentes quiſq; conueniens, aperte iam coacta multitudine, rebellaret. Itaq; diſſenſiones quidem apud omnes erant: nouitatis autem armorumq; cupientes, ſenibus ac ſobrijs, iuuentute atq; audacia præſtabant. Primo autem indigenarum ſinguli prædari cœperunt: deinde ex cõpoſito confertis cuneis, per territorium latrocinabantur: ut quod ad crudelitatem atq; iniuſtitiam ſpectat, nihil à Romanis gentiles abeſſent: atq; ipſis qui uaſtabãtur, illatum à Romanis excidium leuius uideretur. Ciuitatum uero cuſtodes, partim quia defatigare pigeret, partim odio nationis, aut nulli, aut minimi erant male affecti auxilio: donec rapinarum ſocietate undiq; congregati, collegiorum latrocinalium principes, atq; in agmen conflati, Hieroſolymis irrumpunt: Quæ ciuitas à nullo regebatur: & more patrio gentiles omnes ſine obſeruatione recipiebant: tunc præcipue cunctis exiſtimantibus, uniuerſos qui ſuperinfluerent, adiumento ex beneuolentia uenire. Quæ quidem res etiam ſine diſſenſione ciuitatem poſtea peſſundedit, eo quod iners & inutilis multitudo, quæ pugnacibus ſufficere poſſent, alimenta cõſumpſit. Hiſq; præter bellum etiam ſeditionẽ, famemq; comparauit: aliſq; latrones ex agris eò tranſgreſſi, ac multo ſæuioribus quos intus inuenere, ſociati, nullum atrox facinus intermittebant. Nec enim rapinis & expoliationibus metiebãtur audaciam, ſed uſq; ad cædes ruinæ fiebant: non dàm, neq; per noctem, aut quoslibet homines, uerum luce palàm nobiliſſimos quoſq; adorientes. Nam primum Antipam regij generis uirum, & adeo potentiſſimum ciuium, ut etiã publicos theſauros fidei ſuæ permiſſos haberet, comprehenſum cuſtodiæ tradiderunt. Poſt hunc etiam Leuiam quendam, inſignem uirum, & Phoriam, filium Rageti, & ipſum Ragetum, regalis ſimiliter utrũq; familiæ, omneſq; præterea, qui præſtare aliſs uidebantur. Grauis autem metus populum poſſidebat: & uelut occupati ciuitate, ſalutem propriã quiſq; curabat. Illi autem dauſorum uinculis nõ fuere contenti, neq; tutũ arbitrabantur ea potentia uiros diutius cuſtodire. Nam & ipſos, & domos eorum, non paucis uiris frequentari, ac per hoc ad ulciſcendũ eſſe idoneos, & præterea rebellaturum fortaſſe populum, iniquitate commotum.

Inteſtina ſeditio Hieroſolymis orta.

Primores in uincula conijcti.

motum. Decreto igitur eos occidi, mittunt quendam de ſuo numero Iohannem, ad cædes promptiſſimum, qui lingua patria Dorcadis filius dicebatur: eumq; alij decem armati gladijs, ſecuti ad carcerem, ibi quos reperiſſent interficiunt. Fingebant autem huius immaniſſimi ſceleris cauſam, cum Romanis eos de traditione ciuitatis collocutos fuiſſe, communisq; libertatis proditores interemiſſe dicebãt: prorſus, ut audacia ſua, tanquã ſeruatores ciuitatis, ac bene de ea meriti, gloriarentur. Euenit autem, populum quidem ad hoc humilitatis ac formidinis, illos uero inſolentiæ progredi, ut in eorum eſſet arbitrio, etiam pontificum deſignatio. Deq; familijs abrogatis, unde per ſucceſſionem pontifices creabantur, incognitos atq; ignobiles conſtituebant, ut impiorum facinorũ ſocios haberent. Nã qui ſupra meritum ſummos honores adepti erãt, his obediebant neceſſario, qui ſibi eos præſtiterant: quoniam & dignitate præditos, uarijs machinis fictisq; ſermonibus committebant, opportunitatem ſibi ex eorum, qui ſe prohibere poterant, contentione captantes: donec hominũ perſecutione ſatiati, in diuinitatem contumelias trãſtulerunt, pedibusq; pollutis in ſanctum locũ introire cœperunt. Iam uero populo contra eos concitato (nanq; autor erat Ananus, æuo maximus põtificum, itemq; ſapientiſſimus: & qui fortaſſis ciuitatem conſeruaſſet, ſi inſidiatorum manus potuiſſet effugere) illi templũ dei aduerſus populi turbam, caſtellum ac profugium ſibi fecere, quod pro domicilio habebant tyrãnidis. Acerbis autem malis admiſcebatur etiam cauillatio, quæ præ cæteris eorum factis erat dolori. Tentando enim, quanto metu populus teneretur, ſuasq; uires explorãdo, ſorte põtifices creare conati ſunt, cum his (ut diximus) ex familijs ſucceſſio deberetur. Huic autẽ fraudi mos antiquus obtendebatur. Nam & olim ſorte pontificatum deferri ſolitũ fuiſſe dicebant (re autem uera, legere degenerẽ, erat abrogatio firmioris) abſq; his, qui ad potentiam ſibi deſignandorum magiſtratuum licentiã compararent. Itaq; una ſacratarum tribuum accita, quæ Emachin appellatur, pontificem ſortiebantur: caſuq; locus exit homini, per quem maxime eorũ iniquitas demonſtrata eſt, Phani cuidam, filio Samuelis, ex uico Apathaſi, non ſolum non ex pontificibus orto, ſed aperte quid eſſet pontificatus, propter ruſticitatẽ penitus nèſciente. Deniq; inuitum eum rure abſtractũ, ut in ſcena fieri ſolet, aliena ornauere perſona: indutumq; ſacra ueſte, quid facere deberet, ſubito inſtituebant: ludumq; & iocum eſſe tantum nefas arbitrabantur. Cæteri quidem ſacerdotes, procul ſpectantes ludibrio legem haberi, lachrymas uix tenebãt, honorésq; ſacrorum ſolui grauiter ingemebãt. Populus tamen hanc eorum audaciã non tulit, ſed omnes quaſi ad deponendam tyrannidem animos intenderant. Nam qui præſtare cæteris uidebantur, Gorgion Ioſippi filius, & Simeon Gamalielis, tam ſingulos circũeuntes, quàm ſimul uniuerſos, in concionibus hortabantur, quo tandem aliquando libertatis corruptores ultum irent, ſanctumque locũ ab hominibus ſceleratis purgare properarent. Pontifices etiã probatiſſimi, Gamala quidem filius Ieſu, Anani autem Ananus, populum frequenter in cœtibus exprobrando eius ſegnitiem, contra Zelotas excitauerunt. Ita enim ſe ipſi uocabant, uti bonarum profeſſionum æmuli, ac non qui peſſimam facinorum immanitatem ſuperaſſent. Itaque in concionem populo congregato, cunctisque indignantibus occupationes ſanctorum

Primores in carcere occiſi ſunt.

Phanes ruſticus pontificatũ adeptus eſt.

Zelotæ qui ſint.

ctorum,itemq; rapinas & cædes,nondum autem promptis ad ulciſcẽdum, propterea quod inexpugnabiles(id enim uerum erat)Zelotæ putabantur,ſtans in ter eos medius Ananus,& ad legem crebro reſpectans, cum lachrymis oppleſſet oculos: Magis,ait,mihi mori ſatis eſt,antequam dei domicilium uideam tantis refertum doloribus:atque inacceſſa & ſancta loca,ſceleratorum pedibus frequentari. Verum ſacerdotali ueſte amictus,& ſanctiſſimum uenerabilium nominum ferens,uiuo:atque animæ amore teneor,nec pro ſenectute quidem mea mortem ſuſtinens glorioſam. Igitur ſolus ibo, & tanquam in ſolitudine animam meam ſolam dabo pro deo. Nã quid opus eſt uiuere in populo,clades ſuas minime ſentiente, & apud quos malorum præſentium defenſio interijt? Siquidem rapti patimini,ac uerberati reticetis, & ne gemitu quidem aperto quiſquam proſequitur interemptos. O acerbam cõminationem. Quid de tyrãnis querar? Nunquid nõ à uobis ueſtra potentia nutriti ſunt? Nunquid non deſpectis qui mecum ierant, cum adhuc pauci eſſent,uos dum tacetis,plures eos feciſtis? atq; illis armatis quiescentes, in uoſmetipſos arma uertiſtis? cum primos eorum conatus oportuiſſet infringi,quando cognatos conuicijs appetebant. Vos autem negligendo,ad deprædationem noxios iritaſtis,quia uaſtatis domibus nulla ratio ducebatur. Itaq; iam domini ipſi rapiebantur,eisq; cum per mediam ciuitatem traherẽtur, nemo erat auxilio. Illi autem à uobis proditos,etiam uinculis affecere. Non dico quales & quãtas,ſed quod accuſatos,indemnatos,uinctos nemo adiuuit: reſtabat & eoſdem uidere trucidare. Hoc etiam uidimus, uelut è grege brutorum animalium quæ præcipua ducitur hoſtia,ne uocem quidem eorum quiſquam emiſit,nedum dexterã mouit. Patiemini ergo,patiemini,etiam ſancta conculcari uidẽtes? Cumque omnes audaciæ gradus,nefarijs hominibus ſubieceritis,eorũ præſantiam reueremini? Nunc enim profecto ad maiora procederent, ſi quid maius quod euerterent, inueniretur. Tenetur quidem munitiſſimus ciuitatis locus,nũc autem fanũ appellatur,uelut arcis arx quædã,ſiue caſtellum. Tanta igitur contra uos tyrãnide munita,& inimicis ſuper uerticem poſitis,ut uidetis,quid cogitatis? aut quibus ueſtras ſententias applicatis? An Romanos expectatis, ut ſanctis ueſtris opitulentur? Ita quidem ſe noſtræ ciuitatis habent res,eóque iam calamitatis uentum eſt, ut miſereatur noſtri etiam hoſtis. Non exurgetis ò laborioſi, reſpectisque uulneribus ueſtris, quod etiam feras beſtias facere uidemus,nõ ultum ibitis in hos,qui uos percuſſere? Nõ ſuas quiſque recordabitur clades,& ante oculos poſitis quæ pertulerit, ad ultionẽ animos acuetis? Perijt apud uos(niſi fallor) affectionum omniũ chariſſima, & maxime naturalis,cupiditas libertatis. Seruitutis autem, ac dominorum amantes facti ſumus, tanquam ſubiugari à maioribus didicerimus. Atque illi quidem multa & maxima bella,ut in libertate uiuerent, pertulerunt: ne aut Aegyptiorum, aut Medorum potentiæ cederent: dummodo ne facerent quæ iuberentur. Et quid opus eſt de maioribus loqui? Hoc ipſum bellum, quod cum Romanis nunc gerimus, utrum commode, an contra incommode, non referam palàm quid habet cauſæ, niſi libertatem? Ergo qui dominis totius orbis ſeruire non patimur, gentiles noſtros ferimus tyrannos? Quanquam externis obedientes, ad fortunam ſemel

Oratio Anani pontificis de Zelotis conquerentis ad populum.

idre-

id referũt,cuius iniuria uicti ſunt. At uero peſſimis ſuorum cedere,ignauorũ eſt, & cupientium ſeruiendi.Ad hæc autem ,quia Romanorum mentio facta eſt,nõ uos celabo,quid dum loquor interuenerit,mentemq; retraxerit:quod etiam ſi ab his capti fuerimus(abſit autem huius dicti periculum)nihil acerbius experiemur, q̃ iſti nos affecere. Quo pacto autem,non lachrymis dignum ſit,illorum quidẽ in templo donaria cernere,gentilium uero ſpolia,qui nobilitatem huius maximæ omnium ciuitatis compilauerunt, eosq; uiros trucidatos uideri,quibus etiam illi poſt uictoriam obtemperaſſent? Et Romanos quidem,nunquam tranſgredi au ſos eſſe limitem profanorum,aut ſacratæ quicquam conſuetudinis præterire:ſanctorum autem ambitum,quamuis procul aſpectum,perhorreſcere:quoſdam uero in his locis natos,ac ſub noſtris moribus educatos,& qui Iudæi uocarẽtur,inter media ſancta deambulare, manibus adhuc ſuis gentili cæde calentibus? Quis igitur externum bellum metuat,ex comparatione domeſtici? Multo nobis æquior eſt inimicus.Nam ſi proprie rebus ſunt aptanda uocabula,fortaſſe reperietur, legum quidem conſeruatores nobis fuiſſe Romanos, hoſtes uero intus habere. Verum hos inſidiatores libertatis exitio deberi,neq; facinorũ eorum dignũ excogitari poſſe ſupplicium,certum eſt:idemq; omnibus uobis, & ante orationẽ meam eſſe perſuaſum,atq; ipſis uos rebus quas pertuliſtis,in eos eſſe cõmotos.Plerique autem fortaſſe multitudinem eorum , atq; audaciam reformidant:& præterea quod in loco ſuperiore conſiſtunt.Sed hæc ut ueſtra negligẽtia conflata ſunt, ita nunc magis proficient,ſi morabimur.Nam & numerus illorum in dies ſingulos alitur,eo quod nequiſſimus quiſque ad ſimiles profugiat: & audaciam plus accendit,quod nullum adhuc eius impedimentum interuenit,locóq; ſuperiore utuntur:& quidem cum apparatu iſidem plus damus.Quod ſi aduerſus eos ire cœperimus,humiliores erunt,mihi credite,conſcientiæ celſioris loci beneficium ratio perdet.Fortaſſe autem dei pariter ſpreta maieſtas,in ipſos tela retorſerit, ſuisq́ miſſilibus conſumentur impij. Videant nos tantummodo,& deiecti ſunt:quam pulchrum eſt,ut etiam ſi quod periculum immineat, pro ſacris ianuis moriamur:ac ſi non pro liberis & coniugibus , pro deo tamẽ eiusq́ ſanctis animas profundamus. Præbebo autem manum,atque ſententiam:& neque conſilium uobis ullum deerit ad cautionem,neque me corpori meo parcere uidebitis. His Ananus contra Zelotas populum hortabatur: non quidem neſciens iam expugnari uix poſſe , propter multitudinem ac iuuentutem , animorumq́ pertinaciam, multóq; magis propter conſcientiam commiſſorum . Nec enim conceſſum iri extremã ueniam his,quæ perpetrauerant,ſperabant:ueruntamẽ quidquis perpeti preſtabilius exiſtimabant,quàm in tanta rerum perturbatione tumultum cohibere.Populus autem duci ſe clamabat in eos,contra quos rogabatur:& ad ſubeunda quiſque pericula promptus erat. Sed dum Ananus magis idoneos diſcerneret, atque ordinaret ad prælium,Zelotæ cunctis conatibus eius cognitis (certos enim,qui omnia ſibi nunciarent,habebant) in pontificem commouentur: ac modo per cuneos ſimul uniuerſi proſiliunt, neque obuio cuiquam parcebatur. Cito autem & Ananus populum congreganit,multitudine quidem ſuperiorem : armis uero conſtipatis,nõ erant Zelotæ inferiores.Alacritas uero,quod

deerat,

deerat,in utrisq; supplebat. Nam & ciues,armis iram conceperant fortiorem: & qui de templo exierant,quauis multitudine maiorem audaciã. Quippe illi qui dem habitare se in ciuitate minime posse arbitrabantur, nisi Zelotas eximeret: hi uero nisi uicissent,nullum se non subituros esse supplicium. Manus autem con seruere pro ducibus,obedientes motibus animorum. Et primo quidem,in ciuitate ac pro tẽplo,eminus missis lapidibus, semet inuicẽ appetebant. Si uero aliqua pars terga uertisset,uictores gladijs utebantur. Cumq; plurimi sauciarentur,multæ cædes utrobique fiebant. Et populares quidẽ in domos referebãtur à suis. Zelotarum autem quicunque uulneratus fuisset,in templum ascendebat,sacram humum cruore perfundens: ut solo eorum sanguine uiolatam religionem recte quis dixerit. Semper quidem latrones excurrendo in congressionibus prævalebant. Irati uero populares,proficiente quotidie numero suo,cum desides increparent, quiq; à tergo sequebantur,non aperiendo fugiẽtibus uiam,inuitos eos repugnare compellerent, uniuersos quidem suos,in hostes conuertunt. Illis autem, quia uim ferre non poterant,paulatim ad templum recedentibus,irrumpit unà cũ sociis Ananus. Vnde factum est,ut eos,quod ambitu exteriori caruissent, metus inuaderet: ideóque in murum interiorem fuga recepta, mature ianuas occluderent. Verum Anano portis quidem sacris manus afferre non placebat: hostibus quoque desuper tela torquentibus,nefas esse existimans,etiam si uicisset,non lustratum prius populum introducere. Ex omni autem suorum multitudine, sex ferè armatorum milia sortitus,custodes eos in porticibus collocat. His autẽ,qui succederent,in excubijs alios per ordinem ponit. Multi autem honestorũ ab optimatibus ad id electi, mercede conductos pauperes uice sua præsidijs destinabãt. Fit autem his omnibus exitij causa Iohannes,quem ex Giscalis effugisse prædiximus. Is enim dolis plenus,& acerbissimam dominationis cupiditatem mente circumferens,iamdudum rebus communibus moliebatur insidias. Itaq; tunc eadem,quæ populus,sentire se simulans, aderat Anano: tam diebus cum proceribus capienti consilium, quàm noctibus peragranti custodias: omniáque secreta Zelotis renunciabat: nullumq́ue populi consilium non,priusquam caperetur,inimici sciebant eius indicio. Immoderatis uero & Ananũ,& populi principes placãbat obsequijs, ne in aliqua suspicione ueniret affectans. Sed hæc eius honorificentia in contrarium uertebatur. Erat enim ex adulationum uarietate suspectior: eóque ipso quod etiam non accitus assiduus erat, arcanorum proditor habebatur. Etenim prospiciebat Ananus, omnes qui ad se concurrerent intellegere,quæ Iohannes faceret, suspicionem nunciationis habebant. Submouere autem illum non erat facile,neque possibile,quod malitia prævaleret: ac præter hoc multorum non ignobilium, qui summis rebus adhibebantur, patrocinio succinctus erat. Visum est igitur ab eo sacramentum beneuolentiæ causa peti: nihilq́ue dubitans, & fidem populo se seruaturum iurauit, & neque factum eius inimicis ullum, neque consilium proditurum: unáque deponendis rebellibus,& manu & uoluntate operam collaturum. Itaque Ananus,eiusq; socij, quoniam iurato crediderunt, nulla iam suspicione suis eum consilijs adhibebant: móxque ac ijsdem concordiæ causa legatus intromittitur ad Zelotas. Curæ namque habebant

Committitur pugna.

Vinciuntur Zelotæ.

Iohannes Giscalenus consiliorum Anani proditor.

habebant, ne fanum culpa ſua pollueretur, néue quiſquam in eo procumbe/ret Iudæorum. Ille autem, quaſi Zelotis, ac non contra pro beneuolentia iurauiſ/ſet, egreſſus ad eos, medius conſtitit: & ſæpe quidem ſe illorum cauſa in magno periculo fuiſſe dixit, ne quid ſecretorum ignorarent, quæ in eos Ananus cũ ſocijs cogitaſſet. Nũc autem ingens cum ipſis omnibus ſubiturum eſſet diſcrimen, niſi diuinum quoddam præſto fuerit adiumentum. Nihil enim iam morari Ananũ: ſed perſuaſiſſe quidẽ populo, ad Veſpaſianum legatos mittere, ut ad capiendam ciuitatem quàmprimum uenire properaret. Indixiſſe autem luſtrationem poſte/ro die, ut religione ſimulata intromiſſi, uel etiam in prælio manus conſererent. Se autem non uidere, quàmdiu aut cuſtodias ſuſtinebunt, aut cum tanta manu acie congredientur. Ad hæc addebat, quod ipſe dei prouidẽtia tranſactionis eſſet cau/ſa legatus. Hac enim ſpe Ananum his proponere, quod nihil ſuſpicantes eos ſu/bito aggrederetur. Itaque oportere, ſi quis habendam uitæ rationem duceret, aut cuſtodibus ſupplicare, aut foris aliquod præſidium petere. Quos autem ſi uicti eſſẽt, ueniæ ſpes foueret, immemores eſſe audaciæ ſuæ credere, aut ſimul ac facto/res pœnituerit admiſſorũ, in gratiam ſtatim eos, qui perpeſſi ſunt redituros. Sed nocentium quidem ſæpe inuiſam etiam pœnitudinem fieri, læſis autem iram in licentiam ſæuiorem: imminere autem illis ait interfectorum amicos, atq; cogna/tos, totumq; populum pro diſſolutis legibus ac iudicijs indignatione flagrantẽ: ubi etiam ſi qua pars miſericordiæ fuerit maior, eam iraſcẽtium turba celabit. Ta/lia quidem uariabat Iohannes, terrorem incutiens multitudini. Externum uero auxilium, aperte quidem indicare quod diceret non audebat: Idumæos autem ſi/gnificabat. Vtq; principes Zelotarum priuatim etiam commoueret, crudelitatis Ananum arguebat, ipſis eum maxime minitari confirmans.

Idumæorum aduentus pro Heroſolymitanis & acta. Caput VI.

Eleazarus ſuadet Zelotis ab Idumæis petẽdum eſſe auxilium.

ERat autem Eleazarus Gionis filius, qui etiã præter alios idoneos eſſe uide/batur & recte conſulere, & quæ conſuluiſſet efficere, itemq; Zacharias filius Amphetali, uterq; à ſacerdotibus genus ducens: Hi, præter communes, etiã priua/tis interminationibus cognitis, quodq; Anani factio potentiæ ſibi comparandæ cauſa Romanos accerſeret (nam & hoc Iohannes affinxerat) diu quid agerẽt du/bitabant, anguſti tẽporis feſtinatione concluſi. Populum enim haud multo poſt, eos aggredi paratum eſſe cogitabant: Externi uero ſubſidij facultate, inſidiarum ſibi celeritate præcepta, prius fore ut omnia paterentur, q; ut auxiliatorum quiſ/quam iſta cognoſceret: Aduocari placuit Idumæos: ſcriptáque breuiter epiſtola, quod circumuento populo Ananus uellet Romanis metropolim prodere: ipſi au/tem pro libertate diſſidentes, in tẽplo cuſtodirentur: minimamq; temporis ſalutẽ ſibi promitteret: Ac niſi mature ſubuenirent, ipſos quidem Anano atq; inimicis, at uero ciuitatem Romanis ilico ſubiugandã. Et pleraq; nuntijs ad rectores Idu/mæorum referenda mandabat. Ad hoc etiam lecti ſunt uiri ſtrenui, & dicẽdi peri/tiſſimi, & ad perſuadendum ſatis idonei: quódq; his rebus eſſet utilius pedum ue/locitate præſtantes. Nam Idumæos confeſtim parituros certum erat, quod tur/barum cupiens & incondita eſſet natio, ſempérque ad motus facilis atque ſuſpen/ſa, & rerũ mutationibus læta, minimisq; petentium blãditijs ad bella promptiſ/ſima;

ſima:& uelut ad feſtorum quandam ſolennitatem,ſic ad prælia properans.Celeritatem autem nuntij exigebant, atque iſtis nihil deerat alacritatis. Vterque autē Ananias uocabantur.Iamqúe rectores aderant Idumæorum. Illi autē ſimul epiſtola mandatisqúe attoniti,quaſi furibundi circūcurſare gentem,militiamqúe denunciare cœperunt.Itaque mox,& dicto citius multitudo cōuenerat: omnésque pro libertate metropoleos arma rapiebant.Congregati autem propè ad uiginti milia,cum ducibus quatuor Hieroſolymam ueniunt:hoc eſt Iohanne,& Iacobo, Soſæ filio,& præterea Simone Thacei,& Phinea Cuſoth filijs. Ananum autem profectio legatorum,itemq; & uigiles eius non latuit,necnon & impetus Idumæorum.Hoc enim ante cognito ,portas eis clauſit, & muris cuſtodes appoſuit.Nō tamen uiſum eſt bello cū his congredi,ſed uerbis eis ante perſuadere cōcordiam. Stans ergo in aduerſa turri poſt Ananum Ieſus , æuo pontificum longiſſimus: Cū multæ,inquit,& uariæ turbæ tenuerint ciuitatem,in nulla re ſic miranda fortuna eſt,ut in eo,quod peſſimis etiam inopinata conſpirant. Etenim perditiſſimis hominibus contra nos auxilio ueniſtis,tanta cum alacritate,quanta nec in Barbaros aduocante uos metropoli uenire decuiſſet.Et ſi quidē uiderem conſenſionem ueſtram ſimilem eſſe horum hominum qui uos rogauerunt,non exiſtimarē impetum capere rationem. Nihil enim æque ac morum cognatio concordiam firmat.Nunc uero illi,ſi quis eorum ſingulos explorauerit,mille mortibus digni reperientur.Nam ludibria & purgamenta totius ruſticæ plebis,luxu abſumptis patrimonijs ſuis,poſtquam in uicis & ciuitatibus proximis audaciam exercuere, poſtremo in ſacram ciuitatem clàm influxere ut latrones,ſolumqúe religioſum immanitate polluerunt ſcelerum:eósque uideas ſine metu inter ſancta ebrios,& auiditate uentris peremptorū ſpolia conſumentes. Veſtra uero multitudo,armatorumqúe talis ornatus eſt, qualem deceret eſſe,ſi publico uos concilio metropolis inuitaret,in alienigenas laturos auxilia.Quid igitur hoc eſſe quis dixerit,niſi fortunæ iniuriam:cū pro nequiſſimis conueniſſe & integre nationis ueſtræ arma uideantur conſpirare? Iamdudum quidem reperire nequeo,quidnam fuerit quod uos tā cito commouerit. Nec enim ſine magna cauſa fieri potuiſſet,ut arma pro latronibus aduerſus cognatū populū caperetis,quod Romanos audiſtis & proditionem.His enim quidā ueſtrum obſtrepebant nunc , liberandæ metropoleos cauſa ueniſſe dicentes.Vnde mirati ſumus præter alia noxiorum,tale cōmentum. Viros enim naturalis libertatis amatores, eóq; cū externis hoſtibus pugnare paratiſſimos,aliter contra nos efferare non poterant,quàm uaſtatæ libertatis proditione mentita.Sed enim uos conſiderare oportet,qui nos inſimulauerint:idemq; in nos ueritatis ex rebus cōmunibus,nō ex ficto ſermone colligere.Quid em̄ paſſi,nunc demum non dederimus Romanis,cum ab initio licuerit aut ab his nō deficere,aut quia defecimus,cito uenire in gratiam, prius q̄ circa nos omnia uaſtarentur? Nanq; iam,ne uolentibus quidem nobis,tranſactio facilis eſt:cum & ſuperbos eos effecerit Galilæa ſub iugum miſſa:mortéque grauiorem afferat turpitudinem, appropinquantes placare.Et quidem quod in me eſt, pacem morti antepono. Semel autem bello appetitus,poſtq̄ pugna cōmiſſa eſt,glorioſam mortem uitā captiui exiſtimo potiorem.Sed utrum nos populi principes aiunt dim

Idumæorū uiginti milia cōtra Ananum.

miſiſſe

miſiſſe aliquem ad Romanos,an etiam totum populum communi ſuffragio? Siquidem nobis dicant,quos amicos miſerimus,qui ſerui fuerint proditionis mi niſtri.Cū iret aliquis deprehenſus eſt,rediens captus eſt,literas nacti ſunt? Quē admodum autem tantam ciuium multitudinem lateremus, cum quibus omni hora uerſaremur? Paucis etiam,atq; his induſis,qui de templo ne in ciuitatem quidem prodire poſſent,quo pacto ſunt cognita,quæ occulte extra ciuitatem fie rent? An uero nunc cognouere,quando auſorum pœnæ reddendæ ſunt? Donec autem ſine metu fuere,neminem noſtrum proditorem ſuſpicabantur.Sin ad po pulum cauſam referunt,(publicum habuit nempe concilium)nemo aberat con cioni:ideoq; manifeſtior ad uos nūcius fama citius properaſſet.Quid autē opus erat legatos mittere,cum certa nobis eſſet de trāſactione ſententia? Et quis deſi gnatus ſit dicant? Sed hæ quidem male periturorum,& inſtantes pœnas euita re cupientium cauſationes ſunt.Quin etiam ſi ciuitatem manentem prodi ſors afferret:id quoq; ipſos qui nos criminantur,auſuros:quorum audaciæ unū ma lum uidetur deeſſe proditio. Vos autem oportet, quia ſemel cum armis adeſtis, primum(id quod eſt iuſtiſſimum)adiuuare metropolim,& unà nobiſcum tyrā nos eximere,per quos iudicia diſſoluta ſunt:qui calcatis legibus iura ſuis gladijs permiſere:deniq; nobiles uiros non incuſatos, ex medio raptos foro, primum uinculis cruciarunt:deinde non uoce neq; prece eorum morati,neci tradiderunt. Licet autem uobis non belli lege ingreſſis,horum uidere argumentum,quæ di xi,deſolatas domos rapinis, coniuges in ueſte lugubri, ac familias peremptō rum,& per totam ciuitatem ululatus & fletus.Nullus enim non perſecutionem expertus eſt impiorum.Qui ad hoc inſaniæ prorupere,ut latrocinalem audaciā non ſolum ex agris atq; alienis ciuitatibus in hanc,quæ & caput & facies gentis eſt,ſed in phanū etiam ex ciuitate tranſferrent.Deniq; hoc ſibi & ad excurſus & ad perfugium elegerunt,iſq; fiſcus illis eſt eorum quæ in nos comparantur:& lo cus toti orbi terræ uenerabilis,quiq; ab uniuerſis alienigenis, ab extremo limite mundi uenientibus,honoratur,per has quæ apud nos præternatæ ſunt beſtiæ conculcatur.Exutis autem rebus deſperatis, populos committi populis,& ciuita tibus ciuitates,gentesq; in ſua uiſcera delectum habere : cum debueritis (ut di xi)quod factu eſſet optimum ac deceret,nobiſcum nocentes eximere: atq; hanc ipſam fallaciam ultū ire,quod auxilio uos aduocare auſi ſunt,quos metuere uin dices debuiſſent. Quod ſi eiuſmodi hominū preces reuerendas putatis,attamen licet uobis armis depoſitis,cognatorum habitu introire ciuitatem:medioq; inter hoſtes atq; auxiliatores ſuſcepto nomine,de noſtris diſcordijs iudicare: quanq; reputate quid habebunt commodi,cum de manifeſtis ac tātis criminibus apud uos cauſam dicturi ſunt,qui hominibus non accuſatis,ne uerbum quidem face re permiſere.Ferant igitur hāc ex noſtro aduentu gratiam.Si uero neq; nobiſcū indignari neq; iudicare uultis,tertium reſtat,ut relictis utriſq; partibus, nec no ſtris cladibus inſultetis,nec cum inſidiatoribus metropoleos maneatis.Nam etſi maxime quenquam noſtrum ſuſpicamini Romanis collocutum,obſeruare uo bis itinera licet:tumq; demum tueri metropolim,cum factum aliquid huiuſmo di patuerit,quale delatum eſt,& in autores eius,ſi cōuicti fuerint,uindicare.Non

enim uos præueniũt hoſtes, iuxta ciuitatem ſedibus poſitis. Sin horum nihil uobis gratum aut mediocre uidetur, ne portarum clauſtra miremini, quatenus arma portabitis. Hæc quidem Ieſus loquebatur. Idumæorum autem nequaquam multitudo animum attendebat, ardens iracundia, quod non paratum habuiſſet introitum, procp armis interſe duces indignabãtur, captiuitatem eſſe exiſtimantes, ſi ea quibuſdam iubentibus depoſuiſſent. Vnus autem ducum Simon filius *Cathla, uix placato ſuorum tumultu, ſtans in eo loco unde exaudiri à pontificibus poſſet, nõ iam mirari ſe ait, ſi libertatis propugnatores in templo cuſtodiẽtur incluſi, cum illi cunctæ genti communem dauſerint ciuitatem. Et Romanos quidẽ fortaſſe, coronatis etiam portis recipere ſint parati, Idumæos aũt ex turribus alloquantur, captácp iubeant pro libertate arma proiicere, cognatiscp nõ credentes cuſtodiam ciuitatis, iudices eos diſcordiarum fieri uellent: & alios accuſando quod indemnatos ciues occiderint, ipſi totam dãnent ignominia nationẽ: nicp urbem omnibus alienigenis religionis cauſa patentem, nũc domeſticis præcluſiſtis. Valde enim contra uos feſtinabamus, & ad gerendum cũ gẽtilibus bellum: qui ob hoc adeſſe properauimus, ut uos ſeruaremus liberos. Nempe taliter uos etiam hi quos obſidetis læſere, tanquam ueriſimiles puto ſuſpiciones in illos quocp colligitis. Deinde qui reip. defenſores ſunt intus in cuſtodia tenẽtes, genere coniunctiſſimis, gentibus ſimul uniuerſis ciuitatem præcluſam, tyrannidẽ perferre dicitis: cum tam contumelioſis nos iubeatis obtẽperare præceptis, nomencp potentiæ alijs, qui uos tyrannos patiuntur, annectitis. Quis cauillationem ueſtri ſermonis tulerit, cum rerum repugnantiam uideat? Etenim uobis etiam nũc Idumæos excludẽtibus ciuitate (nancp ipſi nos à patrijs ſacris arcetis) recte quis eos incuſauerit qui cuſtodiuntur in templo? Quod cum auſi eſſent plectere proditores, quos uiros nobiles & innocentes pro ſocietate facinoris dictitaſtis, non à uobis inceperint, ſummácp proditionis membra præciderint. Sed licet illi mollires quàm res poſcebat inuenti ſunt, nos tamen domicilium dei ſeruabimus Idumæi, & pro communi patria propugnabimus: tamcp foris irruentes, quàm intus inſidiantes, hoſtes pariter ulciſcemur. Hic autem manebimus pro muris armati, donec aut uos Romani aſpiciendo liberent, aut ipſi recuperata libertatis cura mutemini.

Aliàs Cazie.

Oratio Simonis ducis Idumæorum ad Hieroſolymitas.

De clade Iudæorum ab Idomæis facta. Caput VII.

HIs dictis Idumæorum quidẽ multitudo clamore conſenſit. Ieſus autem triſtis receſſit, cũ nec Idumæos quicqp ſentire moderatum, & duplici bello oppugnari ciuitatem uideret. Quippe nec Idumæorũ tumor & ſpiritus quieſcebat, indigne ferentium contumeliam, quod eſſent ciuitate prohibiti, & quod Zelotarum uires eſſe infirmas crediderant, erubeſcẽtium, poſtcp nihil eos ſibi auxiliari poſſe uiderent, ut iam ueniſſe pœniteret. Pudor autem nulla re penitus geſta, redeundi pœnitudinem ſuperabat. Itacp ibidem prope murũ temere tabernaculis poſitis, manẽdũ eſſe ſtatuere. Infinita uero hyems nocte illa uenit, uẽticp uiolentia cum imbribus orti ſunt, & crebra fulgura, horrẽdácp tonitrua, concuſſácp terræ uaſti mugitus: certumcp erat apud omnes, hominũ exitio mũdi ſtatũ eſſe turbatũ, necp paruũ quid rerũ hæc ſigna portendere. Vna uero Idumæis & opi-

Horrẽda tẽpeſtas orta.

pidanis

pidanis erat opinio: illis quidē, iraſci deū militiæ cauſa, exiſtimātibus: neq; ſe poſſe euadere, ſi aduerſus metropolim arma mouiſſent: Anano autem eiusq; ſocijs, etiā ſine prælio uiciſſe, deumq; pro ſe bellū adminiſtrare credētibus. Sed profecto falſi erāt interpretes futurorū, & quæ ſui paſſuri eſſent, cōtra hoſtes fore diuinabāt. Verum Idumæi quidem cateruatim denſatis corporibus inuicem ſe * defendebant, ſcutisq; contextis protecti capita minus pluuia lædebantur: Zelotæ aūt magis illorū quàm ſuo periculo cruciabantur: collectiq; deliberabant, ſi quā reperire ſubſidij machinā illis poſſent. Horū autē ardētioribꝰ uidebatur, ui armorū cuſtodes inuadere: atq; ita in ciuitatē impetu facto, palàm portas auxiliatoribus aperire. Nā & cuſtodes ex improuiſo, & quod plures inermes ac belli expertes eſſent, facile turbatum iri, & multitudinem ciuiū difficulter colligi poſſe: quoniam domi quiſq; propter hyemē cōtineretur. Quin & ſi periculum aliquod interuenerit, quiduis ſubire, quàm negligere tot copias ſui cauſa turpiter perituras. At qui prudentiores erant, uim quidē adhiberi diſſuadebant. Non enim ſui tantum cauſa cuſtodes ampliari, ſed etiam ciuitatis murū uidebāt propter Idumæos diligentius cuſtodiri, & ubiq; adeſſe Ananū, omnibuſq; horis inuiſere cuſtodias exiſtimabāt: ſed hoc alijs noctibus ita habuerat. Illa uero, non ſua deſidia requieuerat, ſed ut & ipſe & cuſtodū manus fato duce interirent. Nanq; iam nocte prouecta, & * gliſcēte hyeme, cuſtodes in porticu diſpoſitos opprimit ſomnus. At Zelotis conſilium ſubit, ut ferris templo ſacratas portarum uectes ſecarent. affuit autem illis, ne exaudiretur crepitus, uentorum ſonus, & crebra tonitrua: fanoq; egreſſi, ad murum clanculo ueniunt, ſeratamq; portam, quæ ad Idumæos erat, aperiunt. Illi autem primum Ananum conari aliquid ſuſpicati, unuſquiſq; Idumæorum ad gladium quaſi rebellaturi ſe applicant mature: deinde his qui ad ſe uenerāt agnitis, introibant. Qui quidē, ſi tunc manus uertere in ciuitatem uoluiſſent, nihil obſtabat quo minus ſimul totus populus interiret: tanta ira ferebantur. Verum Zelotas primo eximere cuſtodia feſtinabant: illis quoq; multum precātibus, qui eos receperāt, ne deſpicerēt malis obſeſſos, quorū gratia uenerāt, neq; his acerbius periculū importarēt. Captis enim cuſtodibus, facilioré illis in ciuitatē impetū fore: ſed ſi ſemel eos concitaſſent, iā illos contineri non poſſe: cū ſi ſenſerint congregarentur, & per aſcenſus nitentibus ſe opponerent. Idem igitur Idumæis uiſum eſt: iamq; in templum per ciuitatē ſubibāt, cū ſuſpenſi Zelotæ, aduentum eorum præſtolarentur. Denicq; his ingreſſis, etiam ipſi cōfidenter ex interiori fano progreſſi ſunt, mixticq; Idumæis in cuſtodes irruerūt. Cæſis autem nonnullis, quos ſomnus oppreſſerat, omnis multitudo ad clamorem uigilātium ſuſcitata eſt, raptiſque armis ad ulciſcendū non ſine ſtupore properabant. At primum quidem Zelotas ſolos conari aliquid ſuſpicantes, quaſi eos ſuperaturi numero confidebant: Vbi uero foris alios circūfundi uiderent, Idumæos irrupiſſe ſenſere. Et maior quidē pars eorū, armis pariter animiſq; depoſitis in queſtibus erant. Pauci uero iuuenū fortiter cōmuniti, occurrēdo Idumæis, aliquandiu ſegniorē multitudinē protegebāt: alij cladē ciuitatis habitatoribus nunciabāt. Illorū aūt auxilio uenire nullus audebat, cognito Idumæos irrupiſſe. Sed ipſi quoq; irrita uociferantes, cum fletibus reſpondebāt: plurimusq; mulierum

Aliàs foue bāt.

Aliàs algente.

Idumæi clā à zelotis in urbē intromiſſi.

ululatus ſuſcitabatur,ſi quãdo cuſtodũ quiſquàm in periculũ aliquod incidiſſet. Quin & Zelotæ Idumæorũ damorẽ geminabãt,magiſcꝫ horribiles tempeſtas faciebat omniũ uoces. Nemini aũt Idumæi pepercere,quod natura crudeliſſimi ad cædes erant,& hyeme grauiter afficiebãtur: propterea cꝫ his,qui ſe excluſerãt ut inimicis utebantur,tam ſupplicãtibus quàm repugnantibus infenſi. Multos etiã cognationem referentes, utcꝫ cõmune phanum reuererẽtur orantes,gladijs tranſfigebant. Nullus autem fugiendi locus ,neqꝫ ſpes ſalutis erat. Compulſi autem circa ſe,magiſcꝫ ui oppreſſi laniabantur,cum recedendi ſpatium non daretur,nec interfectores à cædibus temperarẽt. Incerti autem quid agerent,in ciuitatem ſe præcipitabant:miſeri(ut mihi uidetur)eo quod fugiebant, uoluntarium ſubeuntes exitium,donec templum exterius ſanguine redundauit. Octo autẽ milia & quingentos mortuos dies inuenit. Nec tamen his Idumæorum ira ſatiata eſt: ſed uerſis in ciuitatem manibus, omnes domos diripiebant: quemcꝫ fortuitu inueniſſent,morti dabant. Et cæteræ quidem multitudinis cædem ſuperuacuam eſſe ducebant: Pontifices autem perueſtigabant, & in illos plericꝫ ferebantur,ſtatimcꝫ comprehenſos obtruncabant:aſtantescꝫ ſuper eorum cadauera, nunc Anano populi beneuolentiam, nunc Ieſu quæ de muro dixerat exprobrabant. Ad hoc autem impietatis progreſſi ſunt,ut etiam *inſepultos eos*
Ananus pontifex. abiecerint: cum præſertim Iudæis tanta ſepulturæ cura ſit,ut etiam *iudicio cruci* ſuffixos,ad occaſum ſolis deponãt atcꝫ ſepeliãt. Et quidẽ nõ errauerim,ſi Anani mortẽ dixero excidij ciuitatis fuiſſe principiũ,& ex illo die muros euerſos remcꝫ publicam Iudæorum periſſe, quo pontificem rectoremcꝫ ſalutis ſuæ iugulatum in media ciuitate uiderunt. Erat autem & aliâs uir laudabilis atque iuſtiſſimus,& præter nobilitatis ac dignitatis & honoris,quo erat præditus,amplitudinem, infimis amabat æquari. Libertatis autem maxime fautor erat, & *is* qui populi affectaret imperium. Commodis autem propriis communes ſemper utilitates anteponebat,ſuper omnia paci ſtudens. Sciebat enim Romanos non poſſe expugnatum iri: ac proſpiciebat, ut ſi paciſci utiliter nequiſſent Iudæi, uel inimici ſuperaſſent,ut breuiter dicam,cum Anano uiuo ad tranſactionem ueniſſent. Mirus enim erat dicere,mirus populo perſuadere quæ uellet. Iam uero impedientes bellantescꝫ ſubegerat. Plurimum enim moræ ſub tali duce attuliſſent Romanis. Huic iunctus erat ab utracꝫ Ieſus, illo quidam comparatione inferior,ſed præſtans cæteris: ut putem deum,qui tanquam uiolatam ciuitatem perire flammis, purgaricꝫ ſancta uellet,conſulto defenſores eorum, & qui ea chariſſima ducerent amputaſſe. Itacꝫ pauloante ſacris indumentis amictos,ac toto orbe celeberrimæ religionis autores, quicꝫ undicꝫ ciuitatem commeantibus uenerabiles habebantur, iacere nudos prædam canibus ac feris uideres. Quos quidem uiros ipſam puto genuiſſe uirtutem,tantum licuiſſe uitijs, flentem.

Flauij

FLAVII IOSEPHI DE

BELLO IVDAICO LIBER QVINTVS.

De altera ſtrage,& reditu Idumæorum, Zelotarumq; crudelitate.

Caput I.

Nano quidē & Ieſu eiuſmodi finis euenit. Poſt illos uero tam Zelotæ quàm Idumæi paſſim plebē, quaſi nefandorum animalium gregem, irruendo mactabant. Et uulgus quidem in quolibet loco deprehenſum necabatur: correptos autem nobiles & adoleſcētes, uinctos in carcerem cōcludebant, ſpe, nonnullos eorum ſibi poſſe ſociari nece dilata. Verum hæc nullum mouebant, ſed cuncti mortem præoptauerant, dum modo ne aduerſus patriam communem nequiſſime conſpirarent, ſæuiſſima tamen ante cædem uerbera ſuſtinebant, exulcerati plagis atque tormentis. Cumque iam corpus non ſufficeret cruciatibus, tandem gladium merebantur. Quos autem die cepiſſent, eos in cuſtodiam nocte ducebant, extractoſque inde, ſi quos mori contigiſſet, abiiciebant, ut uinctis aliis locus eſſet. Tantus autem populum pauor occupauerat atq; formido, ut ne flere quidem palàm quiſq;, ſiue ſepelire propriū funus auderet. Sed erant occultæ clauſorum etiam lachrymæ, & ne quis inimicorum audiret, circunſpectantes gemebant. Paria nanq; his qui lugebantur, etiam qui luxiſſent ilico patiebantur. Exiguam uero nocte ſublatam terram manibus, corporibus iniiciebant, & nonnunquam die, ſi quis fuiſſet audacior. Duodecim autem milia hoc modo nobilium periere. Illi autem iam cædis exoſi, nullo pudore iudicij uim & cognitionis cauillando imitabantur. Itaq; cum illuſtrium quendam Zachariam Baris filium interficere decreuiſſent (iritabantur enim quod nequiſſimis inimicus nimis erat, & probis amicus, itemq; locuples) neq; ſolum fortunarum eius direptionem ſperarent: ſed etiam remotum iri uirum ad ſe deiicendos potentem, ſeptuaginta plebeiorum honeſtiſſimos ex præcepto conuocant, iudicum ſpecie poteſtate carentes, & apud eos Zachariam, quaſi res proderet Romanis, accuſant: quodq; ad Veſpaſianū proditionis cauſa miſiſſet. Sed neq; argumentum, neq; ulla probatio criminis erat. Ipſi autem miſiſſe dixerūt, & hoc haberi pro fide ueritatis uolebant. Zacharias autem ubi nullam ſpem ſalutis ibi relictam eſſe uidit, per inſidias non in iudicium ſed in carcerem ductus, uitæ ſuæ deſperationē libertate non priuauit: ſed exorſus ueri quidē ſimilitudinem obiectorum deriſit, & illata ſibi crimina breuiter diluit: in accuſatores autem ratione conuerſa, omnes eorum iniquitates per ordinem proſecutus eſt, multaq; de perturbatione rerum querebatur. Zelotæ uero obſtrepentes, uix à gladiis temperabant, ſpeciem cauillationemq; iudicij ſui uſq; ad finem permanere cupientes, & præter hoc iudices experiri, an periculoſo tēpore iuſticiæ memores forent. Igitur omnes ſeptuaginta pro eo ſententiā ferūt, & pro eo mori, quàm ſibi aſcribi eius

Iterū duodecim milia nobiliū ab Idumeis trucidata.

Zacharias accuſatur à zelotis.

Zacharias absoluitur. Zacharias in templo occisus à zelotis.

interitum maluere. Illo uero absoluto Zelotarũ clamor tollitur, & uniuersis quidem iudicibus irascebantur, qui simulationem datæ sibi potestatis non intellexerant. Duo uero ex audacissimis aggressi Zachariam, in medio templo interficiunt, & illudendo, habes, inquiunt, & à nobis de absolutione sententiam certiorẽ: Eumq; statim in subiectam uallem de templo proijciunt. Iudices uero, contumeliæ causa uersis gladijs feriẽtes, templi ambitu pepulere. Cædi enim eorũ pepercerant, ut dissecti per ciuitatẽ, nuntij fierẽt apud omnes seruitutis. Idumæos iam uenisse pœnitebat, neq; his gesta placebant. Quibus collectis Zelotarũ quidã secretò indicabat uniuersa, & quæcũq; hi qui eos aduocauerant scelerate fecissent, omnia demõstrabat: arma quidẽ cepisse eos, quasi Romanis à pontificibus metropolis proderetur, reperisse aũt nullũ proditionis indicium. Illos uera qui tutari eã simularent, & belli facinora ausos, & tyrannidis ab initio quidem prohibendos fuisse. Verũ quia semel in societatem intestinæ cædis incidissent, finem delictis adhibendum, neq; uires omnibus suggerendas morẽ patrũ destruentibus. Nam & si portas grauiter ferrent sibi atq; in oppidũ aditũ esse præclusum, pœnas ab his qui prohibuerant esse repetitas, & Ananũ quidem peremptũ, una uero nocte populum totum penè consumptũ. Quarum rerũ multos quidem suorum pœnitere sentirent: eorũ autem uiderent, à quibus rogati essent, crudelitatẽ immensam: ne ipsos quidem per quos salui erãt erubescentiũ: *in oculis enim auxiliatorũ* pessima facinora cõmittere, illorũq; iniurias Idumæis imputari, quatenus ea non prohibeãt, neq; ab his separentur. Debere igitur (quoniã de proditione quæ dicta sunt, calũniã fuisse patuisset, nullusq; Romanorum impetus timeretur, aduersus ciuitatẽ uero inexpugnabilis esset potentia corroborata) illos domũ recedere: malorumq; societatatem uitãdo cuncta diluere flagitia: quorũ nõ spõte, sed decepti participes extitissẽt. Persuasum est Idumæis. Et primũ eos qui erãt in custodijs soluunt, propè ad duo milia populariũ: statimq; relicta ciuitate, ad Simonẽ ueniunt, de quo paulo post cõmemorabimus: deinde domum ex Hierosolymis abiere. Euenit autem eorum discessum utrisq; pariter inopinatũ uideri. Nam & populus nescius pœnitudinis, paululum fiducia recreatus est, uelut inimicis leuatus: & Zelotarum creuit insolentia, quasi nõ auxilijs caruissent, sed ijs essent liberati, quorum pudore ac reuerentia criminibus temperabãt. Deinde nulla iam erat facinorũ mora neq; cunctatio, sed festinatis quidem cõsilijs in rebus singulis utebantur. Quæ uero placuissent, ipsa cogitatione citius perage bant. Maxime autem in uiros fortes atq; insignes, cædibus sæuiebant: cum inuidia nobilitatem assumerent metu uirtutum: unamq; cautionem putarent, nullum optimatum supersesse. Itaq; occisus est & cũ multis alijs * Gorgion, dignitate simul & genere præstans, & plus posse populum gaudens, plenusq; spiritu, libertatis amator ut nullus alius Iudæorum, quem tamen libertas præter alias uirtutes perdidit. Sed neq; per abdita quidem Niger eorum manus effugit, bellis cum Romanis gestis uir strenuus cõprobatus: qui etiam sæpe uociferans, & cicatrices ostendens, per mediam ciuitatem trahebatur. Ductus uero extra portas, desperata iam salute, ne sepultura careret supplicabat. Illi autem prius interminati, quod humum ei quam desiderabat concessuri non essent, mox etiam mortem intulere.

Zelotarum crudelitas.

Alias Gorgon. Gorgion occiditur.

Niger occiditur.

intulere. Qui tamẽ cũ occideretur, Romanos eis ultores imprecatus est: famẽq; præter bellum ac pestilẽtiam: & ad hæc omnia ipsorũ mutuas manus, eaq; uniuersa confirmauit apud impios deus, & quod iustissimum esset effecit, ut audaciam suam quàm primum experirentur inter se dissidentes. Niger quidem occisus, quot habebant de oppressione sui metus leuauit. Pars autem plebis nulla erat, cui non ad interitum excogitabatur occasio. Nanq; alij quod iam dudum aliis ciuibus restitissent interficiebantur: qui uero nihil offenderant, subitas pacis tempore excipiebant causas. Et qui omnino libere eos non adissent, pro contemptoribus: qui uero obsequentes, pro insidiatoribus habebantur: unaq; maximorum criminum & mediocrium pœna, mors erat. Neq; euasit quisquam, nisi aut ignobilitate aut fortuna perhumilis.

De intestina discordia Hierosolymorum. Caput II.

ROmani autẽ omnes quidẽ ad ciuitatem animos intendebant, hostiũ dissensionẽ lucrum sibi esse censentes: At Vespasianum, penes quem summa rei potestas erat, incitabant diuinæ prouidentiæ, firmantes auxilio in semet hostes esse conuersos: ueruntamen uelox esse momentum, & Iudæos cito in concordiã redituros, aut intestinis malis defessos, aut redactos in pœnitudinem. Ad quos Vespasianus ait: Plurimum eos quid fieri conueniat ignorare, tanquam in theatro cupientes quantum armis ac manibus possent, ostentare potius cum periculo, quàm secum ipsi quid esset utile reputantes. Nam si statim ciuitatem aggrederentur, ipsos causam hostibus fore concordiæ, ac uires eorum etiam nunc uigentes in se prouocaturos. Sin operirentur, paucioribus ac moderatioribus his usuros, domestica seditione consumptis. Deum nanq; melius cẽq; ipsos disponere, qui sine labore Iudeos Romanis traderet, nulloq; periculo exercitui uictoriam condonaret. Proinde manibus proprijs intereuntibus inimicis, maximoq; malo, hoc est, seditione turbatis, oportere se magis periculorum spectatores esse debere, quàm cum hominibus mortẽ appetẽtibus, atq; intestina rabie insanientibus, manu confligere. Si quis autem putauerit uictoriæ gloriam sine prælio fieri uiliorem, sciat, inquit, armorũ incerto exitu cõmodius esse commode perficere quod intendit. Neque enim manu prædaros esse minus laudabiles, qui paria gesserint moderatione atque prudentia. Simul autem dum hostes imminuentur, etiam milites ex laboribus assiduis recreatos ualentiores ductum iri. Præterea non id esse tempus, ut mature occupanda uideatur uictoriæ claritudo. Nec enim armis construendis, aut muris uel auxilijs congregandis Iudæos operam dare, atq; ideo moras differentibus nocituras, sed bello domestico ac dissensiõe tumidos, miserabiliora pati quotidie, quàm ipsi eos captos afficerent intromissi. Proinde si quis studiose consideret, sinendos esse qui semet absumerent, siue facti ad gloriam dariorem, nequaquàm manus intestino morbo laborantibus afferendas: siquidem ratione recta dicetur, non ipsorum sed discordiæ fuisse uictoriam. Hæc Vespasianus: eiq; dicenti rectores militum consentiebant: moxq; apparuit quàm utile fuisset eius consilium. Nanq; in dies singulos multi ad eum confluebant fugiendo Zelotas. Erat autem fuga difficilis, quod oẽs exitus custodibus obsidebãtur. Et si quis ibi qualibet ex causa deprehẽ

ſus fuiſſet,uelut ad Romanos ire cuperet,interficiebatur.Qui tamen eis dediſſet pecuniam,ſaluus abibat,& qui non dabat,ſolus proditor habebatur. Reſtabat igitur,pecunioſis fugam redimẽtibus,ſolos paupcres iugulari. Mortui uero per omnes uias congregabantur innumeri,multiq; etiam tranſſugere cupientium, rurſus in ciuitate perire præoptabant.Nam ſpe ſepulturæ in patria mori tolerabilius uidebatur.Illi aũt ad hoc crudelitatis deuiauerãt,ut neq; intus neq; per itinera,occiſis humũ cõcederẽt:ſed ueluti cũ patrijs legibus etiã naturæ iura diſturbare pepigiſſent,ſuaq; in homines iniuſticia diuinitatem quoq; polluere,ita ſub ſole putreſcere mortuos relinquebant.Sepelientibus autem ſuorum funera, idẽ quod tranſſugis,imminebat ſupplicium mortis: ſtatimq; ſepultura indigebat, qui hanc alteri præſtitiſſet, & ut breuiter dicam,nulla tam bona,quàm miſericordia.Perierat in illis cladibus mentis affectio:hisq; iritabantur noxij, quæ miſerãda uidiſſent,à uiuis in mortuos,à mortuis in uiuos iracundiã trãſferẽtes. Modũ aũt excedente metu ſuperſtitibus,mortui adepti requiem, beatiores uidebãtur,& qui erant in cuſtodijs,comparatione ſui cruciatus,inſepultos quoq; fortunatiſſimos demonſtrabant.Omne quidem ab illis ius hominum calcabatur, nidebatur etiam diuinitas, prophetarumq; reſponſis tanquam uulgaribus fabulis illudebant. Cum uero multa contemſiſſent de uirtute ac uitijs ſtatuta maiorum,etiam quæ in patria olim prædicta fuerant,uera eſſe exitu probauere. Ve-

Vulgatum olim præſagium de capienda urbe

tus enim quidam ſermo ferebatur,tunc demũ ciuitatem captũ iri,ſancta quoq; flammis exuręda eſſe,cum lege belli ſeditio fuiſſet exorta,fanumq; dei propriæ manus ante uiolaſſent.Quibus Zelotæ,nihil de eorũ fide dubitãtes, miniſtros ſe præbuerant.

De Gadarenſium deditione & ſtrage. Caput III.

AT Ioannes iamdudum tyrannidem affectans,parem cum ſimilibus honorem habere dedecus exiſtimabat:paulatimq; ſibi nequiores adiũgens, ab eorum affectione ſeparabatur.Semper autem aliorum decretis non obediẽdo, ſuaq; iubendo imperioſius,quod ſolus dominari cuperet non latebat:eiq; ſocie bantur nonnulli metu,alij gratia(mirus enim erat oratione atq; fallacia perſuadere quæ uellet)multi uero propterea quod ſibi tutum eſſe ducebãt,priorum de lictorum cauſas uni potius aſcribi q; omnibus. Ad hæc quia manu ſtrennuus erat,& bonus conſilio,ſatellites non paucos habebat,etſi magna pars eum contrariæ factionis reliquerat.Apud quos etiã liuor nõnihil ualebat, graue putantes ut paulo ante pari ſuccũberent.Plus aũt metus eos, ne ſub unius poteſtate uiuerẽt,exagitabat.Nec enim facile ſperabãt eũ,ſi ſemel obtinuiſſet,deijci poſſe: occaſionemq; in ſe habiturum timebant,quod in principio reſtitiſſent.Proinde quiſq; bello quiduis pati decreuerat,quàm ſponte ſeruiens mancipij loco perire. His quidem ſedito diuiditur,& Ioannes in cõtraria diſſentientibus parte regnabat. Sed inter ipſos quidem munita omnia erant cuſtodibus: nihil aut parum agebatur,ſi quando armis prælium laceſſebant.In populum uero uel maxime contentionem ſuſceperunt,& quis maiorem prædam caperet, utrinq; certabant.Cũ tamẽ ciuitas triũ malorũ ingentiũ tempeſtate laboraret, hoc eſt, belli, dominationis,itemq; ſeditionis,eorum comparatione bellum populariibus mediocrius uidebatur.Deniq; relictis ſedibus patrijs ad alienigenas profugiebant:

& Roma

& Romanorum beneficio ſalutem, quam inter ſuos deſperauerant, aſſequebantur. Quartum uero præterea malum cõmotũ eſt gentis exitio. Haud procul ab Hieroſolymis caſtellum erat ualidiſſimum, reponẽdis opibus ad munimẽta belli, tutandisq; corporibus ab antiquis regibus ædificatum, quod Maſſada dicebatur: id occupauerant qui uocantur ſicarij, quod à rapinis amplioribus timore continebantur. Hi cum Romanorum exercitum otioſum eſſe uiderent, apud Hieroſolymam uero Iudæos dominatione atq; diſcordia ceſſiſſe, in maiora facinora aggrediuntur. Die feſto azymorum (qui apud Hebræos ad memoriam ſalutis, quo ex Aegyptiorum ſeruitio liberati, in terram patriam deuenerunt, ſolenniter celebratur) nocte deceptis qui ibi erãt oppoſiti, municipium quoddam Galaad inuaſere: ubi pugna quidem Iudæos ante præuentos atq; diſperſos, quàm arma caperent ſiue concurrerent, ciuitate pepulere. Eos uero qui in fuga defecerunt, mulieres uidelicet ac pueros, ſupra quàm ſeptingentos interfecerũt. Aedibuſq; deinde compilatis, fructus quoq; iam maturos depopulati in Maſſãda portauerant. Et illi quidem omnes circum caſtellum uicos, rotãq; regionem populabantur, non paruo undiq; perditorum ad eos numero in dies ſingulos confluente: ſimul autem concitati ſunt etiam per ſingulos Iudææ tractus in latrocinia, qui interim quieſcebant. Ac uelut in corpore, ſi quando principale membrũ tumor afficit, omnia pariter ægrotare neceſſe eſt: ita propter ciuitatis tumultum atq; diſcordiam, etiam qui foris erant nequiſſimi prædarum inuenere licentiam. Singuli uero uicis proprijs dilaceratis, deinde in ſolitudinem recedebant. Congregati autem & per collegia coniurantes, exercitu quidem pauciores, plures uero quàm latrocinalis conſpiratio, in templa & oppida ferebantur. Et ſequebatur quidem, ut in bello fieri ſolet, ab his eos male affici quos petijſſent. Verum præueniebatur ultio mox cum latrones à præda refugerẽt: nulla q; pars erat Iudææ, quæ non unà cum Hieroſolymis præcellentiſſima ciuitate interiret. Hæc Veſpaſiano à trãſfugis indicabãtur. Nã licet oẽs exitus à ſeditioſis cuſtodirẽtur, & cum quis ad eos acceſſiſſet interficeretur, tamẽ erant qui ad Romanos clàm profugerẽt: ducẽq; Romanorũ opẽ ferre ciuitati, & reſeruari populi reliquias hortarẽtur: multos em̃, quod bene Romanis uellẽt, perijſſe, multos adhuc in periculo dicebant eſſe ſuperſtites. Ille autẽ iam tum miſerans eorum calamitates, propius ad eos uelut Hieroſolymã obſeſſurus accedit, re autem uera ut ciuitatem obſidione liberaret: ſpe autem ante reliqua ſubigendi, nullumq; impedimentum extrinſecus obſidioni relinquendi. Cum igitur ueniſſet in Gadara, tranſamniæ regionis metropolim ualidiſſimam, menſis Martij quarta die ciuitatem ingreditur. Iam enim optimates, ignorantibus ſeditioſis, legatos ad eum de traditione miſerant, tam pacis deſiderio quàm ſuis patrimonijs metuentes. Multi enim apud Gadara locupletes habitabant, quorum legationem inimici neſcie bant, niſi quod Veſpaſiano appropinquante id cognouerunt. Et ciuitatem quidem ſe retinere poſſe deſperabant, quod & inteſtinis inimicis numero inferiores erant, neque procul abeſſe uidebant à ciuitate Romanos. Si uero fugere decreuiſſent, ſine ſanguine id facere, nullaq; à noxijs pœna repetita, non honeſtũ ſibi putabãt. Itaq; Doleſum comprehenſum (nanq; is non dignitate ſolũ ac

Gadara tradit ſe Veſpaſiano.

nobilitate

nobilitate,ciuitatis princeps habebatur:ſed etiam legationis autor erat)interfi-
unt:nimiaq; iracundia mortuo uerberato,extra ciuitatem dilapſi ſunt. Iam uero
propius accedente Romano exercitu,Gadarenſium populus Veſpaſiano cum
laudibus in ciuitate recepto,fidei dextras ab eo accepit:equitumq; & peditū præ
ſidia contra fugitiuorū excurſus. Muros enim priusq; id Romani peterent, ipſi
deſtruxerant:ut eo ſibi fides eſſet,quod pacem diligerent, ſi bellum gerere ne-
lentes quidem poſſe uiderentur. Veſpaſianus autem miſſo Placido cum equiti-
bus ac tribus milibus peditum,aduerſus eos qui ex Gadaris fugerant, ipſe cum
cæteris militum copijs Cæſaream regreditur. At fugitiui poſtquam equites repē
te à tergo inſequentes uidere,priuſq; in manus uenirent, in uicum quendam,cui
nomen eſt Bethenabrin,ſe recepere. Vbi reperta non paucorum iuuenum mul-
titudine,hiſq; partim uolentibus,partim inarmatis,ſpecie tenus contra Placidū
Gadarenſiū fuga. eiusq; milites proſiliunt. Illi autem primo quidem impetu paululum receſſerūt,
ea ſimul arte,ut eos à muro longius prouocarent. Deinde loco opportuno cir-
cūdatos,telis agentes eminus ſauciabant. Itaq; fugientes quidem, ab equitibus
præueniebantur Iudæi:qui uero manus conſeruiſſent,à peditibus corruebant, ni
hil plus audaciæ demōſtrātes. Cōdēſos em aggrediēdo Romanos,armis nō ſe-
cus ac muro ſeptos,ipſi quidem telis aditū non inueniebant,neq; ſufficiebant a-
ciem rumpere: illorum autem tranſfigebantur ſagittis, & immaniſſimis feris ſi-
miles, ruebant ultro in ferrum, & deijciebantur, alij gladijs ora percuſſi,alij ab
equitibus diſſipati:quoniam cura erat Placido,curſum eorum à uico interclude-
re:aſſidueq; prætercurrens ea parte,cedentesq; reflectens,unà etiam libratis ſa-
gittarum ictibus utebatur:hiſq; proximos interficiebat. Metu uero longe fugi-
entes reuocabat,donec uidelicet lapſi qui fortiores erāt,ad muros effugēre. Eius
autem cuſtodes, quid agerent, neſciebant. Nec enim excludi Gadarenſes ſuo-
rum cauſa patiebantur,& ſi eos recepiſſent,unà cum his perituros eſſe uidebant,
quod etiam contigit. Illis enim compulſis ad murum, penè cum his Roma-
norum equites irrupere. Portis autem antè præcluſis, admoto milite Placidus
poſt meridiem uſq; acerrimo certamine muro pariter ac uico potitus eſt: ibiq;
tunc uulgus quidem iners occidebatur,fortiores uero fugam petebant. Domus
uero à militibus diripiebantur, & uicus igni traditus eſt. Qui uero inde euaſe-
rant, totam ſecum illam regionem ad fugam incitarunt, & extollendo proprias
calamitates in maius,totumq; Romanorum exercitum aduentare dicendo,me
tu omnes undiq; commouerunt. Plurimi autem numero aucti,in Hiericūta ſe-
ceſſerunt. Hæc enim etiā tunc eorū ſpem ſalutis fouebat,quod eſſet ualida & po
puloſa. Placidus uero equitibus,rebusq; ante proſpere geſtis fretus,eos inſeque-
batur,& uſq; ad Iordanem quidē ſemper quos occupabat,morti dabat. Omnē
uero ad flumen coactā multitudem,fluminis impetu prohitā,quod auctum im
bribus uadū tranſire non poterāt,aperto prælio cōgreditur. Itaq; neceſſitas eos
ad pugnā cōpulit,quod fugæ locum non haberent: prætētiq; ad ripæ longitudi-
Gadarenſiū tredecim mi lia occiſa. nē,tela equitū & incurſus excipiebāt. A quibus multi pulſi, in fluuiū ceciderūt.
Nā qui manibus eorū cæſi ſunt,tredecim milia fuerūt. Alij cū uim ſuſtinere non
poſſent,in Iordanem ſponte deſilierunt. Erat autē numerus infinitus. Et præter
ea capta

ea capta ſunt propè ad duo milia uirorum ducenti, cum præda maxima ouiũ & aſinorum, itemq; camelorum & boum. Iudæis quidem hoc uulnus inflictum quãuis par ſuperioribus, maius tamen ſeipſo uiſum eſt: & nõ ſolum quod eam totam regionem qua fugerant, cædes repleuerant, ſed etiam quod refertus mortuis Iordanis, peruius non erat. Et Aſphaltites quoque lacus repletus erat cadaueribus, quæ per multa flumina deuoluta ſunt. Placidus autem ſecunda fortuna uſus, in uicos proximos & municipia contendit. Captisq; Abila & Iuliade, & Beſemoth, omnibusq; ad lacum Aſphaltiten uſq; idoneos ex tranſfugis ubiq; collocat. Deinde milite ſcaphis impoſito, eos qui in lacum refugerant, ſubegit. Et trans fluuiũ quidẽ tota regio Romanis ceſſit, & ubiq; omnia uſq; ad Macherũta deuicta ſunt.

De captis oppidis quibuſdam, deſcriptioq; ciuitatis Hiericuntinæ. Caput IIII.

DVm hæc autem aguntur, motus circa Gallatiam nũciatur, & quod Vindex unà cum optimatibus indigenarum à Nerone defeciſſet, de quibus alibi diligentius ſcriptũ eſt. Veſpaſianum uero ad impetum belli quæ nunciata ſunt, incitarunt iam tunc futura bella ciuilia, totiusq; imperij pericula proſpicientem: cum ſi partes orientis ante pacaſſet, minus Italiæ metuendum exiſtimaret. Obſtãte autem hyeme, per ſubactos interim uicos atq; oppida præſidia collocabat, & decadarchos ciuitatibus opponens, multa etiam eorum quæ uaſtata fuerant inſtaurabat. Prius tamen comitatus militum copijs quas Cæſaream adduxerat, in Antipatridem uenit: ibiq; per biduum ciuitate compoſita, tertia die uaſtãdo, inflammando, omnesq; ſubuertendo circum Thamnam toparchias, in Liddã & Iamniam procedebat. Et cum ſeſe utraq; tradidiſſet, conſtitutis illic habitatoribus idoneis, in Amathunta peruenit: occupatisq; ad metropolim eorum omnibus uicis, caſtra muro circundat. Quintaq; in his relicta legione cum cætera manu in *Bethlephton toparchiam proficiſcitur: eaq; & uicina regione itemq; circum Idumæam igne conſumptis, caſtella quidem locis opportunis muniuit. Captis autem duobus uicis in media Idumæa poſitis, hoc eſt Begabri & Caphartophran, plus quàm decem milia hominum peremit: propè autem ad mille cepit. Exactaq; inde cætera multitudine, nõ paruam militum ſuorum partem ibi conſtituit, qui omnia montana loca incurſando uaſtabant. Ipſe autem cum reliquo exercitu in Iamniam rediit: unde per Samaritidem ac per Neapolim, quæ dicebatur ab indigenis Mamortha, ſecundo Iunij menſis die in Coriam deſcendit: ibiq; poſitis caſtris, poſtridie in Hiericunta peruenit, in qua unus ei rectorũ Traianus occurrit, quẽ locis ulterioribus ducebat, militẽ iungit cunctis ſub Iordanem deuictis. Sed ex Hiericũte quidem multitudo, ante Romanorũ aduentũ, in aduerſam Hieroſolymis montanam regionem diffugerat: non pauci autem qui remanſere, perimuntur. Deſolatam uero offenderat ciuitatẽ, cui in planicie ſitæ nudus mons ac ſterilis imminet, idẽq; longiſſimus. A ſeptentrionali enim regione uſq; ad Scythopolitanos agros: à meridiana uero uſq; ad terrã Sodomiticã & Aſphaltitẽ lacũ, terminus extẽditur. Nõ totus aũt inæqualis eſt, & quod nihil gignit, non habitatur. Huic adiacet circa Iordanẽ mõs alius, incipiens à Iuliade à ſeptentrio-

Lidda & Iamnia à Romanis occupatæ.

Aliàs Bethon.

Mamortha, Hiericũtis ſitus.

ſeptentrionali regione, prolixus autem in meridie uſq; ad* Bacra, quæ Petrã diſterminat Arabiæ ciuitatem. In hoc eſt etiam Ferreus mons appellatus, ad Moabitidem uſq; longus. Inter duos autem montes regio, quæ Magnus campus uocatur, à Gennabara uico ad lacum Aſphaltitem uſque patens, habet ducentorum & triginta ſtadiorum longitudinem, latitudinem uero centum & uiginti, mediusq; ab Iordane diuiditur. Sunt autem illic duo lacus, Aſphaltites & Tiberienſis natura contrarij. Namq; alter ſalſus ac ſterilis eſt, Tiberienſis uero dulcis & fœcũdus: æſtatisq; tempore illa planicies ardore ſolis incenditur, & uitioſo opprimitur aëris tractu, omnibus circum aridis præter Iordanem. Vnde euenit, ut palmæ quæ in ripis ſunt magis floreant, & fertiliores ſint: minus autem, quæ longe remotæ ſunt. Ad ipſam uero Hierico largiſſimus fons eſt, rigãdisq; aruis huberrimus, iuxta ueterem ſcaturiens ciuitatem: quam Ieſus Naue filius, Hebræorum ductor, primam in Chananæorum terra bello poſſederat. Hũc fontem aliquando ferunt non ſolum terræ atq; lignorum fructus, ſed etiam fœminarũ partum obtũdere ſolitum, cunctaq; pariter morbo ac peſte corrũpere. Poſtea uero manſueuiſſe, contraq; ſaluberrimum ac feraciſſimũ eſſe factũ ab Heliſæo quodam propheta, qui Heliæ notus fuerat atq; ſucceſſerat. Receptus enim hoſpicio ab Hiericũtis habitatoribus, quod humaniores eos expertus erat, ipſos & omnẽ illam regionem perpetua gratia remuneratus eſt: progreſſusq; ad fontem, lagenam fictilem ſalis plenam in profluentem aquam miſit. Iuxtà deinde ad cœlum dexterã tendẽs, fontiq; immergẽs blanda libamina, ipſum quidem precabatur ut fluẽta leniret, ac dulciores aquarũ uenas aperiret: deũ uero ut fœcũdioribus auris flumina temperaret orabat: tamq; hubertatem fructuum, quàm ſucceſſionem prolis daret indigenis. Nec eorum genitrices filiorum aqua deficeret, quo ad manarent. Ad has preces ex diſciplina manibus quoq; multa operatus, fontem immutauit, & qui antea cauſa erat his orbitatis ac famis, idem uictus ac fœcunditatis autor eſt effectus. Denicq; rigationis eius tanta potentia eſt, ut ſi attigerit modo terram, ſapidior ſit a quis diu perſeuerantibus. Vnde eo quæ largius abutuntur, exiguum emolumentum habent: quæ uero parcius, plurimum. Amplius tamen quàm cæteri fontes ſpatiũ rigat. Et ſeptuaginta quidem ſtadijs longam, uiginti autem latam planiciem permeat. Optimos autem in ea paradiſos ac denſiſſimos educat, palmarumq; irriguarum genera, tã ſapore, quàm nominibus uaria: quarum pinguiſſimæ calcibus preſſæ, plurimum mellis emittũt, non multum alio melle deterius: quanquam & mellis altrix eſt illa regio, & opobalſami ferax, qui omnium cariſſimus eſt fructus ibi naſcentium. Itemq; Cyprũ myrobalſamũ gignit: ut qui diuinũ eſſe illũ tractũ dixerit, nõ errabit, ubi & larga & opima generantur quæ ſunt cariſſima. Sed nec in alijs ei fructibus aliqua facile toto orbe regio certauerit: adeo multiplicatũ quod ſatum eſt reddit. Cuius rei cauſa mihi uidetur eſſe aquarum uis læta, & aëris calor, cũ hic prouocet quæ nata fuerint atq; diffundat: liquor autẽ firmis ſingula radicibus ſtringat, uiresq; ſuggerat æſtiuo tempore, quo ſic peruſta eſt illa regio, ut nihil facile procedat ac pullulet: aqua tamen, ſi ante ſolis ortum hauriatur, auræ ſpiritu refrigeſcit, naturãq; cõtrariã aëri ſumit. Hyeme uero contepeſcit, eaq; menſis mitiſſima efficitur.

Ferreus mons. *Magnus campus.* *Aſphaltitis lacus & Tiberienſis.* *Immutatio fontis in Hiericunte.*

Tanta

Tanta eſt autẽ cœli temperies,ut quo tempore in alia Iudææ regionẽ ningit,lino illic tantũ indigenæ ueſtiant. Diſtat autẽ ab Hieroſolymis centumquinquaginta ſtadijs,& ab Iordane ſtadijs *ſexaginta: totumq; habet ab Hieroſolyma ſpatiũ deſertũ atq; ſaxoſum:ad Iordanẽ uero & lacũ Aſphaltitẽ,licet humilius,æque tamen incultũ ac ſterilẽ.Sed de Hiericho, quàm ſit fortunatiſſima, ſatis dictũ eſt. *Aliàs quadraginta.

Lacus Aſphaltites. Caput V.

COmmemoratione autem dignum puto,Aſphaltitis quoq; naturam exponere lacus.Is enim ſalſus quidẽ ac ſterilis eſt:nimia uero leuitate, etiam quæ grauiſſima ſunt, in eum iacta referuntur. Demergi autem quis in profundũ nec de induſtria facile poteſt.Deniq; Veſpaſianus, qui eius uiſendi cauſa illuc uenerat,iuſſit quoſdam natandi inſcios,uinctis poſt terga manibus, in altum proijci: & euenit omnibus,tanquam ui ſpiritus ſurſum repulſos deſuper fluitare.Ad hæc mirabilis eſt coloris mutatio,quæ ter in ſingulos dies ſuperficiem uertit,& ſolis radijs uariata reſplendet.Multis autẽ locis uomit nigras bituminis glebas,quæ ſubundam & habitu & magnitudine tauris ſine capitibus aſſimiles natant. Ad eas autẽ cũ lacus exercitatores acceſſerint,nacti quod aggeſtũ eſt,ad naues trahunt: & quia lentum eſt,repletas eas abrumpere nequeunt: ſed quaſi replicata ſcapha, pendet à cumulo,donec menſtruo mulieris atq; urina ſoluatur. Eſt autem utile non modo ad compagines nauium, ſed ad corporum etiam curationem multis remedijs admiſcetur.Huius lacus longitudo eſt quingentorum & octoginta ſtadiorum,qui à Zoara uſque ad Arabiam tenditur. Latitudo autem centũ quinquaginta ſtadijs patet: quæ Sodomiticæ terræ uicina eſt: quæ olim quidem tam fructibus quàm ſubſtantia ciuitatum fortunata,nunc autem omnis exuſta, atq; habitatorum impietate fulminibus conflagraſſe memoratur. Deniq; adhuc in ea diuini reliquias ignis,& oppidorum quinq; uidere licet imagines, & renaſcentes in fructibus cineres,qui colore quidem ſunt edulibus ſimiles,carpentium uero manibus in fumum diſſoluuntur & cinerem. Terræ quidem Sodomiticæ fabula eiuſmodi fidem habet ex facie. *Terra Sodomitica.

Geraſij deuaſtatio, ſimul de Neronis morte, Galbæ & Othonis. Cap. VI.

AT Veſpaſianus Hieroſolymorũ habitatores muniri undiq; cupiens,apud Hiericho & Auuillam caſtellis erectis,utrobiq; auxiliatorũ pariter ac Romanorum præſidia collocat.Mittit autem Geraſion Lucium Annium,equitatus ei parte multisq; peditibus attributis. Qui primo aggreſſu ciuitate capta, mille iuuenum,qui ne fugerent præuenti erant,interficit: familias captiuas ducit,bona militibus prædari,permittit.Incenſis deinde domibus,proximos petijt.Erat autem fuga potentium & interitus infirmorum: quodq; occupatũ fuiſſet, flammis dabatur: omnibúsque tam montanis locis quàm tota planitie bello oppreſſis, apud Hieroſolymam degentes exeundi copiam non habebant: cum tranſfugere quidam cupientes à Zelotis aſſeruarentur: eos uero,qui etiam tunc à Romanis diſſidebant,undiq; ciuitate uallata cohiberet exercitus. Veſpaſiano autẽ Cæſaream reuerſo,& cum omnibus copijs in ipſam Hieroſolymam proficiſci paranti nunciatur Nero peremptus, cum per annos tredecim & octo dies imperaſſet. *Geraſiorum mille iuuenes occiſi.

De quo referre, quemadmodum dehoneſtarit imperium, nequiſſimis hominibus Nimphidio & Tigillino, & indigniſſimis libertorum permiſſa republica: quodq; horũ captus inſidijs, ab omnibus ſuis ſenatoribus deſtitutus, cum quatuor libertis fidelibus in ſuburbanum fugerit, ibiq; ſemet occiderit: & quod multo poſt tempore, qui eum depoſuerant pœnas dederint: bellúmq; per Galbam quo pacto deſierit: & quod Galba creatus imperator, Romam redierit ab Hiſpania: & quemadmodum incuſatus à militibus, tanquam humilioris eſſet animi, in medio foro necatus ſit, & Otho declaratus ſit imperator, eiúsq; militiam in Vitellij duxiſſet exercitum: necnõ & Vitellij turbas, & circũ capitolium pugnam: & quemadmodum uel Antonius Primus & Mutianus Vitellium interfecerint, & Germanorum agmina bellúmq; ciuile ſedauerint: hæc omnia recenſaui narrare, confidens, quod & à multis Græcorum, itémq; Romanorum, & à cunctis copioſe perſcripta ſunt. Ordinis autem rerũ continuandi gratia, ac ne interciſa pereat hiſtoria, ſummatim ſingula deſignabo. Igitur Veſpaſianus primo quidem in Hieroſolymam militiam differebat, expectans quonam uergeret imperium poſt Neronem. Deinde ubi Galbam imperare cognouit, nihil conari decreuerat, prius quàm ille quoq; ad ſe de bello aliquid perſcriberet. Mittit autẽ ad eũ Titũ filium ſuum, & ſalutatum ſimul, & ut de Iudæis mandata acciperet. Ob eaſdem cauſas & rex Agrippa nauigauit ad Galbam. Sed dum Achaiam, *quod hyems* erat, longis nauibus præteruehuntur, interfici Galbam cõtigit, ſeptem menſibus poſt & totidem diebus. Deinde Otho ſuſcepit imperium, ac tres menſes rempublicam gubernauit. Agrippa uero nihil mutatione deterritus, Romam pergere ſtatuit. Titus uero diuino quodam impulſu, ex Achaia ad Syriam nauigat, & mature inde Cæſaream uenit ad patrem. Suſpenſi autem de omnibus, *quaſi* nutante Romano imperio, Iudæorum militiam negligebant. Patriæ quoq; metuentes, aggredi alienigenas importunum arbitrabantur.

Galba.

Otho.

Vitellius.

Titus mittitur ad Galbam.

De Simone Geraſeno nouæ conſpirationis principe. Caput VII.

INterea tamen bellum aliud in Hieroſolyma excitatur. Erat Simon Gioræ filius, patria Geraſenus, ætate iuuenis, ſed calliditate poſterior Ioãne, à quo iampridem ciuitas poſſidebatur, uiribus autem corporis audaciáq; præſtantior. Ob quam ex Acrabatena quoq; toparchia, cuius rector erat, pulſus ab Anano pontifice, ad latrones peruenerat, qui Maſſadam occuparant. Is autem primo quidẽ ita ſuſpectus erat, ut eum ad inferius caſtellum cum mulieribus, quas ſecum adduxerat, tranſire permitterent, ipſi excelſius incolentes. Rurſus autem propter neceſſitudinem morum, fidelis eſſe uidebatur. Nam & ductor erat prædatum exeuntibus, & cum ipſis territorium Maſſadæ populabatur: nec tamen eos ad maiora exhortando metuebat. Dominandi enim cupidus magnorúmque appetens, quia mortem Anani comperit, in montana loca diſceſſit: ac uoce præconũ ſeruis libertate promiſſa, itémq; liberis præmio, cunctos qui ubiq; fuerant nequiſſimos congregauit. Iam ualido conflato collegio, montanos uicos diripiebat. Semper autem accedentibus pluribus eius ſocijs, audebat etiam in humiliora loca deſcendere, & ciuitatibus quoq; iam terribilis erat: multósq; potentium uis eius & proſpera facta ſolicitabant. Nec iam ſeruorũ tantũ ſiue latronum exercitus erat, ſed

multorum

multorũ etiam populariũ, tanquam regi, parebat obſequio. Excurſus autem agebatur in Acrabatenam toparchiam, & in maiorẽ uſq; Idumæam. Vicũ enim cui nomẽ eſt Aim muro amplexus, ad tuitionẽ ſui pro caſtello habebat. In ualle eñ quæ appellatur Pharagata, occultas quidem dilatauit ſpeluncas, multas uero paratas inuenit, atq; ijs conditorũ prædæ receptaculis utebatur. Quin & direptos illic fructus reponebat, multáq; collegia diuerſabantur: neq; dubitabatur, quod in Hieroſolymam copijs & apparatu præluderet. Vnde inſidias ueriti Zelotæ, ac præuenire eum qui cõtra ſe creſceret cupientes, plericq; cum armis egrediũtur. His autẽ Simon occurit, cõmiſſoq; prælio multos occidit, & reliquos cõpellit in oppidum. Nondũ autem uiribus fretus, ab obſidione deterretur. Prius autẽ Idumæam ſubiugare conatus eſt. Itaq; cum uiginti milibus armatorũ ad fines eius properabat. Idumæorũ autem principes mature ex agris, quinq; ferè milibus pugnacium ciuiũ congregatis, pluribus autẽ qui ſua ſeruarent domi relictis, propter ſicariorum qui Maſſadæ uerſabantur incurſus: Simonẽ in finibus præſtolabantur: ubi cõflictu habito, ac per totũ diem tracto prælio, neq; uictor neq; uictus abſceſſit. Et ipſe quidem in Aim uicũ, Idumæi uero domũ regreſſi ſunt. Non multo autem poſt, Simon cum maioribus copijs eorũ fines petebat, caſtriſq; in quodam uico, cui nomen eſt * Theris poſitis, ad cuſtodes Herodij, quod nõ longe aberat, de ſocijs ſuis Eleazarũ miſit, ut caſtellum ſibi traderent perſuaſurũ: quem quidem ſine mora ſuſcepere cuſtodes, cauſæ neſcij cur ueniſſet. Mox autem de traditione prolocutũ, ſtrictis gladijs perſequebantur: donec fugæ locũ nõ reperiens, de muro in ſubiectam uallem ſe proiecit: & ille quidem hoc modo ſtatim moritur. Idumæis autẽ uires Simonis formidantibus placuit, priuſquam bello cõgrederentur explorare hoſtiũ copias. Huic autẽ ſe in miniſtrũ obtulit parato animo Iacobus, quidam è rectoribus, cogitans proditionẽ. Deniq; profectus ab Aluro (in hoc enim uico tunc Idumæorũ collectus erat exercitus) ad Simonẽ uenit: primúmq; ſe patriam ſuam traditurũ eſſe paciſcitur, accepta fide quod ſemper ei chariſſimus foret. Mox etiam de tota Idumæa operam pollicetur. Ob quas res humaniſſime apud Simonẽ cœnatus, clariſſimiſq; promiſſis animatus, ubi ad ſuos redijt, primo Simonis exercitũ multiplici numero mentiebatur eſſe maiorẽ. Deinde rectoribus etiam paulatimq; multitudine uniuerſa perterritis, ut Simonem reciperent ſuadebat, eiq; ſine pugna rerũ omniũ permitterent principatũ. Simul autem & hoc agens, & Simonẽ ipſum per nuncios euocabat, diſiecturũ ſe pollicitus Idumæos, quod & præſtitit. Nam cum iam appropinquaret exercitus, equũ primus inſcendit, & cum ſocijs corruptionis effugit. Pauor autẽ occupat uniuerſam multitudinem, ac priuſquàm ad manus ueniretur, domum quiſq; ſuam ſoluti ordine receſſerunt. Simon uero præter opinionẽ ſine ſanguine Idumæam introiuit: primúmq; aggreſſus, ex improuiſo Chebron municipiũ capit, in quo maxima præda potitus eſt, multósq; fructus diripuit. Chebron autem indigenæ ferunt non eiuſmodi terræ modo ciuitatũ, uerumetiam Aegypto & Memphi antiquiorem. Deniq; duo milia & trecenti eius cõnumerantur anni: hoc autem fabula eſt. Abraham quoq; parenti Iudæorum fuiſſe domiciliũ, poſteaquam Meſopotamiæ ſedes reliquit, eiúsque poſteros hinc ad Aegyptum eſſe profectos: quorũ etiam

Pugna Simonis et zelotarũ

Aliàs Theochoe.

nunc monumenta extant in eadem ciuitate, peroptimo marmore liberaliter fabri cata. Cernitur autem sexto ab oppido stadio arbor maxima Terebinthus: eam que memorant ab initio mundi creati, nunc usq; durare. Hinc totam Simon pe/ uasit Idumæam, non modo uicos eius & ciuitates depopulando, sed excidendo etiam territoria. Nam præter armatos quadraginta eum milia sequebantur, ut his nec uictui quidē necessaria satis essent. Ad has autem necessitates accedebat eius crudelitas, insuper iracundia, quo magis uastari cōtigit Idumæam. Et quem/ admodum post locustas sylua cerni solet frondibus spoliata, sic etiam qua Simo/ nis transisset exercitus, à tergo solitudinem relinquebat: & alia quidem combu/ rendo, alia diruendo, & quicquid in ciuitate uel in agris natum esset conterendo calcibus, aut depascendo delebant: pérque terram cultam iter agendo, faciebant eam steriliorem, prorsus ut ne signū quidem uastitatis relinqueret, quod aliquan do fuisset. Hæc omnia rursus zelotas incitauerunt, & aperto quidem bello confli gere pertimuere: insidijs uero per itinera collocatis, uxorem Simonis rapiunt, eo/ rúmq; præterea quos habebat in obsequio plurimos. Deinde tanquam Simo/ nem ipsum cepissent, in ciuitatem exultantes redeūt. Continuo nanq; sperabant, armis eum depositis pro uxore sibi supplicaturū. Illum autem non misericordia, sed ira coniugis raptæ peruaserat. Cúmq; ad muros Hierosolymorum uenisset, ut fera saucia quæ percussores prendere nequisset: ita in quos reperisset, effunde/ bat insaniam. Deniq; olerum sarmentorumq; causa progressos ad portam, im/ berbes pariter ac seniores correptos uerberabat ad necem: ut animi indignatione id solum abesse uideretur, quod non etiam uesceretur corporibus mortuorum. Multos autem abscissis manibus dimittebat in ciuitatem, unà perterrefaciens ini micos, & populum reuocare cupiens à nocentibus. Hisq; mandabat ut dicerent, quod iuraret Simon per deum qui cuncta regeret, nisi cito sibi redderent coniu/ gem suam, muro prærupto omnibus qui in ciuitate essent similiter uteretur, neq; cuiquam ætati parceret, aut ab innocentibus discerneret noxios: donec his eius mandatis, nō modo populus, sed etiam Zelotæ metu perculsi, remisissent ei mu/ lierem, atq; ita delinitus, paulisper ab assidua cæde requieuit.

Vxor Simonis à Zelotis capitur.

De Galba, Othone, Vitellio & Vespasiano. Caput VIII.

Mors Galbæ. NOn solum autem per Iudæam erat seditio bellúmq; ciuile, uerumetiam per Italiam. In medio nanq; Romanorū foro Galba peremptō, creatus Otho imperator cum Vitellio imperante pugnabat: quem Germanorum tunc manus elegerat. Habito autem apud Bebriacū Galliæ prælio cum Valente & Cecinna Vitellij ducibus, primo die Otho superauit, altero Vitellij milites: multisq; truci/ datis, & aduersæ partis audita uictoria, Otho apud Brixellū semet occidit, post/ quam biduum tresq; menses imperium tenuit. Accesserunt autem Vitellij duci/ bus Othonis milites, & ipse iam Vitellius Romam cum exercitu ueniebat: dum interea Vespasianus quinto die Iunij mensis Cæsaream profectus, eas quas nō/ dum subuerterat Idumææ partes petiuit, & in montana regione, quo primum ascendit, toparchias duas *Zophaniticam & Acrabatenam subegit. Deinde post has Vithegra & Vphre municipia: ibiq; præsidijs collocatis, usq; Hierosoly/ mam equitabat. Multos uero tunc deprehensos necabat, multósq; capiebat. Re/

Mors Othonis.

Aliás Gophniticam.

ctorum

ctorum autem unus Cerealis cum equitum parte ac peditum, ſuperiorem quæ dicitur uaſtabat Idumæam: & Capheram quidem pſeudomunicipium aggreſſione captum incendit. Alterum uero quod Capharim dicitur, admoto milite obſidebat, muro ſatis ualido cinctum. Diutius autem ibi ſe moraturum ſperanti, ſubito portas aperuere: & cum precibus euntes, ei ſe tradidere. Quibus ſubiugatis, Cerealis in Chebron alteram ciuitatem antiquiſſimam tendit, ſitam (ut dixi) in montanis locis, haud procul ab Hieroſolymis. Vi autem intromiſſus in eam, reliquam multitudinem, quam ibi offendit, cum puberibus interemit: oppidū uero ipſum exurit. Omnibúsq; iam captis, præter caſtella Herodium & Maſſadam & Macherunta, quæ à latronibus tenebantur, ſola iam Hieroſolyma Romanis ante oculos erat, quæ expugnanda reſtabat.

Chebron à Cereale cuerſum

De Simonis cuiuſdam geſtis contra Zelotas. Caput IX.

SImon autem ubi uxorem ſuam à Zelotis recepit, ad reliquias Iudææ tendit perſequendas: & undiq; circumacta natione, Hieroſolymam compulit pleroſque fugere, cum ipſe quoq; ad eam ſequeretur. Deinde muro eius obſeſſo, ſi quē operariorum ex agris adeuntem multitudinem cepiſſet, interficiebat. Erátq; populo foris Simō Romanis terribilior: intus Zelotæ utriſq; ſæuiores: quos etiam Galilæi nouis inuentis & audacia factionum corrumpebant. Nam & Ioannem ad potentiam ipſi prouexerant. Et Ioannes eis ex potentia quam ſibi cōparauerat, uicem referens, omnia quæ deſiderarent ut facerent permittebat. Inſatiabilis autem rapinarum cupiditas erat, domorúmq; locupletum perſcrutatio. Cædes autem uirorū & fœminarū & iniuriæ, pro ludo habebantur: prædámq; cum ſanguine deuorantes ſine aliquo metu poſt ſatietatem muliebri libidine caleſcebant: comptíq; crines, ac fœminarum ueſte induti, lotíq; unguentis, & ut forma placeret, oculos illiti, non ſolum ornatū, ſed impudentiam quoq; mulierum imitabantur: & obſcenitate nimia nefarios coitus exigentes, ut in lupanari uerſabantur, ciuitatémq; totam impuris facinoribus profanabant. Effœminantes autem uultum, dextras ad cædem promptas habebant: delicatóq; inceſſu eneruati, ſubita incurſione bellatores fiebant. Et de paludamentis uerſicoloribus eductis gladijs, caſu obuios tranſuerberabant. Eos autem qui Ioannem fugiſſent, excipiebat ſæuior in cædibus Simon: quíq; inteſtinum euaſiſſet tyrannum, ab eo qui propè erat occidebatur. Omnis autē fugæ uia tranſire cupientibus ad Romanos, abſciſſa erat. Inter Ioannis autem copias quantum erat Idumæorum diſſidebant: ſeparatíq; ab alijs, aduerſum tyrannū tam liuore potentiæ quàm crudelitatis eius odio armantur. Deinde pugna congreſſi, multos Zelotarū perimūt, cæteróſq; in aulam regiam cōpellunt, quam Grapte ædificauerat. Hæc autē fuerat cognata * Sizæ regis Adiabenorū. Vnà uero irrupere Iudæi, atq; inde Zelotis in fanū pulſis, Ioannis pecunias prædabantur. In aula enim ſupradicta & ipſe degebat, & tyrannidis ſpolia depoſuerat. Inter hæc autē Zelotarū, qui per ciuitatem diſperſi erant, ad illos qui in templū fugerant aggregati ſunt: eóſq; Ioannes aduerſus populum & Idumæos educere cogitabat. Iſtis autem nō tam impetus eorū metuendus erat, cum pugna plus poſſent quàm cōfidentia, ne de templo nocte ſubreperent, ſeq; pariter occiderent, atq; oppidum concremarent. Itaque collecti cum pontificibus

Omnīū ſceleꝛum licentia.

Aliàs Azitæ.

deliberabant,quonam pacto impetũ præcauerent.Sed profecto deus ſententias eorum in deterius uertit,& interitu acerbius excogitabant ſalutis remediũ. Nam ut Ioannẽ deijcerent, Simonem recipere ſtatuerunt, & cum precibus alterũ ſibi tyrannum imponere.Itaq; decreto obtemperatur:miſſoq; Matthia pontifice,rogant Simonem ut ad ſe introiret,quem ſæpe timuerant. Cum his autem precatores erant etiam,qui Zelotas in Hieroſolymis fugerant,domus quiſq; ſuæ deſiderio & fortunarum.Ille autem nimis ſuperbe ſe dominum fore pollicitus,ueluti ciuitatem liberaturus ingreditur,cum ſalutis eum datorem ac defenſorẽ ſui populi clamor deſignaret.Vbi uero cum ſuis copijs introijt, mox de propria potentia deliberabat: nec minus eos à quibus rogatus erat, quàm eos contra quos fuerat aduocatus,inimicos putabat.Ioannes autem cum multitudine Zelotarum templo exire prohibitus,amiſſis etiam quæ in ciuitate habebat (nam ſtatim res eorum Simon cum ſocijs diripuerat) ſalutem iam deſperabat.Templũ tamen adiuuante populo Simon aggreditur.Illi autem in porticibus,pérq; propugnacula ſtantes impetum propellebant: multiq; à Simonis parte oppetebant.multi ſaucij referebantur,quoniam Zelotæ ad dexteram ſuperiores erant, eóq; ictus impenetrabiles habebant.Et quamuis loco plus poſſent,turres tamen quatuor maximas fabricauerant, ut ex alto uidelicet miſſilia torquerent: unam ad orientalẽ angulum, ad ſeptentrionalem alteram,ſuper Xyſtum tertiam,*in angulo alio* cõtra ciuitatem inferiorem.Quarta uero turris ſupra uerticem Paſtophoriorũ condita erat: ubi moris eſt unum de ſacerdotibus aſtantem poſt meridiem,quod ſeptimus quiſque dies inciperet,tuba ſignificare:rurſuſque ueſperi, quod deſineret, nunc ferias populo,nunc ut opus faciat, denunciantem. Per turres autem diſpoſuerunt baliſtas ſaxorũ:que tormenta,& ſagittarios & fundarum ſcientes. Itaq; tunc Simon pigrius ad impetus mouebatur,cum ſuorum plerique molleſcerent: amplioribus tamen copijs fretus, propius accedebat.Machinarum enim miſſilia delata longius, multos pugnantium perimebant.

Tumultus populi contra Zelotas.

De Veſpaſiano in imperatorem electo. Caput X.

PEr idem tempus Romanos quoq; ſæuiora mala circũueniunt. Aderat enim ex Germania Vitellius cum exercitu,aliam præterea ingentem multitudinẽ ſecum trahens. Et cum eum deſtinata militi ſpatia non caperent, totam urbem pro caſtris habebat,omnémq; domũ repleuit armatis.Illi autem conſpectis Romanorum diuitijs oculis inſuetis,& auri argentiq; ſtupore perfuſi,uix cupidinem continebant, adeo ut in rapinas ſe conuerterent, & eos qui obſtare conarentur, occiderent.Et in Italia quidem ita res erant. Veſpaſianus autem poſtquam Hieroſolymis proxima depopulatus,Cæſaream reuertebatur, audijt Romanorum tumultus,& Vitellium principem.Hoc autem, licet ipſe imperiũ pati, ſicut bene imperare noſſet,ad indignationem perductus eſt: dominúmque dedignabatur eum,qui ueluti deſertum inuaſiſſet imperium. Dolore autem ſaucius cruciatum ferre non poterat, neque alijs uacare bellis, cum patria uaſtaretur. Veruntamen quantum ira impellebatur ad ulciſcendum, tantum longinquitatis cogitatione primebat.Multa enim fortunam poſſe noua facere, priuſquam ad Italiam,præſertim hyemis tempore ipſe tranſiret,plúsq; iam creſcentem iracundiam cohibebat. Re-

bat. Rectores autem cum militibus conuenientes, aperte iam de mutatione tra-
ctabant: & cum indignatione uociferantes, incusabant Romæ constitutos mili-
tes, & in delicijs agentes, qui ne famam quidem belli sustineant, quibus libue-
rat decernere principatum, & spe quæstus imperatores creare. Se autem labori-
bus tot exactis sub galeis senescentes, alijs condonare potestatem, cum apud se
digniorem habeant imperio. Cui si hanc amiserint, quam iustiorem, uel quando
referent erga se beneuolentiæ gratiam? Tanto autem Vespasianum quàm Vi-
tellium iustius esse principem fieri, quanto illis qui eum declarassent ipsi præsta-
rent. Non enim se minora pertulisse bella, quàm qui ex Germania uenissent: ne-
que illis qui tyrannum inde deducerent, in armis deteriores esse. Nullum autem
in creando Vespasiano fore certamen. Non enim senatum populúmue Roma-
num, Vitellij libidines pro Vespasiani pudicitia perpessuros: nec pro bono im-
peratore crudelissimum tyrannum: aut filium pro patre optaturos principem.
Maximum enim pacis tutamen esse, ueram in imperatore præstantiam. Ergo
siue peritiæ senectutis debeatur imperium, habere se Vespasianum: siue adule-
scentiæ uiribus, Titum: cum ex amborum ætate quod erit commodum tempe-
rabitur. Non solum autem se ministraturos declarati imperij uires, qui tres legio
nes regúmq; habentes auxilia, conseruassent omnia, ad orientem atq; ad Euro-
pam Vitellij timoribus, separata: sed etiam qui essent in Italia propugnatores
Vespasiani fratrem atq; alium filium: quorum alteri multos dignitate prædítos
iuuenes sociatũ iri sperabant, alteri uero etiam urbis esset cõmissa custodia: quæ
pars ad imperij principia non parum ualeret. Postremo si ipsi cessarent, senatum
fortasse declaraturum eum principem, quem conseruatores milites dehonesta-
rent. Hæc primo per cuneos milites loquebantur. Deinde se adhortati inuicem,
Vespasianum imperatorem appellant: eúmque ut in periculo constitutum im-
perium conseruaret, orabant. Illi autem olim quidem rerum omnium cura fuit,
nequaquam uero imperare uolebat. Dignum quidem se factis existimans, pri-
uatæ autem uitæ securitatem, darioris fortunæ periculis anteponens. Recusanti
autem rectores magis instabant: & circumfusi milites cum gladijs, mortem ei
minitabantur, nisi uiuere uellet ut dignus esset. Diu tamen reluctatus, quod
renuebat imperium, postremo cum his qui se designauerant, minime dissuade-
re posset, accepit.

Aegypti descriptio & Phari. Caput XI.

MVtiano autem cæterisq; rectoribus, qui eum ad imperium inuitauerant, & exercitu alio uociferante, ut se in hostes omnes duceret, prius res Alexan- *Aegypti limites.*
drinas procurandas putauit: sciens Aegyptũ plurimam esse partem imperij, pro-
pter frumentariam functionem: eáq; si potitus esset, ui quoq;, si perstaret, Vitelli-
um deijciendũ sperabat. Nec enim perpessurũ esse populũ fame oppressum. Si-
mul etiam duas legiones, quæ apud Alexandriam degerent, sibi cupiebat adiun-
gere. Cogitabat etiam propugnaculo sibi fore illam regionem, aduersus incerta
fortunæ. Nam & terra difficilis accessu, mariq; importuosa est: & ab occidente
quidem aridam Libyam habet obiectam, à meridie uero limitem qui Sienẽ ab
Aethiopia dirimit, nauibúsq; inuias Nili fluminis cataractas. Itémq; ab oriente

mare rubrũ,ad Copton ciuitatem uſq; diffuſum.Septentrionale uero munimentum habet terram uſq; ad Syriam,& quod dicitur Aegyptiũ pelagus, totũ portubus carens.Hoc quidem modo Aegyptus ex omni parte tuta eſt.Inter Peluſium uero & Sienem,per duo milia ſtadiorũ porrigitur. Ex Plinthine autẽ ad Peluſium,nauigio ſtadiorũ triũ miliũ & ſexcentorũ. Nilus autem ad Elephantinẽ oppidũ uſq; nauibus aſcenditur.Nanq; ulterius progredi,ut ſupra diximus,cataractæ nõ ſinunt.Portus autem Alexandrinus etiam in pace nauibus aditu difficilis eſt.Nam & oſtiũ peranguſtũ habet,ſaxiſq; latentibus à directo curſu deflectitur:& læua quidem pars manu factis brachijs cingitur:à dextera uero Pharus obiecta inſula,turrim maximam ſuſtinet, ad trecenta uſque ſtadia nauigantibus igne lucentem,ut quàm longiſſime difficultatẽ applicandarũ nauiũ præcaueant. Circum hanc autẽ inſulam,opere inſtructo ingentes muri ſunt:quibus afflictum pelagus,& auerſis obicibus fractũ, aſperiorem facit meatũ,eóq; periculoſum per anguſtiam aditum.Intus tamen portus ipſe tutiſſimus eſt,& triginta ſtadijs magnus.In quem tam quæ deſunt illi terræ ad beatitudinẽ deuehuntur: quàm quæ ſuperant ex bonis domeſticis & indigenis,in totũ orbem diuiſa exportantur. Itaque nõ ſine ratione. Veſpaſianus Alexandrinarũ rerũ erat cupidus,ad totius imperij firmamentũ.Proinde ſtatim ad Tiberiũ Alexandrũ literas dedit,qui Aegyptum & Alexandriam regebat,indicans militum alacritatem:quodq; ipſe(quod neceſſe fuit)ſuſcepto munere principatus, operam atq; adiumentũ eius aſſumeret.Alexander autẽ, ſimul ut Veſpaſiani legit epiſtolã,prompto animo,& legiones eius ſacramento rogauit & populũ:utriq; autẽ libentiſſime paruere,uirtutem uiri ex proxima adminiſtratione ſcientes. Et ille quidem permiſſa ſibi poteſtate, omnia quæ imperij uſus exigeret, aduentui quoque principis neceſſaria iam parabat.

Portus Alexandrinus.

Pharus.

Veſpaſianus Ioſephũ captiuitate liberat. Caput XII.

OPinione uero citius declaratum in oriente Veſpaſianũ imperatorem,ubiq; fama nunciauit.Et uniuerſæ quidẽ ciuitates feſtos dies habebant, nuncijſq; lætitiam pro eo ſimul & ſacrificia celebrabant.Agmina uero apud Mæſiam Pannoniámq; degentia,quæ propter Vitelli audaciam, paulo ante fuerant cõcitata, iuſiurandũ Veſpaſiano maiore gaudio præbuerunt. Veſpaſianus autem Cæſaream reuerſus,iam Berithũ uenerat,ubi multæ quidem è Syria,multæq; ab alijs prouincijs legationes aderant,obuiam ei coronas & gratulatoria decreta à ſingulis ciuitatibus offerentes.Affuit autem rector etiam prouinciæ Mutianus,populorum alacritatem,iuratáq; per ipſum principem ſacramenta renuncians. Vbiq; autẽ Veſpaſiani uotis obſecundãte fortuna, rebúsq; ad eũ plurima ex parte inclinatis,cogitare cœpit,quod nõ ſine dei prouidentia ſumpſiſſet imperium: ſed iuſta quædam fati ratio,ad eius poteſtatem circunduxiſſet rerum omniũ principatum.Recordatus autem ſigna,& alia(multa enim ſibi contigerant imperiũ præmonſtrantia)& Ioſephi dicta, quibus eum Nerone uiuo auſus fuerat appellare imperatorem, admirabatur uirũ quem adhuc habebat in uinculis: aduocatóq; Mutiano cũ amicis & rectoribus alijs,primũ quàm ſtrenuus fuiſſet IOSEPHVS, quantumq; Iotapatenis expugnandis propter eum laboraſſet exponit. Deinde uaticina-

uaticinationes eius, quas ipse quidem timoris causa suspicaretur esse figmenta: tempus autem diuinas fuisse, & rerum exitus probauisset. Tumq; inhonestum esse ait, ut qui sibi auguraſſet imperiū, uociscq; dei minister ac nuncius extitisset, adhuc captiui loco haberetur. fortunámq; sustineret aduersam, uocatum ad se Iosephum solui iubet. Hoc autem facto, alij quidem rectores ex ea gratia quam alienigenæ retulisset, præclara etiam de se speranda esse arbitrabantur. Titus uero, qui cum patre aderat, iustum est, inquit, pater unà cum ferro etiam probro IOSEPHVM solui. Erit enim, tanquam nec initio uinctus sit, si non dissoluerimus, sed inciderimus catenas. Nanq; id agi solet in his, qui nō recte fuerint uincti. Eadem Vespasiano placebant. Et quidam interueniens securi catenas abrupit. Iosephus quidem pro his quæ prædixerat, præmio famæ donatus, & de futuris iam dignus cui iam credendum esset habebatur.

De Vitellij morte & moribus. Caput XIII.

VEspasianus autem responso legationibus reddito, iustéque pro meritis administrationibus ordinatis, Antiochiam uenit. Et quonam primum tenderet cogitans, Alexandrino itinere præstabilius esse duxit, quæ Romæ agerentur, turare. Alexandriam enim stabilem esse, Romanas autem res à Vitellio perturbari. Mittit igitur in Italiam Mutianum cum multis equitum peditúmq; copijs. Qui tamen propter hyemis asperitatem ueritus nauigare, per Cappadocas & Phrygas ducit exercitum. Inter hæc autem Antonius primus adducta legione tertia ex his quæ apud Mœsiam morabantur (illam enim regebat prouinciam) bellum gerere cum Vitellio properabat. Vitellius autem cum magna manu Cecinnam Comum obuiam ei mittit. Is autem Roma profectus, quamprimū circa Cremonam Galliæ Antonium consequitur, quæ confinis Italiæ ciuitas est: ibiq; conspecta hostium ordinatione ac multitudine, prælio quidem congredi nō audebat. Discessum autem periculosum reputans, de proditione deliberabat. Conuocatis autem hecatontarchis, & chiliarchis sibi subditis, ut transirent ad Antonium suadebat: Vitellij quidem rebus detrahens, Vespasiani autē uires extollens: & alterum nomen imperij tantum, alterum uirtutem habere cōmemorans: ipsis quoq; melius esse, si id gratum faciant. quod necesse est: cumq; se multitudine superatum iri sciant, uoluntate periculum præuenire. Nam Vespasianum quidem idoneum esse etiam sine ipsis ad reliqua uindicanda: Vitelliū uero nec cum ipsis quidem præsentia posse seruare. Multa quidem in hunc modū quod uoluit persuasit: & cum milite traſſugit ad Antonium. Eadem uero nocte milites pœnitudo simul ac metus eius, si uicisset, à quo missi fuerant, occupauit, eductisq; gladijs Cecinnam obtruncare uoluerunt. Feciſſentq; nisi his aduoluti chiliarchi supplicassent. Quamobrē cæde quidem se abstinuerunt, uinctū autem quasi proditorē Vitellio transmittendum habebant. His auditis, primus cōtinuo Antonius suos monet, eosq; cum armis in defectores ducit. Illi autem instructi ad prælium, paulisper quidem restiterunt. Mox autem loco pulsi, Cremonam fugerūt. Primus autem comitatus equitibus cursus eorum præuertit: & per ciuitatem circumclusam pleranq; multitudinem peremit. Aggressus autem reliquos, oppidum militibus prædari permisit. In quo multi quidē hospites mercatores, multi uero indigenæ

Cecinna desicit à Vitellio.

periere,

periere,totúsq; Vitellij exercitus,uirorum triginta milia & ducenti. Quin & Antonius eorum,quos de Mœsia adduxerat, quatuor milia & quingentos amittit. Solutum autem uinculis Cecinnam,rerum gestarum nuncium ad Vespasianum dirigit.Qui ad eum intromissus & collaudatus est, & proditoris dedecus inspera tis protexit honoribus. Romæ autem Sabinus ubi Antonium appropinquare cognouit,fiducia recreatus est: collectisque uigilum militum agminibus, nocte occupat Capitolium.Luce uero facta multi nobilium sociati sunt ei,& Domitianus fratris filius,pars ingens obtinendæ uictoriæ. Sed Vitellius de primo quidē minime curabat.His autem iratus qui cum Sabino defecerant,& nobiliū sanguinem pro ingenita crudelitate sitiens,immittit Capitolio, quam secū adduxerat, militum manum.Vbi multa ab his itémq; ab illis qui templū tenebant pugnantibus,audacter admissa sunt:postremo autem Germani,quod multitudine superabant,collem obtinuerunt. Et Domitianus quidem cum multis Romanorū uiris insignibus,diuina quadam ratione saluus euasit: reliqua uero multitudo tota laniatur.Et Sabinus quidem ad Vitellium ductus occiditur. Milites autem diripti donarijs,templum incendunt. Túmq; postero die cum exercitu uenit Antonius, eúmq; Vitellij milites excipiunt: & trifario commisso intra urbem prælio, omnes interiere.Procedit autem ebrius de palatio Vitellius,& (ut assolet) in externis longiore luxu prodigæ mensæ refertus.Tractus autem per populum, uarióq; uerborum genere dehonestatus, in media urbe iugulatur, octo menses ac dies quinq; potitus imperio:quem si uiuere diutius contigisset,ut opinor,eius luxuriæ minime sufficere potuisset imperium.Aliorum uero mortuorū supra quinquaginta milia numerata sunt. Hæc quidem gesta sunt die tertio mensis Octobris.Postero autem die Mutianus cum exercitu Romam ingreditur, & Antonij militibus à cæde repressis (adhuc enim hospitia perscrutando,& Vitellij milites, & ex populo plurimos qui cum illo senserant,occidebant,examinationis diligentiam iracundia præuenientes) Domitianum productum populo rectorem insinuat,usque ad patris aduentum.Populus autem iam timore liberatus,imperatorem prædicat Vespasianum: simúlque & illum confirmatum, & Vitellium esse deiectum festa lætitia celebrabat.

Sabinus occupat Capitoliū.

Sabinus occiditur.

Mors Vitellij

Occisi quinquagies mille.

Domitianus populi rector.

Titus mittitur contra Iudæos à patre. Caput XIIII.

CVm autē Vespasianus Alexādriam uenisset,gesta ei Romæ nunciata sunt, & legati ei ex toto orbe congratulantes affuerūt.Cúmq; maxima post Romam ciuitas esset,angustior multitudini probabatur.Firmato autē iam totius orbis imperio,rebúsq; populo præter spem conseruatis, Vespasianus in Iudææ reliquias intendit animum.Et ipse quidem exacta hyeme, Romam proficisci parabat,réscq; apud Alexandriam mature cōponere proponebat.Filium uero Titum cum externis copijs ad liberandam Hierosolymam dirigit. Qui terreno itinere Nicopolim usq; progressus,ab Alexandria ciuitate uiginti stadiorum interuallo distantem,inde militem longis nauibus imponit. Isq; Nilo flumine post emensum tractū,Tomū usq; uehitur.Hinc autē egressus in terram, apud Thamnam ciuitatē diuertit.Vnde secunda ei mansio fuit ciuitas Heraclea,& Pelusiū tertia. Hic aūt milite p biduū recreato, tertio die Pelusij fines transijt: unāq; mansione profectus,

Titus mittitur in Iudæam.

profectus, per ſolitudines ad Caſij Iouis templum caſtra poſuit. Poſteróque die apud Oſtracinem, quæ manſio aquæ inops eſt, ob quam cauſam aduentitia utuntur indigenæ. Hinc apud Rhinocoluram requieſcit: & inde progreſſus in quartam manſionem, Raphiam uenit, quæ prima occurrit Syriæ ciuitatem. Gaza uero quintæ manſionis caſtra ſuſcepit, & poſtea in Aſcalonem, atq; hinc Iamniam, deinde Ioppen, & ex Ioppe Cæſaream peruenit: decreto apud ſe, alias militum copias congregare.

FLAVII IOSEPHI DE BELLO IVDAICO LIBER SEXTVS.

De Triplici ſeditione apud Hieroſolymam. Caput I.

Itus quidem ad eum modum quem prædiximus, emenſa ultra Aegyptum ad Syriam uſq; ſolitudine, Cæſaream uenerat. Ibi enim exercitum decreuerat ordinare. Illo autem adhuc apud Alexandriam unà cum patre imperium, quod nuper ei deus permiſerat, diſponente, contigit etiam ſeditionem, quæ apud Hieroſolymam erat, auctam, trifariam diuidi, & alteram partem in alteram uerti. Quod in malis optimum quis dixerit, factumque iuſtitiæ. Nam Zelotarum quidem in populum dominatio, quæ autor erat excidij ciuitatis, unde cœperit, & per quos creuerit, diligenter ſuperius declaratum eſt. Hanc autem nō errauerit quiſquam, dicens ſeditionem in ſeditione eſſe factam. Ac ueluti rabida fera, externarum penuria, in ſua uiſcera ſæuire ſolet: ſic Eleazarus Simonis filius, qui & ab initio Zelotas in templum à populo ſeparauerat, uelut indignari ſimulans ob ea, quæ in dies ſingulos Ioānes auderet, cum ne ipſe quidem à cædibus quieſceret, re autem uera ſeſe poſteriori tyranno ſubiectum eſſe minime ferens, ſummæ rei deſiderio, propriæq; potentiæ cupiditate, ab alijs defecit. Aſcitis etiam Iuda Cheliæ filio, & Zenonis Simone potentiſſimis: præter quos erat etiam Ezechias Chobari filius, non ignobilis. Horum ſingulos Zelotæ non exigui ſequebantur. Occupatoq; interiore templi aditu, ſuper eius portas in ſacris foribus arma ponunt, & abundare quidem ſe ſuis neceſſarijs confidebant, ſacrarum enim rerum copia ſuppetebat, nihil impium exiſtimantibus: pauci tati uero ſuorum timentes, pleriq; in locis ſuis otioſi manebant: Ioannes autem quanto ſuperior erat uirorum multitudine, tanto loco ſuperabatur: hoſtesq; habens à uertice, neque ſine metu conabatur incurſus, & præ iracundia ceſſare non poterat. Plus autem mali perferens, quàm Eleazari partem afficiens, tamen non remittebat. Crebri enim fiebant impetus, & miſſilium iactus, totumq; polluebatur cædibus templum. Filius autem Gioræ Simon, quem rebus deſperatis inuitatum, ultrò ſibi tyrannum ſpe auxilij populus introduxerat: & ſuperiorem ciuitatem retinens, & inferioris plurimam partem, animoſius iam Ioannem eiúsq; ſocios adoriebatur, quaſi qui deſuper impugnaretur. Subiectus autem illorum manibus erat, ſicut & illi ſuperiorum. Et Ioannem eueniebat duplex prælium perferentem,

rentem,lædi pariter ac lædere: quantóq; uincebatur, eo quod Eleazaro eſſet humiliór, tanto plus lædebat Simone celſior conſtitutus, cum inferiores aggreſſus etiam ſola manu ſine labore prohiberet: deſuper uero ex fano iaculantes, machinis deterrerent. Quippe baliſtis,& non paucis lanceis utebantur,ſaxorúmq; tormentis: quibus non ſolum bellantes ulciſcebantur, ſed multos etiam ſacra celebrantium perimebant. Quanquam enim ad omne impietatis genus rabidi ferebantur,tamen eos qui ſacrificare cuperent recipiebant,cum ſuſpicione & cuſtodibus indigenas perſcrutando. Hoſpites enim etiam qui exoraſſent, eorum crudelitatem,poſt exituri ſubciſiua ſeditionis opera conſumebantur. Miſſilia nanq; machinarum ui ad aram uſq;,templumq; peruenientia,in ſacerdotes ſacra celebrantes cadebant: ac multi,qui properantes ab ultimis finibus terræ,ad ſanctiſſimum locũ ueniſſent,ante ipſas hoſtias procubuerunt: arámq; uniuerſis Græcis & Barbaris adorandam, ſuo ſanguine imbuêre. Indigenis autem mortuis alienigenæ, ac ſacerdotibus profanis miſcebantur: pérq; atria diuina,ſtagnum fecerat diuerſorũ cadauerũ ſanguis. Quid tantũ paſſa es ò miſerrima ciuitas à Romanis,qui tua inteſtina ſcelera purgaturi flammis introiere? Iam enim dei locus non eras, neq; manere poteras,domeſticorum funerum facta ſepulchrum, & quæ fanum ciuili bello tumulum conſtitueras: poteris autem denuo fieri,poteris,ſi unquam uaſtatorem tui deum placaueris. Sed enim reprimenda ſunt quæ dolent,lege ſcribendi: quod non domeſtici luctus, ſed exponendarum rerum hoc tempus eſt. Proſequar autem ſeditionis facinora cætera. Ergo diuiſis trifarie inſidiatoribus, Eleazarus quidem eiúsq; ſocij,qui ſacras primitias conſeruabant,in Ioannẽ ebrij ferebantur. Qui uero huic parêrent,plebem diripientes in Simonem rebellabant, cum ipſi quoq; Simoni contra diuerſæ partis ſeditioſos adiumento eſſet ciuitas. Si quando igitur ex utraq; parte appetebatur Ioannes, obuertebat ſocios ſuos: & de ciuitate quidem ſubeuntes, miſſis ex porticibus telis, de templo uero iaculantes, machinis ulciſcebatur. Quoties autem deſuper inſtantium moleſtia caruiſſet(frequenter enim ebrietate & labore ceſſabant)libentius in Simonem eiúsque ſocios quàmplutibus irruebat. Semper autem quantum in ciuitate populiſſet in fugam uerſos,ædes frumenti plenas omniúmq; utenſiliũ incendebat: idemq; hoc illo regrediente,Simon inſecutus agebat, ueluti conſulto pro Romanis omnia corrumperent. quæ ad obſidionem ciuitatis præparata,ſuarúmq; uirium neruos abſcinderent. Denicq; contigit unà exuri omnia circum templum, & inter proprias acies ſolitudinem atq; aream pugnæ fieri ciuitatẽ. cõcremari autem paulominus omne frumentũ, quod non paucis annis ſufficere potuiſſet obſeſſis: denicq; fame capti ſunt,qua minime quiuiſſent,niſi eam ſibimet cõparauiſſent. Undiq; autem inſidiatoribus & cõfinibus oppugnantibus ciuitatem,medius populus uelut aliquod magnum corpus lacerabatur. Senes uero ac mulierculæ inteſtinis malis attonitæ,pro Romanis uota faciebant: externumq; bellum,quo domeſticis malis liberarentur,expetebant. Grauis autẽ metus ac terror fœdiſſimus occupauerat: & neq; conſilij capiendi tempus erat,ut uoluntatem mutarent,neque pactionis aut fugæ ſpes cupientibus. Etenim cuſtodiebantur omnia, diſſidentéſque latronum principes, quoſcunque Romanis pacatos eſſe,uel tranſfugere ad eos uelle

Templũ cædibus pollutum.

Exclamatio.

eos uelle ſentirent,quaſi communes hoſtes interficiebant:ſolumq; in occidendis uita dignis cõcordes erãt.Et pugnantium quidẽ nocte dieq; clamor perpetuus erat:ſed metu acerbiores erãt lugentium queſtus. Et aſſiduas quidem lamentationis cauſas,calamitates præbebant:timor autem includebat ululatus:atq; obtumeſcente dolore præ formidine,tacito gemitu cruciabantur: neq; iam aut reuerentia uiuis apud domeſticos erat, neq; mortuis cura ſepulturæ habebatur. Quorum amborum hæc cauſa erat, quod quiſq; de ſe ſperabat. In omni enim re animos remiſerant qui cum ſeditioſis non erant,quaſi continuo modis omnibus morituri. At uero ſeditioſi congeſta in tumulum cadauera conculcantes dimicabant:& ex mortuis haurientes audaciam,quod ſub pedibus cernerent,immanius ſæuiebant, ſemperq; aliquid in ſe pernicioſum excogitantes, & quod uiſum fuiſſet ſine miſeratione facientes,nullam cædis aut crudelitatis uiam prætermiſere:adeo ut etiam ſacris materijs ad bellica conficienda inſtrumenta Ioannes abuteretur.Nam cum olim fulcire tẽplum populo itemq; pontificibus placuiſſet,idq; uiginti cubitis altius ædificare,rex quidem Agrippa ex monte Libano aptas ei materias maximis ſumptibus & labore deuexit:hoc eſt,ligna & magnitudine ſimul & directa proceritate ſpectabilia.Interuentu autem belli opere interrupto,Ioannes his ſectis,quod ſufficere longitudinem reperit,turres ædificauit,& aduerſus eos conſtituit,qui deſuper à templo pugnarent,poſt muri ambitum contra exedrã occidentalẽ admotas,qua ſolũ poterant,quod aliæ partes gradibus ex longinquo fuerunt occupatæ.Et ille quidem fabricatis ex impietate machinis,ſubactum iri ſperauit hoſtes.Deus uero laborem eius inutilem demõſtrauit,& priuſq; in his quicq; poneret,Romanos adduxit.Etenim Titus,poſtq; partẽ ad ſe collegit exercitus, alijs uero ut ad Hieroſolymam occurrerẽt ſcripſit, Cæſaream profectus eſt.Erant autem tres legiones,quæ pridem ſub eius patre Iudæã uaſtauerant,& duodecima,quæ olim cũ Ceſtio male pugnauerat,quæq; licet per id fortitudine eſſet inſignis,tunc tamen eorũ etiam memoria quæ pertulerat,alacrius ad uindictam properabat.Harum quidem quintã legionẽ iuſſit ſibi per Emmaus occurrere,decimam uero aſcendere per Hiericunta.Ipſe quidem cum cæteris regreſſus eſt,quos regum quoq; ſubſidia plura quàm dudum,multiq; Syri auxiliatores comitabantur: Suppletum eſt autem quatuor legionum quantum Veſpaſianus ſelectum cum Mutiano miſerat in Italiam, ex his qui cum Tito acceſſerant.Duo nanq; milia de Alexandrino exercitu lecta,tria milia uero ex Euphrate eum ſequebantur, & amicorum ſpectatiſſimus beneuolentia ſimulq; prudentia, Tiberius Alexander, qui antea quidem Aegyptũ adminiſtrauerat, tunc autẽ dignus qui exercitum regeret propterea iudicatus, quod primus incipienti fuit hoſpes imperio, & cum fide dariſſima incertæ fortunæ ſociatus eſt:idemq; conſultor in uſus bellicos ætate ac peritia præcipuus aderat.

Titus explorator Hieroſolymæ periclitatur. Caput II.

PRogredientem uero in hoſtilem terram Titum,antecedebãt regia omniaq; auxilia,poſt eos uiarum ſtratores,caſtrorumq; metatores.Deinde rectorũ ſarcinæ atq; armati.Poſt hos ipſe Titus,& alios lectos habens & ſigniferos, quorũ agmen equites ſequebantur.Hi uero ante machinas ibant,& ſecundum illos

unà cum lectis chiliarchi,& præfecti cum cohortibus. Poſt autem circum aquilã ſigna,& ante ſigna tubicines,deinde acies ſenum uirorũ ordinibus dilatata. Seruile autem uulgus à tergo cuiuſq; agminis,& ante hos ſarcinæ. Omnium uero nouiſſimi mercenarij,eorumq; cuſtodes coactores armorum. Procedens autem decenter exercitus,ita ut mos eſt Romanis,in * Goſnam per Samaritidẽ uenit, quæ &prius ab eius patre fuerat occupata,& tũc præſidijs tenebatur. Ibi aũt unã moratus eſt ueſperã:mane inde proficiſcitur:peractaq; die in mãſione,caſtra ponit in loco quem Iudæi ſermone patrio Acanthonaulona uocitant,iuxta uicum quendam Gabath Saul nomine,quod ſignificat uallem Saul,diſtãtem ab Hieroſolymis ſtadijs ferè triginta. Hinc ſexcentis propè lectis equitibus comitatus, perrexit in ciuitatem,quàm tuta eſſet,Iudæorũq; animos exploraturus: ſi forte ſe cõſpecto,priuſq; ad manus ueniretur,metu cederent. Audierat enim quod erat uerum,à ſeditioſis & latronibus oppreſſum populum deſiderare quidem pacem:ſed quod rebellantibus infirmior eſſet,nihil conari. Quandiu quidẽ mane per uiam quæ ad murũ duceret equitabat,nemo ante portas apparuit: ubi uero itinere ad turrim ſaxeam declinato,tranſuerſum agmen equitum duxit,infiniti ſubitò proſiliunt, quà muliebres turres uocantur,& per eam quæ cõtra monumentum Helenæ porta eſt egreſſi,equitatum interciduntatq; alios etiam tunc uia currentes,ne cum his qui diuertebant ſeſe iungerent,à fronte oppoſiti prohibuerunt: Titum uero cum paucis ſeparant. Ille autem ultrà quidem minus progredi poterat:à muro enim cuncta foſſis patebãt,& tranſuerſi erant hoſtes,multiſq; macerijs impedita. Ad ſuos autem in aggere conſtitutos recurſus,intercedẽte hoſtili manu,deſperabatur. Quorum plericq; imperatoris periculũ neſciebãt: ſed exiſtimantes eum ſecum reuerti, etiam ipſi fugiebant. Titus autem in ſua tantum fortitudine ſitam eſſe proſpiciens ſpem ſalutis,flectit equum,& ut ſe ſequerentur cum clamore comites adhortatus,in medios hoſtes irruit, ui ad ſuos tranſire feſtinãs. Quo quidẽ tempore maximè intelligi potuit,& belli momenta & imperatorum pericula deum curare. Tot enim aduerſus Titum miſſilibus iactis cum neq; galea neq; thorace ſeptus eſſet(non bellator enim ſed explorator, ut dixi,proceſſerat)nullum in eius corpus delatum eſt:ſed tanquam ne eum ferirent,ex induſtria mitterentur,omnia præteruolabant. Gladio uero ſemper à lateribus inſtantes dirimens,multosq; ante ora ſubuertens,ſuper cadẽtes agebat equũ. Illorum aũt clamor erat,propter audaciam Cæſaris;ut eum aggrederentur,cohortatio:fugaq; & diſceſſio repentina,quocunq; diuerteret curſum. Huic aũt ſe periculi participes,cũ à tergo & à lateribus funderentur,adiunxerant. Vna enim erat unicuiq; ſpes ſalutis,uiam cum Tito potefacere,priuſq; circunuentus opprimeretur. Deniq; duo ex nimis pertinacibus,alter cum equo percuſſus eſt: altero uero deiecto & occiſo,equus eius abductus eſt. Titus uero iam cum cæteris in caſtra ſaluus euadit. Iudæis quidem, quod aggreſſione prima ſuperiores fuerant,inconſulta ſpes animos extollit,magnamq; his in poſterum fiduciã momentum temporaneum comparauit.

Aliàs Gophnam.

De eruptionibus Iudæorũ contra Romanos caſtrametantes. Caput III.

CAeſar autem,poſtq; ex Emmaus agmen ſibi ſociatũ eſt nocte,luce inde digreſſus ad locum qui Scopos appellatur,accedit,unde iam & ciuitas & dara

templi magnitudo conſpici poterat:qua parte ſeptentrionalem regionem conti- *Titus admouet milites urbi.*
nens ciuitas humilior, proprie Scopos nominatus eſt,diſtans à ciuitate ſtadijs ſeptem: ibiq; duabus legionibus ſimul,quintæ legioni uero retrorſum ſtadijs tribus caſtra muniri iubet:Labore nanq; nocturni itineris attritos milites progredi uiſum eſt,ut ſine formidine murum ſtruerent.Mox autem cœpto ædificio,decima quoq; legio per Hiericunta aderat à Veſpaſiano præoccupata: ubi quædã pars armatorum in præſidio fuerat collocata. His aũt præceptum erat ſexto ab Hieroſolymis ſtadio caſtra ponere,qua in parte mons,qui appellatur Elæon,cõtra ciuitatem ab oriente ſitus eſt,altaq; interiacẽte ualle diſcernitur, cui nomen eſt Cedron.Intra ciuitatem uero ſine requie confligentium diſſenſionẽ,tum primum ingens ſubitò bellum foris interueniens, refrenauit,& cum ſtupore ſeditioſi Romanorum caſtra inſpectantes,trifariam diſtributa mala,inter ſe iniere concordiam:rationemq; inuicem requirebãt,quidnam expectarẽt, quidue perpeſſi, tres muros cõtra uitã ſuam paterentur opponi:belloq; tanta ſe fundente licẽtia, tanq; ſpectatores bonorum operũ ſibiq; utiliũ reſiderẽt.Mœnibus clauſis,remiſſisq; armis ac manibus,in noſmetipſos profecto,exclamat aliquis, tantũmodo fortes ſumus:Romanorũ aũt lucro ex noſtra ſeditione ſine ſanguine oppidũ cedet.His alios atq; alios cõgregantes exhortabantur,raptisq; armis, ſubitò in legionẽ decimã ruunt:perq; uallẽ facto impetu, cum ingẽti clamore murũ ædificãtes Romanos aggrediuntur.Illi aũt in opere diſtributi,armis ob eam cauſam pleriq; depoſitis(nec enim excurſum Iudæos auſuros eſſe credebãt,& ſi maxime uellent,animos eorũ ſeditione diſtractum iri arbitrabãtur)præter opinionẽ perturbati ſunt:atq; opere quiſq; derelicto,confeſtim alij receſſere:multi aũt ad arma properãtes,priuſq; ſe in hoſtes porrigerẽt,feriebãtur.Plures aũt Iudæis ſemper adijciebantur,eorũ freti uictoria qui præceſſerant,& quod cum pauci eſſent, multiplex numerus & ſibi & hoſtibus uidebãtur,quod ſecunda fortuna uterentur.Romani aũt maxime ordinari cõſueti,& cum decore atq; præceptis bellũ gerere ſcientes,ex perturbatione trepidabãt.Vnde tunc quoq; præuenti aggreſſione cedebant.Si quãdo tamen ſeſe cõuerterẽt ab inſequentibus occupati,& à curſu reprimebant Iudæos,& ob impetũ minus cautos feriebãt.Semper uero excurſione gliſcente magis magisq; turbati,poſtremo caſtris pulſi ſunt : totaq; legio tunc in periculum uentura fuiſſe uidebatur,niſi hoc mature ſibi nunciato, Titus eis tuliſſet auxilium,multisq; increpans ignauiam,& ſuos à fuga reuocaſſet:Iudæisq; à latere ipſe cum his irruens,quos circa ſe habebat electos,multos quidẽ occidiſſet,plures uero ſatiaſſet,omnes autem in fugã uertiſſet,atq; in uallem præcipites compuliſſet.Illi autem pronoin loco multa mala perpeſſi,poſtquã in aduerſam partem euaſere,flectunt ſe iterum,& ualle intercedẽte cum Romanis dimicabant.Igitur ad medium diem ita bellatũ eſt.Paulo autem poſt meridiem, Titus his qui ſecum erant in ſubſidio collocatis:alijsq; de cohortibus aduerſus excurrentes oppoſitis,reliquum agmen ad murum in ſummo montis ædificandum remiſit.Iudæis aũt hæc fuga eſſe uidebatur.Cũq; ſpeculator quem in muro poſuerant,amictu agitato ſignum dediſſet, frequentiſſima multitudo tanto impetu proſiliſt, ut eorum curſus immaniſſimis beſtijs eſſet aſſimilis . Denicq; *Iudæi irruũt in Romanos caſtrametãtes.* *Romani è caſtris pulſi.*

in aduerſa acie ſtantium nemo impetum ſuſtinuit: ſed tanquam machina per-
Iterum Romani milites pulſi. cuſſum agmen, continuo diſſipatum eſt, pulſiq; in montem refugiunt. In aſcenſu autem medio Titus cum paucis relictus eſt, multumq; monẽtibus amicis, qui pro imperatoris reuerentia contempto periculo perduraverant, ut mortem appetentibus Iudæis cederet, neq; pro his in diſcrimẽ ueniret, quos ante ipſum ſaluos eſſe non oporteret: ſed potius fortunam ſuam reputaret, quod non militis officio fungeretur, uerum & belli & orbis terræ dominus eſſet, ne in fugam uerti uideretur, in quo omnia niterentur. Hæc ne audiret ſimulans, & ad ſe recurrentibus obſtabat: eosq; in ora feriens, cum ui obniterentur, occidebat, & in galeam repente incumbens, multitudinem repellebat. Illi autem & uiribus eius & obſtinatione perterriti, ne tum quidem in ciuitatem fugêre: ſed in utrunq; latus ab eo declinantes, rurſum fugientes inſequebantur. Quos tamen aggreſſus à latere, ipſorum quoq; impetum præpediebat. Dum hæc aguntur, etiam illos qui ſuperiora caſtra muniebãt, ubi fugere inferiores uidere, metus ac turba occupat: totumq; agmen diſpergitur, ſuſpicantium excurſum quidem Iudæorum ferre non poſſe. Titum uero in fugam uerſum. Nec enim unquam illo manente alios fugituros fuiſſe, & tanquam laruali terrore circundati, alius aliò ferebantur: donec quidam, cum in medio bello uerſari imperatorem uidiſſent, plurimum metuẽtes uniuerſo agmini ſuorum, eius periculũ cum clamore nunciauerunt. Itaq;
Fuga Iudæorum. pudore reuocati, & fuga maius aliquid ſibi exprobrantes, quod Cæſarem deſeruiſſent, totis uiribus in Iudæos utebantur, & ſemel ad deſcenſum tranſuerſi urgebant eos in decliuia. Illi autem in pedem recedentes pugnabant. Cumq; Romani plus poſſent, eo quod ſuperiores erant, in uallem omnes coacti ſunt. Titus autem cõtra ſe poſitis imminebat, & legionem quidem ad muri fabricam redire iubet: ipſe uero cum his quibus antea reſiſtendo hoſtes arcebat. Itaq; ſi me nihil addentem obſequio, neq; inuidia detrahentem uerum dicere oportet, ipſe Cæſar bis totam legionem periculo liberauit, atq; ita caſtra muniendi copiam militibus præbuit.

De inteſtina pugna azymorum diebus. Caput IIII.

REmiſſo autem pauliſper bello externo, iterũ inteſtinũ ſeditio ſuſcitauit. Azymorumq; inſtante die, qui eſt Aprilis menſis quartuſdecimus (hoc enim ſe primum tempore opinãtur Iudæi ab Aegyptijs eſſe liberatos) Eleazarus quidem cum ſocijs portam ſubaperiens, introire cupiebat ex populo qui templum adorare cuperent. Iohannes autem die feſto ad protegendas inſidias, uſus eſt & ſuorum quoſdam ignotiores, armis ſub ueſte latentibus inſtructos, quorum plerig; de induſtria ingreſſi erant, occulte, inter eos fani occupãdi gratia ſubmittit: illi autem poſtquam intrauere, ueſtimentis abiectis, ſubito armati apparuerũt. Magna uero ſtatim turba circa templa ac tumultus erat, cum alienus quidem à ſeditione populus, omnibus diſcrimen imputaret, Zelotæ uero ſibimet ſolum inſidias comparatas. Verum hi quidem relicta portarum cuſtodia, & alij ex propugnaculis deſilientes, priuſquam manus conſererent, in templi cloacas confugêre. Populares autem ad aram delati, & circum templum appulſi conculcabantur, cum lignis paſſim ferroq; cæderentur. Multos otioſorum inimici priua-

to

to odio, quasi diuersæ factionis socios interficiebant. Et quicunq; ante hæc insidiatorem aliquem offenderat, tunc agnitus quasi Zelotes ducebatur ad mortē. Sed qui atrocitate magna innocentes afficerent, inducias concessere nocentibus, progressosq; ex cloacis dimiserunt. Ipsi autem interius templum, & omnes eius apparatus tenentes, confidentius oppugnabāt Simonem. Seditio quidem hoc modo, quæ tripartita fuerat, in duas partes diuisa est. Titus autē castra propius ciuitatem transferre cupiens de Scopo, contra excursus quidem lectos equites ac pedites, quos satis esse arbitrabatur, posuit: alium uero exercitum iussit totum quod erat usq; muros spatium complanare. Cunctis igitur materijs ac sepibus diruptis, quibus hortos ac locos incolæ præmunierant, omniq; opposita, quamuis mansueta, sylua excisa, repletum est quicquid erat cauū & uallibus impeditum. Saxorum autem eminentissimis ferro truncatis, humiliorem, totum illum tractum à Scopo usq; ad Herodis monumēta fecerunt, serpentium stagnū continentia, quæ olim Bethara uocabatur.

Titus castra propius urbi admouet.

De Iudæorum dolo in Romanorum milites. Caput V.

HIs denicq; diebus Iudæi Romanis huiusmodi insidias parauere. Seditiosorum audacissimi extra muliebres (quæ sic appellantur) progressi turres, simulato quod pacis eos studiosos pepulissent, eo quod timerent impetum Romanorum, ibidem uersabantur, & alter sub altero uitabundi latebant. Alij uero per muros dispositi, populumq; se esse simulantes, clamore pacem implorabant, fœdusq; poscebant: portasq; se patefacturos esse pollicentes, inuitabant Romanos. Hoc autem uociferantes, unà etiam contra suos, ueluti portis eos abigerent, lapides iaciebant. Illicq; se ui perrumpere aditus uelle simulabant, & ciuibus supplicare. Cumq; ad Romanos sæpissime ire conarentur, reuersi perturbatis similes uidebantur. Verum hæc eorum calliditas, apud milites quidem fide non carebat: sed tanquam hos quidem in manibus haberent paratos ad supplicium, illos uero ciuitatem sibi aperturos sperabant, opus aggredi festinabant. Tito aūt suspecta erat inuitatio, quia ratiōnē non haberet. Pridie nāq; prouocatos eos ad pactionē per Iosephum, nihil mediocre sentire cognouerat, etiā nūc milites manere loco suo præcepit. Iam uero quidā operibus appositi, raptis armis ad portas excurrere cœperant. Hi aūt qui expulsi uidebantur, primo quidem cedebant: deinde ubi ad turres portæ propinquabant, cursu eos circumuentiūt, & à tergo persequebantur. Qui uero in muro stabant, lapidum his multitudinem, omnigenumq; telorum simul infundūt: adeo ut multos quidem necarent, plurimos quidem sauciarent. Nec enim facile erat à muro diffugere, alijs retro uiolenter instantibus. Et præter hoc pudor quod rectores peccaucrāt, itēcq; metus in delicto perseuerare suadebat. Quamobrem hostes diu decernentes, multis uulneribus acceptis, neq; paucioribus redditis, postremo eos à quibus circumuenti fuerant repulere. Quos tamen recedentes usq; ad Helenæ monumentū, Iudæi urgendo iaculis sequebantur. Deinde insolēter fortunæ maledicentes, & Romanos uituperabant fraude pellectos: scutaq; alta sublata crispantes tripudiabant, & cum lætitia uociferabantur. Milites autem interminatio principū, & Cæsar iratus, huiusmodi oratione corripuit: Iudæi quidem, quos sola regit de-

Conuicia Iudæorū in eōs milites Romanos.

ſperatio,omnia cũ deliberatione faciũt atq; prudentia,fraudes & inſidias cõpo-
nendo,eorumq; dolos fortuna proſequitur,quod ſunt morigeri,ſibiq; inuicem
beneuoli ac fideles:Romani uero,quibus ob diſciplinam & conſuetudinem ob-
diendi rectoribus,fortuna famulatur,nũc contrario peccant,& intẽperantia ma-
nuum debellãtur:quod omnium eſt peſſimum,præſente Cæſare,ſine rectore di-
micantes. Certe,inquit,plurimum ingemiſcent militiæ leges,plurimum pater,ſi
hoc uulnus audierit. Ille quidem cum bellando ſenuerit, nunquam iſto modo
peccauit. Leges autem,ſi cum in eos qui minimum quid præter ordinem mo-
uerint,morte uindicent,nunc totum deſeruiſſe exercitum uideant. Modo autem
ſcituros eſſe eos ait,qui arroganter egere,quod apud Romanos etiam uincere ſi
ne præcepto ducis,infamiæ eſt. Hæc Titus ad rectores locutus cum indignatio-
ne,certus erat,qua lege in omnes erat uſurus. Et hi quidem abiecerunt animos,
quaſi iamiamq; iuſte morituri. Circunfuſa uero agmina Titum pro commilito-
nibus obſecrabant:paucorumq; temeritatem condonari cunctorum obedien-
tiæ precabantur:emendaturos enim peccatum præſens,futuræ compenſatione
uirtutis. Placatus eſt Cæſar utilitate ſimul ac precibus. Nãq; unius hominis ani-
maduerſionem uſq; ad factum promouendam putabat, multitudinis uero ad
ueniam. Militibus quidem reconciliatus eſt,multum monens ut poſt hæc pru-
dentius agerent. Ipſe uero,quemadmodum Iudæorum ulciſceretur inſidias, co-
gitabat. Interuallo autem,quod uſq; ad muros ciuitatis erat,per quatriduum co
æquato,ſarcinas aliamq; multitudinem cupiens tutò traducere,militum ualidiſ-
ſimos à ſeptentrionali tractu in occiduum,ſeptenos per ordinem, contra murũ
prætendit altius,ualle depreſſa. Peditibus autem in fronte,ac poſt eos equitibus
acie terna diſpoſitis,cum ſinguli ordines ſeptenos haberent,ſemoti ſagittarij ſta-
bant. Excurſibus autem Iudæorum tanto agmine circumfuſis, impedimẽta triũ
legionũ,itemq; alia multitudo ſine timore tranſit. Ipſe quidem Titus cum pro-
pè duobus ſtadijs adeſſet muro,ad anguli eius partem contra turrim, quæ ap-
pellatur Sephines,caſtra ponit. Ad quam muri ambitus ex aquilone pertinẽs,
flectitur ad occidentẽ. Altera uero pars exercitus eam turrim uerſus,quæ appel-
latur Hippicos,muro circundat duum ſtadiorũ ſpatio ſimiliter à ciuitate deſcen-
dens. Decima tamen legio in Elæon monte,ubi erat, manebat.

Titus cæpit temeritatẽ militum.

Alibi Pſophinen.

Deſcriptio Hieroſolymorum. Caput VI.

CIuitas autem trino muro circundata erat, niſi qua uallibus inuijs cingeba-
tur. Ex ea nanq; parte,unius muri habebat ambitum,& ipſa quidem ſuper
duos colles erat condita, contrarijs frontibus ſemet inſpicientes, interueniente
ualle diſcretos,in quam domos creberrime deſinebant. Collium uero alter,quo
ſuperior ciuitas ſedet,multo eſt excelſior,& in prolixitate directior: adeo ut quo-
niam tutus erat, caſtellum quõdam à Dauid rege uocaretur. Is pater Salomo-
nis fuerat,qui primus templum ædificauerat. A nobis autem forum ſuperius ædi-
ficatum eſt. Alter autem,qui appellatur Acra,inferiorem ſuſtinet ciuitatem,&
undiq; decliuis eſt. Contra hunc autem tertius collis erat,natura humilior quàm
Acra,& alia lata ualle ante diuiſus. Verum poſtea qua tempeſtate Aſamonæi
regnabant,& uallem aggeribus repleuerunt, ut templo coniungerent ciuitatem

Tres muri Hieroſolymorum. Tres colles.

Caſtellũ Dauid.

Acra.

& Acræ

& Acræ altitudinem cæſam humiliorem fecerant, ut ex ea quoq; ſanum ſupere-
minens cerneretur. Vallis aũt quæ Tyropeon appellatur, qua parte diximus ſu-
perioris ciuitatis collem ditimi ab inferiori, uſq; ad Siloã pertinet. Ita enim fon- Siloa.
tem, qui dulcis eſt ac plurimus, uocabamus. Foris autem ciuitatis duo colles pro-
fundis uallibus cingebantur, & utrinq; obſtantibus rupibus, nulla ex parte adiri
poterant. Trium uero murorum uetuſtiſſimus quidem, propter ualles, imminẽ-
temq; his deſuper collem quo erat conditus, facile capi non poterat. Ad hoc au-
tem, quod loco præſtabat, etiam firmiſſime ſtructus erat, Dauid & Salomonis,
aliorumq; interea regum largiſſimis impenſis operi ſumptibus deuotis. Hac au-
tem parte incipiens à turri, cui nomẽ eſt Hippico, & ad eam quæ dicitur Xyſtus
pertinens: deinde curiæ coniunctus, in occiduam templi porticũ deſinebat. Parte
aũt altera ad occidentẽ ex eodem loco ductus, per eum qui uocatur Betiſo deſcẽ-
dens in Eſſenorum portam: deinde ſupra fontem Siloam in meridiem flexus,
atq; inde rurſus in orientem uerſus, quà ſtagnum Salomonis eſt, & uſq; ad locũ
pertinens, quem Ophilan uocant, cum orientali porticu tẽpli coniungitur. Secũ- Secundus
dus autẽ murus, ex porta quidem habebat initium, quẽ Genethã appellabant. murus.
Hæc autem fuerat muri prioris. Septentrionalem uero tantũmodo tractum am-
biens, uſq; ad Antoniam aſcendebat. Tertio muro turris Hippicos principium Tertius mu-
dabat: unde ad Beroẽ tractum pertinens, deinde ad Sephinam turrim ueniens, rus ab Agrippa additus.
contra monumentum Helenæ, quæ Adiabenorum regina fuerat, Azitæ regis fi-
lia, & per ſpelũcas regias in longũ ductus, à turri quidem in angulo poſita, flecte-
batur contra Fullonis quod dicitur monumentum. Cum uetere autem ambitu
iunctus in Cedron uallem, quæ ſic dicitur, deſinebat. Hoc muro eam partem ci-
uitatis, quam ipſe addiderat, Agrippa cinxerat, cum eſſet omnis antè nuda. Ex-
huberans enim multitudine, paulatim extra mœnia ſerpebat templi, quæ ſepten-
trionali regione colli proxima ciuitate adiuncta non paululũ proceſſerat. Quin
& quartus collis incolebatur, cui nomen eſt Abiſade, ſitus quidẽ ex aduerſo An- Collis Abi-
toniæ: foſſis autem altiſſimis ſeparatus, quæ de induſtria ductæ ſunt, ne Anto- ſade.
niæ fundamentis colli cohærentibus, & acceſſui facilis ſit, & minus editus: unde
etiã foſſæ altitudo plurimũ turribus celſitudinis adiiciebat. Nominata eſt pars
addita ciuitati uoce indigena Zebethana, quod græco ſermone dicitur noua ciui-
tas. Eius aũt partes incolis protegi deſiderãtibus, pater huius regis eodem nomi-
ne Agrippa, murũ quidem ita ut prædiximus inchoarat. Veritus aũt Claudiũ
Cæſarem, ne magnificentiam conſtructionis ad nouarum rerũ diſcordiæ ſuſpi-
cionem traheret, fundamentis tantummodo iactis, ab opere deſtitit. Nec enim
expugnabilis eſſet ciuitas, ſi perfeciſſet muros ut cœperat. Saxa enim uiginti cu-
bitis longa, & decem lata contexebantur: quæ neq; ferro facile ſuffodi poſſent,
neq; machinis dimoueri: hiſq; murus dilatabatur. Profecto autem altitudinis
quoq; plus habuiſſet, ſi eius magnificentia, qui ædificium aggreſſus erat, mini-
me fuiſſet inhibita. Rurſus autem idem murus, etiam Iudæorum ſtudio fabri-
catus, ad uiginti cubitos creuit. Et murus quidẽ binis cubitis, propugnacula uero
trinis habebantur: totaq; altitudo ad uigintiquinq; cubitos erigebatur. Murum
autẽ ſupereminebant turres, uiginti quidem cubitis in altitudinem, uiginti ue-

ro in longitudinem, quadratis angulis ſtructæ, & ſicut ipſe murus plenæ acſoli-
Turres mu rorũ quot. dæ. Præterea ſtructura ac pulchritudo ſaxorum nihil erat templo deterior. Poſt altitudinem uero turrium ſolidam, uiginti cubitis elatam, cellæ deſuper ac cœnacula erant, aquarumq; pluuialium receptacula, & tortuoſi laticq; ſingulorum aſcenſus. Eiuſmodi quidem turres nonaginta tertius murus habebat: earum autẽ interualla cubitos ducentos. Medius uero murus in quatuordecim turres, & antiquus in ſexaginta diuiſi erant. Omne autem ciuitatis in gyro ſpacium triginta tribus ſtadijs finiebatur. Cum autem totus admirabilis eſſet tertius murus, admirabilior Sephinæ turris ad ſeptentrionem occidentemq; ſurgebat in angulo,
Sephina. qua parte Titus caſtra poſuerat. Ex ea nanq; per ſeptuaginta cubitos ædita, ſole orto Arabia proſpici poterat, & uſq; ad mare, itẽq; ad ultima finiũ Hebræorũ. Erat aũt octo angulis. Cõtra eã uero turris Hippicos, & iuxtà duæ, quas Herodes rex in antiquo muro ædificauerat: quæq; magnitudine ſiue pulchritudine ac firmitate, uniuerſis quæ toto orbe eſſent præſtabãt. Nã præter naturalẽ animi liberalitatem, rex pro amore ciuitatis, operum excellẽtiam proprijs affectibus indulgebat: perſonisq; tribus chariſſimis, quarũ nominibus turres appellauit, fratri & amico, & coniugi memoriam dedicando, huic quidem, ut dixi, amoris cauſa peremptæ, ijs autem bello amiſſis, cum fortiter decertaſſent. Hippicos quidem turris, amici uocabulo dicta, quatuor angulis erat. Singulæ autem uiginti quinq; cubitos in latitudine, itemque longitudine habebant, & excelſæ triginta cubitos, erant uſq; inanes ſupra ſoliditatem, ſaxisq; adunatam compagi-
nem. Puteus uiginti cubitis altus erat imbribus excipiendis. Super hunc autem duplici tecto domus, uigintiquinq; cubitis alta, in quã uaria mẽbra diuiſa, & deſuper eam minæ quidem binis, propugnacula uero ternis cubitis ambiebant, & omnis altitudo ad octogintaquinq; cubitos numeratur. Secunda uero turris,
Phaſelus. quam fratris nomine Phaſelon appellauerat, æque lata fuerat ac longa, cubitis quadragenis. Per totidem autem cubitos in pilæ modum facta, & ſolida eius altitudo ſurgebat. Et ſuper hãc decẽ cubitis ædita porticus erat, inſtructa brachijs, itemq; propugnaculis ſepta. In media uero porticu, ſupereminens alia turris ſtabat, in membra magnifica & balneas, ne quid regalis ei uſus uideretur deeſſe: in ſummo autem propugnaculis, miniſq; erat ornata, cũ omnis eius celſitudo, prope ad nonaginta cubitos tolleretur, & ſpecie quidem uidebatur aſſimilis Phari turri, quæ Alexandriam nauigantibus ignem procul oſtendit: ambitu uero amplior dilatabatur. Tunc autem tyrãnicum domicilium exhibebat Simoni. Ter-
Turris Mariamnes. tia uero turris Mariamnes (ſic enim regina uocabatur) uſque ad uiginti cubitos facta, per uiginti alios cubitos in latitudinem tendebat, & magnificentiora cæteriſq; ornatiora diuerſoria ſuſtinebat: cum id proprium, ſéque dignum eſſe rex putauiſſet, ut uxoris nomine appellata turris, plus haberet pulchritudinis, quàm quæ uirorum nominibus uocitatæ ſunt: ſicut illæ hac munitiones erant, cui fœmina nomen dederat, & cuius omnis altitudo per quinquaginta quinque cubitos erigebatur. Sed quanquam tres turres tantæ magnitudinis erant, ex loco tamen, quo erant ſitæ, multo uidebantur eſſe maiores: nam ipſe antiquus murus, in quo erant, excelſo loco fuerat conditus,

tus & ipſius collis,uelut quidam uertex,altius prope ad triginta cubitos emine/bat,ſupra quem turres poſitæ,multum ſublimitatis aſſumpſerãt. Mirabilis etiã fuit lapidum magnitudo:nec enim ex uulgaribus ſaxis,aut quæ homines ferre poſſent,uerum ſecto marmore candido,& ſingulis per*uiginti cubitos longis,latisq; decem,ac per quinq; altis,erãt ædificatæ:quæ ita inter ſe copulata erant, ut ſingulæ turres,ſingula ſaxa uiderentur. Sic autem manibus artificum in faciem angulosq; formata,ut nuſq; iunctura compaginis appareret. His autem in ſeptentrionali parte poſitis,intus aula regia coniungebatur,narratione omni præſtantior. Nec enim uel magnificentia,uel ſtructura operis,aliqua ex parte ſuperabatur:ſed tota quidem muro,per triginta cubitos edita, cincta erat. Aequalis autem ambitu, turribus ornatiſſimis ambiebatur: itemq; uirorum receptaculis & cœnaculis lectorum centum capacibus. Inenarrabilis autem fuit ſaxorũ uarietas,collectisq; ibi plurimis,quæ ubiq; rara uidebantur,& faſtigia ſimul proceritate trabium,& ornamentorum claritudine mirabilia. Membrorum autẽ multitudo, & innumeræ ſpecies ædificij, plenáque omnia ſupellectilis, cum pleraq; in ſingulis ex auro eſſent,atq; argento. Ad hæc,multæ porticus,alia per aliam in circulũ flexæ,colũnæq; in ſingulis,& quæ inter eas ſub dio patebant ſpatia,cum eſſent utiq; uiridarijs,ſyluisq; uariata:tũ prolixas ambulationes habebãt,altis euripis cinctas,& ciſternis ubiq; ſignorum æneorum plenis,quibus aqua effundebatur:multæq; turres mãſuetarum circum latices columbarũ. Sed enim neq; pro merito exponi regia,qualis fuerit,poteſt. Habet memoria cruciatũ,referens, quantas res latrocinalis flamma conſumpſerit:nec enim hæc à Romanis incenſa ſunt,ſed ab inſidiatoribus inteſtinis,ut ſuprà memorauimus in principio diſſenſionis. Et ab Antonia quidem omnia corripuit ignis:trãſijt autem in regiam, triumq; turrium tecta corripuit. Fanum aũt conditũ erat,ut dixi, ſupra duriſſimum collẽ. Et initio quidẽ uix tẽplo atq; areæ ſufficiebat,iacens in ſummo plani cies,quod undiq; præceps erat atq; decliuis. Cum autẽ rex Salomon, qui etiam tẽplum ædificauerat,muro eius partẽ ab oriẽte cinxiſſet,una porticus aggeri eſt impoſita,& manebat ex alijs partibus nudũ,quod à ſeculis poſterioribus, ſemp aliqd aggeris accumulãte populo,coæquatus,collis latior effectus eſt. Perrupto aũt ſeptentrionali quoq; muro,tantum aſſumpſere ſpatium,quantũ poſtea totius fani ambitus induſerat. Triplici autem muro colle circundato, ſpe maius opus extructum, in quo longa ſecula conſumpta ſunt, omneſq; theſauri ſacri, quos toto orbe miſſa deo munera repleuerant,tam in ſuperiore ambitu, quàm inferiore templo ædificatis:cuius quod humillimũ fuit,trecẽtenis cubitis munierant,in quibuſdam uero locis pluribus. Non tamen omnis altitudo fundamentorũ uideri poterat,multum uallibus obrutis,ut anguſtas uias oppidi coæquarent. Saxa uero quadragenũ cubitorũ magnitudinis erãt. Nam & pecuniarũ copia,& populi largitas, maiora dictu conabatur:quodq; nunq; poſſe perfici ſperabatur,diuturnitate ac perſeuerantia explicabile uidebatur. Tantis autem fundamentis digna erant opera impoſita. Duplices porticus omnes quas columnæ ſuſtinebant,quinis & uicenis cubitis altæ, de ſingulis ſaxis marmore candido,& laquearia cedrina protegebant. Quorum naturalis magnificentia,quodq;

*Aliãs triginta.

Aula regia.

Porticus.

Columnæ.

ligno

ligno rasili erant, aptecq; cohærebant, operæpretium spectantibus exhibebant: nullocq; aut pictoris, aut sculptoris opere extrinsecus ornabantur. Latæ autẽ per triginta cubitos erant: omniscq; gyrus earum, sex mensura stadiorum cum Antonia cõcludebatur. Totum autem sub dio spatium, uariabatur omnium quidem generũ lapidibus stratum: quà uero ad secundũ templũ ibatur, cancellis septum saxeis ad tres cubitos altis, nimiũcq; grato opere factis, ubicq; æquis depositæ interuallis columnæ stabant, legem castimoniæ præmonentes, aliæ Græcis, aliæ Latinis literis, in locum sanctum transire alienigenas nõ debere. Sanctum enim uocabatur alterũ fanũ, & quatuordecim gradibus ascendebatur à primo, quadratumcq; sursum erat, & proprio muro circundatum. Cuius exterior celsitudo, quamuis quadraginta cubitis surgeret, tamẽ gradibus tegebatur. Interior aũt uiginti quinq; cubitis erat: qm̃ in altiori loco per gradus ædificata nõ tota pars interior cernebatur, colle obtecta. Post quatuordecim autem gradus, spatium erat usq; ad murum trecentis cubitis planum. Hinc rursum alij quinq; gradus, & scalæ ad portas ducebant: à septentrione quidem ac meridie octo, quaternæ utrinq; uidelicet, duæ uero ex oriente. Necessario nanq; proprius locus, religionis causa mulieribus destinatus, muro discernebatur: altera quoq; parte opus esse uidebatur. Contra primam uero, secreta erat ex alijs regionibus una porta meridiana, & una septentrionalis, quibus ad mulieres introibatur: per alias enim transire ad mulieres non licebat. Sed nec suam portam interiecto muro transgredi licebat. Patebat enim locus ille pariter indigenis & hospitibus fœminis, religionis causa uenientibus. Occidua uero pars nullam portam habebat, sed perpetuus ibi murus erat extructus. Inter portas autem porticus, à muro intro propè ad thesauros aduersæ, magnis & pulcherrimis columnis sustinebantur. Erant autem simplices, ac præter magnitudinem nulla re ab inferioribus aberant. Portarum aũt, aliæ quidem auro & argento undiq; tectæ erant, itemcq; postes ac frontes: una uero extra templum ære Corinthio, quæ multum argento inclusas & inauratas honore superabat. Et binæ fores quidem in singulis ianuis erant tricenis cubitis altæ, quinisdenis etiam latæ. Post introitum uero, ubi latiores fiebant, triceni utrinque cubitis exedras habebant: exemplo quidem turrium longas & latas, supráq; uero quàm uiginti cubitis celsas. Singulas autem binæ columnæ duodenûm cubitorum crassitudine sustinebant. Et aliarum quidem portarum magnitudo par fuit. Quæ uero supra Corinthiam posita erat, quò mulieres conueniebant, ab oriente aperiebatur. Porta templi sine dubio maior erat: quinquaginta enim cubitis surgens, quadraginta cubitorum fores habebat, ornatumcq; magnificentiorem: quoniam crassiori argento atq; auro uestiebatur: quod quidem* nomen portis infuderat Tiberij pater, Alexander. Gradus autem quindecim à muro, qui mulieres segregabant, ad maiorem portam ducebant. Nanq; illis, qui ad alias portas iter dirigerent, quinq; gradibus erant breuiores. Ipsum uero templum in medio positum, hoc est, fanum sacrosanctum, duodecim gradibus ascendebatur. Et à fronte quidem altitudo eius & latitudo, centenos cubitos habebat: penè autem quadraginta cubitis angustior erat. Aditus enim, ueluti quibusdam humeris, utrinque uicenum cubitorum

producebatur

Fanum.

Portæ fani.

Al. nomen.

producebãtur. Prima uero eius porta ſetuaginta cubitis alta erat, & uiginti quinque lata: neq; fores habebat: cœli enim ſecreta, quod intercluſa erat, ſignificabat. Erãtq; totæ frõtes inauratæ: ac prima ædes omnis perlucebat extrinſecus auro: circum fani portam ſplendida cuncta cementibus occurrebant. Cum autem interior eius pars duplici tecto fulgeret, adiacens ei prima porta patebat in altitudinem perpetuam: perq; nonaginta cubitos tollebatur, cum longa quadraginta cubitis eſſet, ac uiginti tranſuerſa. Ipſius uero ædes tota inaurata erat, ut dixi, & circum eã ſaxeus paries. Deſuper autem habebat aureos pampinos, unde racemi ſtatura hominis dependebant, & quod duplex tectum erat templi, exteriore humilius uidebatur, & fores habebat aureas, quinquaginta & quinq; cubitis altas, ſexdecim uero latas. Et ad hæc Auleum longitudine pari: hoc eſt, uelum Babylonium, hyacintho, & byſſo, & cocco, & purpura uariatum, mirabili opere factum, neq; ornationis inopiam colorum permixtione, ſed uelut omnium rerum imaginem præferens. Cocco enim uidebatur ignem imitari, & byſſo terram, & hyacintho aërem, ac mare purpura. His quidem coloribus, byſſo autẽ ac purpura natiuitatem: quoniam byſſum quidem terra, mare autem purpuram gignit. Eratq; in eo perſcripta omnis cœli ratio, præter ſigna. Introgreſſos autem in templum, planities excipiebat: cuius altitudo habet quidem ſexaginta cubitos, & longitudo totidem, ac latitudo uiginti. Rurſus autem quadraginta cubitis diuiſi erãt. Et prima quidem pars, ad quadraginta cubitos auulſa. Hæc tria mirabilia, & prædicanda opera cunctis hominibus habebat: cãdelabrum, & mẽſam, & thuribulum. Septem uero lucernæ, ſtellas errantes ſignificabant. Tot em̃ ab ipſo candelabro diuidebantur. Dudecim uero panes in menſa poſiti, ſignorum circulum, atq; annum. Thuribulum autem per tredecim odores, quibus replebatur, ex mari & inhoſpito & inhabitabili, deſignabat omnia dei eſſe, deoq; ſeruire. Intima uero templi pars, uiginti cubitorum erat. Diſcernebatur autem ſimiliter uelo ab exteriore, nihilq; prorſus in ea erat poſitum: inacceſſa uero, & inuoluta, & inuiſibilis omnibus habebatur, ſanctiq; ſanctum uocabatur. Circa latera uero inferioris templi, multa erant membra peruia, triplici tecto ſuſpenſa, & ad utrunq; latus, ad eam introitus à porta patebat. Deſuper autem pars eadem membra non habebat, quo minus erat anguſtior, celſior autem quadraginta cubitis, nec ita ut inferior ambitioſa. Colligitur enim ad quadraginta cubitos omnis celſitudo, cum in ſolo centum cubitos habebat. Exterior autem facies, nihil quod animus aut oculi mirarentur, non habebat. Cruſtis enim aureis grauiſſimis undiq; tecta, ultra primos ortus igneo ſplendore lucebat: ut cum intuerentur, contendentium oculi quaſi ſolis radijs auerterentur. Hoſpitibus quidem adeuntibus, procul monti niueo ſimilis uidebatur. Nam ubi deauratum non erat templum, candidiſſimum erat. In ſummo autem aureis uerubus horrebat acutiſſimis, ne ab inſidentibus auibus pollueretur. Nonnullorum autem ſaxorũ eius, longitudo quadragintaquinq; cubitis erat, altitudo quinq;, & latitudo ſex. Ara uero pro templo, quindecim cubitis alta, lata uero & longa cubitis quadragenis, quadrataq; ſtãs, ueluti cornutis angulis eminebat, & à meridie aſcẽſus in eã dementer arduus reſupinabatur. Sine ferro aũt conſtructa erat, nec unquã

Auleum.

Candelabrũ
Menſa.
Thuribulũ.

Tẽpli pars interior.

Ara.

eam

Lorica populũ à sacerdotibus discernens in templo.

eam ferrum tetigerat. Templum autem, aramq; cingebat ex pulcherrimo saxo lorica gratissima, usq; ad cubitum surgens, quæ populum à sacerdotibus segregabat. Gonorrhœos, hoc est, semine fluẽtes, itẽq; leprosos tota ciuitas arcebat, & fœminis menstrua soluentibus clausa erat. Prædictum autem limitem, ne puris quidem mulieribus transgredi permittebatur. Viri autem, qui nõ per omnia casti fuissent, ab interiori aula, & qui puri essent, à sacerdotibus prohibebantur. Qui uero ex origine sacerdotum genus ducentes, cæcitatis causa munere nõ fungebantur, cum incolumibus intra limitem aderant, partesq; generis consequebãtur: uestibus tantum utebantur plebeijs: quoniam sacerdotali solus qui sacra celebrabat, amiciebatur. Ad altare uero, templumq; accedebant carẽtes omni uitio

Sacerdotes, eorumq; uestes.

sacerdotes, uestę quidem amicti byssina: maxime uero mero abstinẽtes, ac sobrij religionis metu, ne quid res diuinas faciendo peccarent. Pontifex autẽ cum ipsis nõ tamen semper ascendebat, sed diebus quibusq; septimis, & per singulos mẽses Calendis: uel si quando patria festiuitas atq; annua ab omni populo agebatur. Et sacrificabat uelamine præcinctus, eoq; tectus femora usq; ad genitalia: lintheũ uero habens intrinsecus demissum usq; ad pedes, hyacinthinũ desuper indumentũ rotundum, ex quo fimbriæ pendebãt, alternis nodis aurea tintinnabula, malaq; granata sustinentes: tintinnabulis quidem tonitrua, malis uero fulgura designantibus. Pectoris aũt uestimentum, uittæ cingebant, *quinq;* uariatæ coloribus: hoc est, auri, purpuræ, cocci, byssi, & hyacinthi: quibus etiam uela templi diximus esse contexta. Habebat idem etiam chlamydem temperatam, in qua plus auri erat: habitu quidem indumento thoraci similis uidebatur: duabus autem fibulis aureis, aspidum specie uinciebatur: quibus inclusi erant optimi maximiq; sardonyches, scripta tribuum gentis Iudææ nomina præferentes. Ex altera uero parte, duodecim pendebant alij lapides, in *quatuor* partes terni diuisi: hoc est, sardius, topazius, smaragdus, anthrax, iaspis, sapphirus, achates, ametisthus, ligurius, onyx, beryllus, chrysolithus: quorum singulis singula iterum cognomina erant scripta. Caput autem byssinus tyaras tegebat, hiacinthis coronatus. Et circa eam alia corona erat aurea, scriptas ferens sacras literas, quæ sunt quatuor elementa uocalia. Ea quidem uestę post tempus, minus autem ambitiosa utebatur, si quando adyta introibat. Solus autem atq; semel in anno intrabat, quo die cunctos ieiunare deo mos erat. De ciuitate quidem, ac templo iterum & moribus, & legibus diligentius referemus. Non enim pauca super his exponenda sunt. Sed Antonia quidem, in angulo duarum porticuum sita erat prioris templi, quæ ad occidentem septentrionemq; spectarent. In saxo autẽ fuerat extructa, quinquaginta cubitis alto, & undiq; prærupto: quod opus Herodis regis fuit, ubi maxime ingenij sui magnificentiam demonstrauit. Primum enim à radicibus saxum ipsum leuatis crustis obtegebatur, quo & decus adderet operi, & facile dilaberentur, qui uel ascendere uel descendere tentauissent. Deinde ante priores turres, ædificium murus erat cubitis tribus. Intra hunc omne spatium Antoniæ, in quadraginta cubitis erigebatur. Intus autem, regiæ latitudinem ac descriptionem habebat, diuisam in omnem usum, habitationem, & genera, & species, id est, atria, & balnea, & aulas castris aptissimas: ut

Arx Antonia.

quantum

quantum ad uſum neceſſarium pertinet,ciuitas uideretur, magnificentia uero palatium:inſtar uero turris toto habitu formata,quatuor alijs per angulos turribus cingebatur: quarum cæteræ quinquaginta cubitis erant altæ: quæ uero ad meridianum,orientalemq; angulum ſita erat, ſeptuaginta cubitis eminebat, ut ex ea totum templum uideri potuiſſet. Quà uero porticibus iungebatur,utrinque deſcenſus habebat,unde cuſtodes commeabant.Semper nanque in ea Ro. milites reſidebant: & cum armis circa cuſtodes poſitis, ne quid populus feſtis diebus noui committeret,obſeruabãt.Caſtrum enim erat impoſitum oppido, & oppidum quidem templo,templum uero Antoniæ. In hac autem porticu cuſtodes erant, & ſuperioris ciuitatis aliud caſtellum, regia Herodis erat. * Abiſade autem collis, ita ut dixi, ab Antonia ſeparabatur: qui cum omniũ eſſet altiſſimus,etiam parti nouæ ciuitatis cõiungebatur,temploq; ſeptentrionali ſolus obſtabat. De ciuitate quidem,ac muris eius,iterum ſcribere plenius cupiens,in præſentia ſatis dixi. *Aliàs Beſa.*

Deditionem Iudæi recuſant, & Romanos adoriuntur. Cap. VII.

PVgnaciſſima quidem, maximeq; diſſentiẽs multitudo circa Simonem erat, hominum decem milia,præter Idumæos:quinquaginta uero decem milium duces,quibus ipſe quaſi dominus omnium præerat. Idumæi autem qui erãt eius partium,cum eſſent numero quinq; milia,duces decem habebãt. Horum autem principes uidebantur, Soſæ Iacobus,& Cathlæ filius Simon.Ioannes autem qui templum occupauerat,ſexq; armatorum milia habebat,quos uiginti duces regebant,tunc autem illi acceſſerant etiam Zelotarum,depoſitis diſcordijs,duo milia quadringenti: qui Eleazaro,quem ante habuerãt,& Simone * Arim filio uebantur ducibus. His autem(ut diximus)bellum inter ſe gerentibus,populus erat præmium:& plebis pars, quæ non eadem,quæ ille committeret, ab utriſq; diripiebatur. Tenebat autem Simon quidem ſuperiorem ciuitatem, murumq; maiorem uſque ad Cedron,& antiquioris muri, quantum à Siloa flectitur ad orientem,& uſque ad Monobazi aulam deſcendit. Is autem rex eſt Adiabenæ gentis, ultra Euphratem habitantis. Tenebat autem etiam montem Acræ,quæ inferior eſt ciuitas,uſq; ad Helenæ regiam,quæ Monobazi fuerat mater.Ioannes autem, templo & circum templum aliquatenus incẽſis omnibus,itemq; Ophla,& ualle quæ Cedron appellatur, & alijs quæ interiacebant, medium bello quod inter ſe gerebant, ſpatium aperuere. Nec enim caſtris Romanorum prope murum poſitis, intra ciuitatem ſeditio quieſcebat:ſed ad primum eorum impetum pauliſper ſanitate recepta,mox ad priſtinum morbum rediere.Rurſusq; diſcreti,pro ſua quiſq; parte pugnabat:omnia faciendo,quæ obſidentes optarent.Nihil enim impius a Romanis paſſi ſunt, quàm ipſi ſe tractarunt: neq; poſt illos ciuitas aliquid nouæ calamitatis experta eſt.Sed illa quidem grauiores prius caſus pertulit,antequam ſubuerteretur. Qui uero eam debellarant,maius aliquid perfecere. Dico enim, q; ſeditio ciuitatem,Romani uero ſeditionem cepere,quia multo erat mœnibus tutior:& res quidem aduerſas ſuis,iuſticiam uero recte quis Romanis aſcribit.Intelligit autem quod dies cuiq; ſuggeſſerit. Veruntamen his intra ciuitatem ita ſe habentibus, Titus cum lectis equitibus foris circuiens,quà muros aggrederetur, explorabat.Hæſitanti autem,quia nec ab ea parte adiri poterat pedibus,qua ualles *Aliàs Lairi.*

erant,& ab alio latere,prior murus inſtrumentis ſiue machinis firmior uidebatur, placuit ad Ioannis pontificis monumẽtum (hæc enim tantummodo & prius humilior erat, nec ſecundo muro concingebatur) inuadere. Neglecta enim fuerat munitio,propterea quia non ſatis noua ciuitas frequẽtabatur. Sic in tertium murum facilis aditus illac erat: per quem,ſuperiorem ciuitatẽ,& per Antoniam,templum capi poſſe cogitabat. Hæc eo colluſtrante, quidam ex amicis eius, Nicanor nomine,ad humerum læuum ſagitta percutitur: cum propius unà cum Ioſepho acceſſiſſet: pacemq; in muro ſtantibus (dicendi enim peritus erat)ſuadere tentaret. Vnde cognitis eorum conatibus,Cæſar ex eo,quod nec ad ſalutem ſe hortantibus abſtinuere, excitatur in obſidionem: ſimulq; ſuburbana militibus uaſtare permittit. Collectaq; omni materia, iubet aggerem conſtrui. Tripartito autem exercitu ad opera, medios in aggeribus iaculatores, & ſagittarios conſtituebat, & ante eos balliſtas,aliasq; machinas, atq; tormẽta:quibus & excurſus hoſtium in opera prohiberet, & qui ex muris obſtare tentarent. Cæſis autem arboribus, momento ſuburbana ſpoliata ſunt. Collectis autem lignis in aggeres,cum totus operi intentus eſſet exercitus,nec Iudæi ſegnes erant,populum quidem in rapinis & cædibus cõſtitutum fiducia tunc habebat,quod reſpiraturus eſſet:illis aduerſus hoſtes diſtractis, exiſtimantem pœnas ſe ab noxijs repetiturum, ſi romani ſuperaſſent. Ioãnes autem quamuis in externos ſocij ſui irrumpere properaſſent,metu tamen Simonis manebat. Verum Simon quieſcebat:proximus enim erat obſidioni, miſſilibus per murum diſpoſitis, quæ pridem Romanis abſtulerat: cum præſidium quod apud * Antoniam fuerat, cepit. Sed horum poſſeſſio, propter imperitiam pleriſq; non erat utilis. Pauci autem à transfugis docti,male utebantur inſtrumentis. Sed cum lapidibus & ſagittis aggerem iacientibus militibus imminebant,perq; cuneos excurrentes,manus etiam cõſerebant. Operantes autem minora ſcuta ſuper uallum expoſita protegebant, omnibusq; agminibus contra excurſus erant machinæ comparatæ mirabiles. Præcipue uero decimæ legionis balliſtæ uehementiores, & tormenta ſaxorum, quibus non ſolum irruentes, ſed etiam ſuper murum ſtantes euertebantur. Nam & ſingula ſaxa talenti pondus æquabant,& ultra ſtadij modum torquebantur. Ictus autem,non ſolum primis quos offendiſſet, ſed aliquando poſterioribus quoq; intolerabilis erat. Iudæi primo quidem cauebant à lapidibus,quod erant candidi: nec tantum ſono ac fremitu noſcebantur,ſed etiam claritudine proſpiciebantur. Deniq; ſpeculatores in turribus præſidentes,prædicebant,quando impelleretur machina,ſaxumq; ferretur: patria lingua damantes, filius uenit. Itaq; præſciebant,in quos ueniret,atq; ita uitabant: & hinc eueniebat, ut illis declinantibus, lapis irritus intercideret. Proinde Romani cogitabant,atramento decolorare lapides. Tunc enim miſſi,non ſimiliter incertos ictus habebant,multosq; ſimul unius impetu corrumpebant. Sed ne male quidem affecti Iudæi,aggeris inſtruendi Romanis copiam dabant. Omni uero eos molitione, atq; audacia,die noctuq; prohibebant. Perfectis autem operibus, plumbo & ligno ab aggeribus iacto, fabri quod erat ad murum ſpatium metiuntur. Nec iam aliquid fieri poterat,quoniã deſuper telis petebãtur. Cumq; pares interuallo arietes inueniſſent,eos applicant:propiusq; diſpoſitis machinis.

Nicanor pacẽ ſuadens uulneratur.

Alijs Aiam.

Machinæ bellicæ muris admotæ.

Filius uenit.

Titus,

Titus,ne ex muro arietes prohiberentur,ex tribus partibus murum pulsari iubet. Sonitu autẽ circumstrepente ciuitatem,clamor ingẽs ciuium sublatus est, itemq; seditiosos pauor inuasit.Et quia periculum commune utrisq; uidebatur,communiter iam repugnare cogitabant.Vociferantibus inter se discordibus,quia omnia pro commoditate hostium facerent:cum si non perpetuam concordiam sibi deus præbeat,saltem in præsentia contra Romanos oporteat cõspirare.Simon autem præcone misso,uolentibus ex templo ad murũ egrediendi copiam dedit:idemq; & Ioannes, licet minus crederet,permisit.Illi autem obliti odiorum, ac discordiarum suarũ,in unum corpus coëunt:murumq; amplexi,faces inde quamplurimas iaciebant contra machinas Romanorum,contraq; impulsores arietum:eosq; sine intermissione telis petebant.Audacissimi uero cateruatim prosilientes, machinarum tegmina dissipabant.Hisq; appositis irruentes, peritia quidem pauca, plura uero audacia perficiebant.Semper autem aderat adiumento laborantibus ipse Titus : & iuxta utrasque machinas equitibus ac sagittarijs ordinatis, ignem quidem ferentes prohibebat,iaculantes uero à turribus,reprimebat,nocẽdi tempus arietibus faciens : & tamen murus ictibus non cedebat, nisi quod quintæ legionis aries commouit angulum turris: murus autẽ stabat incolumis. Nec enim statim cum turri periculum sensit, quæ multo altius eminebat, nullamq; partem muri secum trahere poterat in ruinam. Cum autẽ ab excursibus paululum quieuissent,obseruato Romanos per opera & castra esse dispersos, quia labore & fotmidine Iudæos discessisse arbitrarentur, excurrunt omnes, quà turris erat Hippicus,porta latenter:ignemq; operibus inijciunt. Vsque ad castrorum quoq; munimenta,in Romanos animati procedebãt.Horum autem periculo mature, & qui erant propius excitati sunt,& qui procul aberant cõuenere. Romanorum autem disciplina uincebat audaciam Iudæorũ:& quos prius offenderãt, in fugam uersis alijs qui colligerẽtur instabant. Grauis autem circum machinas pugna commissa est,illis incendere, his incendium prohibere certãtibus.Incertusq; clamor utrinq; tollebatur,& multi qui in fronte steterant,ceciderunt.Sed Iudæi confidentia superiores erant,ignisq; opera tetigerat. Incensaq; omnia cum instrumentis penitus essent,nisi lecti de Alexandria restitissent plericq;,præter opinionem sui uiriliter dimicãtes. Nam glorioſissimis in hoc bello prælati sunt,donec imperator equitum potentissimis comitatus, in hostes irruit:& ipse quidem duodecim repugnatores peremit.Metu autẽ dadis eorum,cætera multitudine in fugam uersa,omnes compulit in ciuitatem, eoq; modo aggeres liberauit incendio. In hac autem pugna, unum ex Iudæis uiuũ capi contigit,eumq; Titus crucifigi pro muro iussit,si forte reliqui uel hoc spectaculo territi concederent.Post eius uero discessum,etiam dux Idumæorum Ioãnes,dum ante muros cum noto milite loquitur,à quodam Arabe pectus sagitta percussus,continuo perijt: magnumq; & Iudæis luctum,& seditiosis mœrorem reliquit.Nam & manu promptus erat,& sapientia nobilis.

Excursus Iudæorũ in Romanos.

Ignis à Iudæis iniectus machinis Romanorum.

Ioannes sagitta ictu interimitur.

De casu turris & duorum murorum obtentu. Caput VIII.

NOcte uero quæ secuta est,incredibilis tumultus Romanis incidit.Nam cum tres turres imperator Titus quinquagenûm cubitorum cõstrui præcepisset, ut his per aggeres singulos positis, hinc hostes in muro stantes facilius in fugam

Casus unius turrium.

uerteret,una earum ſponte ſua nocte intempeſta lapſa eſt. Ingenti uero ſonitu facto,metus occupauit exercitum. Conari autem aliquid Iudæos ſuſpicati,ad arma currebant, eaq; re turba in legionibus ac tumultus erat. Cumq; nemo quid accidiſſet,referre poſſet,diu queruli,alius aliud opinabantur: nulliſq; interueniẽtibus hoſtibus,ſemetipſos timebãt:ſignumq; diligẽter ſinguli à proximis requirebant, tanquam Idumæi iam caſtra poſſiderent:larualiq; terrore capti uidebantur, donec Titus,cognitis quæ res erant, uerũ cunctis indicari iuſſit:tandemq; tumultus eo nuntio conquieuit. Iudæi quidem cætera fortiter ſuſtinẽtes, male turribus affecti ſunt. Machinis enim leuioribus,& iaculatoribus,ac ſagittarijs,ſaxorumq; tormentis inde feriebantur. Sed neque harum æquare ipſi poterant celſitudinem,& turres excidendi ſpes non erat. Cumq; neque euerti propter grauitatem, neque incendi propterea quod ferro tegebãtur,facile poſſent, ultra iactum teli fugiẽtes, arietum impetus non uitabant: qui ſine intermiſſione ferientes,paulatim aliquid proficiebant. Itaque muro iam cedente magno arieti Romanorum,quem Iudæi Niconam uocabant, quod omnia uinceret, quamuis & antea defeſſi erant pugna,& uigilijs,cum longe ab oppido pernoctarent: tamen etiam negligentia,uel quod male conſulerent,murum ſibi ſuperuacuum eſſe credentes,quibus alia duo munimenta ſupereſſent,laſſatiq; plurimi receſſere. Cum autẽ Romani,quampri mum murum Niconas perruperat, aſcendiſſent,ad ſecundum omnes Iudæi relictis cuſtodibus,refugerunt. Portis autem Romani qui tranſierunt,patefactis,exercitum recepere. Et hi quidem hoc modo potiti muro,die quintodecimo menſis Maij,& partem eius maximam diruunt, ad ſeptentrionalem ciuitatis regionem, quam ante Ceſtius uaſtauerat. Titus autẽ notato quia Aſſyriorum caſtrum eſt, militem transfert,occupato enim,quod inter Cedron fuerat ſpatio,& ultra ſagittæ iactum à ſecundo muro ſeparatus,expugnationem ſtatim aggreſſus eſt. Tunc igitur partiti murum Iudæi,fortiter reſtiterunt. Et Ioãnes quidem, eiusq; ſocij,ex Antonia & ſeptentrionali porticu templi ab Alexandri monumẽto pugnabant. Simonis autem manus iuxta monumentum Ioannis aditum dauſerant, uſque ad portam, qua in Hippicon turrim aqua inducebatur. Sæpe autem proſilientes è portis,cominus dimicabant:fugatiq; à muris,in conflictu quidẽ Romanorum diſciplina,propter imperitiam uincebãtur: in murali autẽ certamine ſuperabant. Eos autem fortuna atq; ſcientia, Iudæos uero audacia,quam timor aleret,ſuſtentabat:quod natura erant in calamitatibus duri. Ad hæc autẽ, & iſtis ſuberat ſpes ſalutis,& Romanis citæ uictoriæ. Neutros autem laſſitudo fatigabat:ſed aggreſſiones, murorumq; oppugnationes, & excurſus crebri per cuneos, diebus totis agebantur:nullaq; præliorum ſpecies aberat,cum à prima luce incipientia,utriſq; inſomnibus & die grauior nox dirimeret: his quidem occupatum iri murum continuo metuentibus,illis uero,ne Iudæi caſtra peruaderent. Itaque in armis pernoctantes,prima luce utrique pugnæ parati erant. Et Iudæi quidem certabant,quis eſſet promptior ad periculum,eoq; modo gratia emineret à ducibus ſuis. Maxime uero Simonis eos metus ac reuerentia commouebat, eoq; modo illum ſinguli ſubiectorum colebant, ut ad ſemet quoq; interficiendos parati eſſent, ſi hoc ille iuſſiſſet. Romanos autem ad uirtutem hortabatur conſuetudo uincendi, & quia

Primus murus ab arietc diruptus.

Romãi potiti primo muro.

Oppugnatio ſecundi muri.

uinci

trinci non assueuerant, crebræq; militiæ, exercitationesq; perpetuæ, & imperij magnitudo. Ante omnia uero, Titus semper ubiq; præsens. Nam & inertia, spectante atque opitulante Cæsare, grauissimum facinus uidebatur: & ei qui bene decertasset, testis aderat, qui rependeret præmium. Præterea fructus erat, uel cognosci solum principi uirum fortem: idcirco multorum malorum rebus alacritas demonstrata est. Deniq; istis ipsis diebus, ualidissima Iudæorum acie instructa promœnibus, telisq; utrinque missis, quidam Longinus de numero equitum ex acie Ro. progressus, in mediam aciem Iudæorum irruit: hisq; deiectis, hoc impetu duos fortissimos perimit, unius obuiam tendentis ore percusso, alterius eodem telo quod priori extraxerat, transfixo latere refugientis: & ex medijs hostibus ad suos primos occurrit. Ille quidem ob uirtutem insignis erat: æmuli autem eius fortitudinis multi extiterunt. Et Iudæi quidem negligentes quid paterentur, tantummodo qualiter afficerent, cõsiderabant: morsq; his leuissima ducebatur, si quo interfecto hoste cecidissent. Titus autem non minus saluti militis, quàm uictoriæ consulebat, & temerarios impetus desperationem dicens, solã uero esse uirtutem, siquis prudenter & caute sine proprio incommodo fortiter faceret, in ea re potius, quæ periculum non haberet, diros esse præcipiebat.

Audacia cuiusdam equitis Romani.

De Castore Iudæo Romanis illudente. Cap. IX.

ITaq; à septentrionali parte, mediæ turri applicat arietem: in qua Iudæus quidam uersutus ac subdolus, Castor nomine, cum decem alijs militibus suis deliguerat, fugatis cæteris formidine sagittarum. Hi cum pauidi sub thoracibus aliquandiu quieuissent, concussa turri surgunt. Extentisq; manibus, Castor, ueluti supplex Cæsarem implorabat: & uoce miserabili, ut sibi parceret, obtestabatur. Cui Titus pro simplicitate sua credulus, iamq; Iudæos existimans belli pœnitere, arietes quidem impulsione cessare iubet, ac sagittarios supplicibus prohibet. Castori autẽ quid uellet eloqui, permittit. Cumq; ille respõdisset, ad fœdus uelle descendere. Titus gratulari se ait, si omnes eadem sentire uoluissent, paratoq; animo fidem pacis, etiam ciuitati daturum. Sed cum ex illis decem Castoris socijs quinque itidem supplices esse simularent, cæteri nunquam se Romanis seruituros clamant, dum mori liberis liceat. Denique illis super hoc ambigentibus, cessabat expugnatio. Castor autem interea Simonem per internuntios admonebat, ut dum uacuum esset tempus, de rebus urgentibus consilium caperet, paulisper enim se illudere imperatori Romano. Simul autem hoc agens, ad pacem rogare contradicentes socios uidebatur. Illi autem uelut hæc referentes, in thoracas nudos fixere gladios, hisq; percussis uelut interfecti ceciderunt. Titus uero eiusq; socij obstupuere tanta eorum pertinacia, cum ex inferiori loco quod factum erat, uere uidere nõ potuissent: mirabãturq; simul audaciam, & calamitati miserebantur. Interea Castorem ad natem quidã sagitta percutit. Tumq; ille telum extractum imperatori ostendens, iniqua se perpeti querebatur. At Titus incusato qui hoc emiserat, astãtem Iosephum dirigit, ut Castori dexteram porrigeret. Verum is neq; se iturum, nihil enim sanum supplices cogitare, respõdit: & amicos qui uoluere ire prohibuit. Cum uero quidam ex profugis Aeneas, iturum sese dixisset ad eum, & inuitante Castore, ut etiam secum in quo ferret argentum aliquid susciperet,

Dolus cuiusdam Castoris Iudæi.

peret. Ad hæc cum ille ſtudioſe aperto ſinu cucurriſſet, ille ſuper eum ſaxum demi ſit. Et ipſum quidem, quoniã præcauerat, ferire non potuit, alterum uero militem qui aderat, uulnerauit. Cæſar uero fallaciam reputans, intellexit miſericordiam in bello nocere, minuſq; decipi calliditate ſæuitiam: arietis impulſionibus, iracundia fraudis, uehementius utebatur. Caſtor autem eiuſq; ſocij, turrim ictibus iam cadentem incendunt: perq; flammas in eiuſdem miſſi cuniculis, iterum magni animi opinionem apud Romanos habuere, tanquam ſe ignibus tradidiſſent. Capit autem hac parte murum Titus, die quinto, poſtquam primum ceperat: fugatiſq; inde Iudæis, intro cum lectis mille tranſijt, quos circa ſe habebat, armatis, ubi noua ciuitas & lanæ uenditores erant, fabriq; ærarij, ueſtiumq; mercatus, & ad murum anguſtæ uiæ tranſuerſæ tendebãt. Enimuero ſi uel ſtatim muri diſturbaſſet maximam partem, uel quæ ceperat lege belli uaſtaſſet, nullum credo damnum uictoriæ fuiſſet admixtum. Nunc autem Iudæos male tractando exoratum iri ſperans, cum liceret capere, facile diſceſſioni aditum non dilatauit. Nec enim quibus conſulebat, inſidiatores ſibi putabat.

Secundus murus à Romanis captus.

De ſecundo muro bis obtento à Romanis. Caput X.

DEnique poſtquam ingreſſus eſt, neq; occidi quenquam permiſit eorum qui comprehendebantur, neque domus incendi: ſed tam ſeditioſis, ſi pugnare uellent, ſine populi detrimento copiam dabat, quàm ipſi populo fortunas propri as ſe redditurum pollicebatur. Plurimi nanque petebãt ſibi ciuitatem ſeruari, tem plum uero ciuitati. At enim populum quidem, ad ea quæ hortabatur, & antea paratum habebat, bellicoſi autem pro inertia ducebant humanitatem: Titumq; imbelli animo, quod cæteram ciuitatem tenere non poſſet, has proponere condi tiones putabant, mortem populo denuntiantes: & ſi uerbum quiſquam de tradi tione feciſſet, pacémue nominaſſet, mox interficiendum eum eſſe minitantes. Romanis qui introiere, alij per uiarum anguſtias obſtabant, alij ex ædibus: alij murum per ſuperiores partes egreſſi, pugnare cœperunt. Quibus rebus perturbati cuſtodes, de muro ſeſe demiſerant, relictiſq; turribus in caſtra receſſere. Clamor autem audiebatur militum intra ciuitatem, quod ab hoſtibus cingerentur: foris autem degentium clauſis contubernalibus metuẽtium, creſcente numero Iudæorum: & propter locorum peritiam uiarumq; ſcientiam prævalente, multi Romanorum trucidabantur, & ab incumbentibus pellebantur, cum magis neceſſitate reſiſterent. Nec enim multis ſimul fugiendi copia per anguſtias muri patebat: omneſq; penè qui tranſierant, perempti fuiſſent, niſi Titus eis opem tuliſſet. Diſpoſitis enim per ſumma uiarum ſagittarijs, & ubi plus erat multitudinis aſtans, miſſilibus hoſtes abigebat, & cum eo Domitius Sabinus, uir bonus etiam in illo prælio comprobatus, durauitq; tam diu, ſagittis eos prohibens irruere: donec omnes milites receſſere. Romani quidem ita ſecundo muro potiti, ad extremũ pulſi ſunt. Oppidanis uero, qui pugnaces erant, ſpiritus creuit, & ſecundis rebus amentes erant, neque Romanos auſuros eſſe ad ciuitatem accedere ſuſpicantes, neque uinci ſe poſſe, ſi ad prælium proceſſiſſent. Nam quia iniqui erant, officiebat eorum ſententijs deus, & neq; Romanorum uim, multo maiorem illa quæ pulſa fuerat, ſupereſſe cernebãt: neq; famem, iamiamq; ſerpẽtem. Ad huc enim malis publicis alebantur,

Tito clemẽtia ſua nocuit.

Romani rurſum urbe pelluntur.

alebantur, & ſanguinem ciuitatis bibebant: propter bonos autem continebatur exitium, & penuria uictus iam multi defecerāt: Populi tamen interitum, ſeditioſi pro uelamine ſui ducebant: & ſolos eos qui pacem non probarent, ſaluos eſſe cupiebant, quiq; uiuere contra Romanos optarent. Contrariam uero multitudinem, uelut onus quoddam, conſumi gratulabantur: & ita quidem circa ſuos affecti erant. Romanos autem, quod ciuitatem iterum ingredi conabantur, armati prohibuerunt, diſſectis muri partibus obiectu corporum præmunitis, ac per triduum ſuſtinuere fortiter dimicantes. Quarto autem die, Titum uehementius aggreſſum nequaquam ferre potuerunt: ſed ui coacti, rurſum quò antea refugerunt: Ille autem interim muro potitus, totam eius ſeptētrionalem partem ſtatim depoſuit: in meridiana uero per turres præſidia collocauit. *Titus iterum ſecundo muro potitus eſt.*

De aggeribus in tertium murum & oratione prolixa Ioſephi pro deditione facienda, & fame obſeſſorum. Caput XI.

IAmq; tertium murum Titus aggredi cogitabat. Videbatur autem breuiſſimi temporis eius obſidio: ſpatiumq; conſilij ſeditioſis eſſe dandum, ſi quid diſtur batione ſecundi muri aut famis metu dimitterent. Nec enim diutius eis prædas poſſe ſufficere: & ipſe otio commode utebatur. Nam cum dies aduenisſet, quo militibus oportebat alimenta diſtribui, in conſpicuo hoſtibus loco ductis, iuſſit duces ordinato exercitu pecuniam ſingulis numerare. Illi autem prolatis armis ex inuolucris & uaginis, ſeptiq; procedunt, equitibus ornatos equos ducentibus: locaq; ſuburbana per multum ſpatium auro argentoq; lucebant: Illo autem ſpectaculo nihil aut iucundius ſuis, aut horribilius hoſtibus uidebatur. Spectantibus enim & uetera plena erant mœnia, & ſeptentrionalis regio. Quin & domos refertas intuentibus cerneres, nullamq; ciuitatis partem quam non infuſa multitudo tegebat. Metus autem quamuis audaciſſimos ceperat, omnem ſimul exercitum armorumq; pulchritudinem conſpicientes, & ordinationem uirorum. Et fortaſſe ad illā ſpeciem ſeditioſi animos mutauiſſent, niſi malorum immanitate, quæ in populum commiſerāt, dādam ſibi ueniam à Romanis deſperaſſent: imminēte autem, ſi deſtitiſſent, morte ſupplicij, bello mori præſtabilius eſſe ducebāt. Præualebat etiā fatum, quod innocentes cum nocētibus, & ciuitatem cū ſeditioſis perire decreuerat: Quatriduo per ſingulas legiones alimenta conſecuti ſunt. Quinto autem die, cū omnia faciēs Titus, nihil Iudæos pacatum cogitare ſenſiſſet, bifariam diuiſo exercitu, Antoniā uerſus ad Ioannis munimētum aggeres inchoauit: iſta parte ſuperiorē ciuitatē captum iri cogitās, & per Antoniam templū. Nanq; hoc niſi cepiſſet, nec oppidum quidē tutum erat obtinere. In utraq; autem parte duo aggeres erigebātur, à ſingulis agminibus ſinguli. Et iuxta munimentū quidē operantes, à Iudæis & Simonis ſocijs infeſtantibus prohibebātur: ad Antoniā uero ab Ioānis ſocijs cū multitudine Zelotarū, non ſolū quia de ſuperiore loco pugnabant, uerum etiā quia machinis iā uti didicerāt. Paulatim enim uſus quotidianus aluit peritiā. Habebant autē baliſtas trecētas, & quadraginta torméta ſaxorum, quibus difficiliorē aggerum extructionē Romanis efficiebant. Titus autē ſibi ſaluam fore fortunā ſciens, & perituram eſſe ciuitatem, unà & obſidioni uehemēter inſtabāt: nec pœnitudinem Iudæis ſuadere ceſſabat: cōſiliumq; factis admiſcens,

& orationem ſæpe armis efficaciorem cognoſcens, tam ipſos ut ſaluari uellent ro gabat, tradita ſibi ciuitate, quæ iam capta uideretur, quàm & Ioſephum allega bat, patria lingua uerba facturum: ſperans eos hominis gentilis monitu aliquid remiſſuros. Itaque Ioſephus murum circuiens, ſimulq; extra teli iactum ſtans, unde exaudiri facilius poſſet, multis orabat, ut ſibi ac populo parcerent, templo ac patriæ, néue contra hæc fierent alienigenis duriores. Romanos enim ſancta reuereri, cum quibus nulla ſibi ſocietas eſſet, manusq; ſuas ad hoc uſque cohibe re. Ipſos uero in his edoctos, cum ſeruare poſſent, ſponte ad eorum interitum ruere: quin potius uidere muros concidiſſe firmiores, exciſis uero infirmiores ſu pereſſe: Romanorumq; uires cognoſcerent ſuſtinere non poſſe, hisq; ſeruire non eſſe nouum, neque inexpertum Iudæis. Nam licet pulchrum ſit pro libertate pu gnare, tamen id in principio decere fieri. Semel autem ſubditum, qui multo tem pore paruiſſet imperio, iugum excuti, malæ mortis cupidum non libertatis ama torem uideri. Debere autem dedignari dominos humiliores, non quorum in po teſtate ſunt omnia. Nam quod Romanos effugit, niſi quod propter æſtus aut fri gora eſſe inadibile? imò uero tranſiſſe ad eos undiq; fortunam, deumq; per ſin gulas nationes ducẽtem imperium, nunc eſſe in Italia. Hanc autem ualidiſſimam legem, tam feris beſtijs quàm hominibus eſſe præfinitam, potentioribus cedere: apud eosq; eſſe uictoriam, apud quos robur fuerit armorum. Idcirco etiam ma iores eorum, quanquam multum & animis & corporibus & alijs ſubſidijs melio res, ceſſiſſe Romanis, qui niſi deum ſciſſent illis fauere, nũquam perpeſſi fuiſſent: ipſos uero concidentes adhuc reſiſtere, cum ex magna parte capta ſit ciuitas: ciues autem etiam ſi muros integros haberent, excidio pariter affecti ſunt. Nec enim latere Romanos, quæ fames teneat ciuitatem: & modo quidem conſumi popu lum, continuo uero etiam bellatores interituros: nam etſi Romani deſierint, & ab obſidione ceſſauerint, neque ciuitatem ſtrictis gladijs inruerint, Iudæis tamen in expugnabile bellum intus affidere, quod horis ſingulis aleretur: niſi forte quoque contra famem arma caperent ac dimicarent, ſoliq; poſſent etiam dades ſuperare. His addebat optimum eſſe, ante intolerabilem calamitatem mutare ſententiam: dumq; liceret, ſalutare conſilium ſequi. Nec etiam antea geſtorum cauſa ſuccenſe re Romanos, niſi ad finem uſq; inſolentes eſſent: natura eos eſſe in imperio man ſuetos, atq; iracundiæ præferre quod utile eſt. Vtile autem putare, neq; ciuitatem uacuam uiris, neq; deſertam habere prouinciam: idcirco uelle imperatorem cum his dexteram iungere: nec enim cuiquam ſalutem daturum ſi cui ceperit ciuitatem, præſertim qui nec in extremis ei dadibus rogati paruerunt. Breui autem murum quoque tertium captum iri, priores qui capti ſunt, fidem facere. Et quamuis per rumpi tutamina nõ poſſint, famem pro Romanis pugnaturam. His monentem Ioſephum multi in muro ſtantes uituperabãt, multi uero cõuicijs, nonnulli etiam iaculis appetebãt. Ille autem cum manifeſtis eos calamitatibus minime flecteret, ad gentiles tranſit hiſtorias: O miſeri, uociferans, ueſtrorumq; auxiliatorũ imme mores, armis & manibus cum Romanis bellum geritis, quaſi quem alium ſicuice rimus. Quãdo autẽ non deus omnium cõditor, Iudæorum defenſor eſt, ſi lædan tur? Non reſipietis? Vnde progreſſi pugnatis, quãtumq; auxiliatorem uiolatis?

Non

Non retordamini opera diuina parentum, atque hunc ſanctum locum, quanta bella nobis aliquando peremit. Ego autem facta dei narrare auribus indignis horreſco: ſed tamen audite, ut cognoſcatis non ſolum uos Romanis, ſed etiã deo reſiſtere. Nechias, qui tunc erat rex Aegyptiorum, idemq; Pharao uocabatur, cum infinita manu deſcendit, reginamq; Saram materni noſtri generis rapuit. Quid igitur uir eius Abraham proauus noſter? Armis credo ultus eſt iniuriam? Atqui ccc. & xviij. præfectos habebat, quorũ ſingulis infinita multitudo parebat. An ipſe quidem quieſcere maluit abſenti deo? Puras autẽ manus ad hunc locum tendens, quem uos polluiſtis, inuictũ ſibi auxiliatorem ad militiam legit. Nónne ſecũda ueſpera incorrupta regina remiſſa eſt ad maritum? Adorãs autem quem uos gentili cæde cruẽtaſtis, ac tremens, nocturnis ſomnijs Aegyptius exagitatus aufugit, auroq; & argento amantiſſimos deo donauit Hebræos. Dicam translata in Aegyptum maiorum noſtrorum domicilia. Qui cum annos quadringentos tyrannis ac regibus alienigenis ſubiacerent, armis ac manibus ulciſci poſſent, ſemetipſos deo potius permiſere. Quis neſcit Aegyptum repletam omni genere ſerpentium, omniq; morbo corruptam? Quis terram infructuoſam? quis Nili defectionem, & continuas decem plagas? & ob hoc parentes noſtros cum præſidio incruentos, & ſine periculo deduci, quos deus ſibi ſacerdotes ducebat. Sed ab Aſſyrijs raptam nobis ſanctam arcam, Palæſtina & Dagon ſimulacrum gemuit, etiam tota gens quæ rapuerat: corruptis uero occultis corporum, ac per ea cum cibo uiſceribus exhauſtis, cymbalorum ac tympanorum ſono manibus noxijs reportarunt, ſanctum placationibus expiantes: deus erat qui hæc parentibus admi niſtrabat, propterea quod omiſſis armis ac manibus, eius ſe iudicio permiſere. Rex Aſſyriorum Sennacherib, cum totam ducens Aſiam ad hanc urbem caſtra poſuiſſet, manibus non humanis cecidit. Nam ab armis quieſcentes in uotis erant, & angelus dei in una nocte infinitum deleuit exercitum. Poſteroq; die exci tatus Aſſyrijs dxxxv. milia reperit mortuorum, atque ita cum reliquis Hebræos inermes, nec perſequentes fugiebat. Scitis etiam in Babylone ſeruitium, ubi per annos lxx. populus exulans, non ante libertatem recepit, quàm eam dominus donaret, qui eos etiam eſt perſecutus, iterumq; auxiliatori ſuo ſacerdotum more ſeruiebant. Breuiter dicam, nullũ eſt operæpretium quod armis parentes noſtri perfecere, aut nõ ſine armis deo permiſſa poteſtate impetrauerint. Domi autem manentes, ut placebat iudici ſuperabant. Pugnantes uero, ſemper de ſpe deciderunt. Nam ubi rege Babyloniorum oppidum obſidente contra Hieremiæ prædicationem, Sedechias rex noſter cum eo congreſſus eſt, tam ipſe captus eſt, cõq; cum templo ciuitatem uidit excindi. Atqui uidete, quãto ille rex ueſtris ducibus, eiusq; populus uobis erat mediocrior. Deniq; Hieremiã uociferãtem, inuiſos eſſe eos deo propter delicta quæ in eum commiſerãt, captum iri autẽ niſi traderent ciuitatem, neq; rex neq; populus interfecit. Sed uos (ut intus geſta prætermittã, neq; digne poſſum iniquitates ueſtras exponere) me, qui uobis ſalutẽ ſuadeam, quærimini, teliſq; appetitis irati, quod uos ueſtrorũ cõmonefacio peccatorũ, nec dici ea toleratis, quorũ quotidie facta cõmittitis. Idem tunc fuit, cũ Antiocho, qui dictus eſt Epiphanes, obſidẽte ciuitatẽ, multis modis offenſa diuinitate, maiores noſtri cum

armis

armis progressi,ipsi quidem in pugna perempti,oppidum uero ab hostibus direptum est:sanctumq; per triennium sexq; menses penitus desolatum est.Et quid pluribus opus est? Ipsos Romanos quis contra Iudæorum gentes ad militiam prouocauit? Nónne indigenarum impietas? Vnde sæuire cœpimus? Nónne à seditione maiorum, quando Aristobuli & Hyrcani furor, & inter eos contentio, Pompeium intulit ciuitati, & Romanis deus indignos libertate subiecit? Deniq; tres menses obsessi, quanquam nihil quale uos in sanctum leges q; deliquerant, & maioribus ad bellum subsidijs utebantur,sese tradiderunt.Antigoni autem filij Aristobuli nescimus exitum? quo regnum obtinente, deus iterum captiuitate persequebatur populum delinquentem.Et Herodes quidem Antipatri filius, Sosium & Romanum adduxit exercitum. Circundati uero per sex menses obsidebantur,donec capti peccatorum suorum supplicia pependerunt:direptaq; est ab hostibus ciuitas,ita nunquam genti arma data sunt.Oppugnationi uero sine dubio cohæret excidium. Oportet ergo,ut opinor,sacri loci possessores iudiciũ deo de omnibus permittere:manusq; tunc humanas contemnere,cum à superno sibi iudice non recedant.Vos autẽ quid ex his,quæ legis conditor bene dixit,egistis? Quid,quod is execratus est,prætermisistis? Quãtum autem illos,qui cito periere, impietate superastis? nã occulta dedignantes peccata, hoc est furta, insidias atq; adulteria,rapinis,cædibus certatis,nouasq; maleficiorum excogitastis uias.Sanctum uero templum,factum est omniũ receptaculum: & indigenarum manibus pollutus est locus,quẽ Romani ex tã longinquo adorabant,multa per legem nostram de suis moribus derogantes. Deinde post hæc in quem fuistis impij, hunc auxiliatorem speratis? Valde quidem iusti estis,supplices,purisq; manibus adiutorem uestrum rogatis? Talibus rex noster precibus aduersum Assyrium supplicauit, cum magnum illum exercitum deus una nocte prostrauit? Similia uero Assyrijs Romani committunt,ut etiam similem ultionem speretis.Nam ille quidem ab rege nostro accepta pecunia,ut uastitati parceret,ciuitatis neglecto iureiurando,ad incendium templi descẽdit: Romani autem solenne posuunt tributum, quod parentes nostri eorum parentibus pensabant.Et si hoc impetrauerint,neq; populantes ciuitatem,neque sancta omnino tangunt. Concedunt autem uobis familias liberas & possessiones tenere,sacrasq; leges saluas manere patiuntur.Insania est profecto, sperare deum talem circa iustos fore, qualis iniustis apparuit: præsertim qui statim ulcisci nouerit cum oportet. Deniq; Assyrios prima nocte, qua castra ciuitati admouerãt,fregit. Quod si etiã uestram progeniem liberaret, Romanos uero dignos pœna iudicaret, confestim eis illo tempore sicut Assyrijs iratsceretur, quo genti manus Pompeius attulit, quo post illũ Sosius ascẽdit,quo Galilæam Vespasianus excidit,postremo non nunc Titus ciuitati appropinquaret.Sed neq; Magnus, neq; Sosius quicquam passi sunt, & ciuitatem uictoria ceperunt. Vespasianus autem ex bello quod nobiscum gessit,etiam imperium adeptus est. Nam Tito quidem etiã fontes nunc uberiores profluũt, qui prius uobis aruerant. Deniq; ante eius aduentum scitis & Siloam & omnes extra ciuitatem fontes adeo defeciſſe,ut ad utrunq; aqua mercaretur.Nunc autẽ ita hostibus nostris largi sunt, ut non modo ipsis & iumentis eorum,sed etiam hortis sufficiant.

Deniq;

Deniq; huius prodigij, & ante periculum factum est in excidio ciuitatis, quando supra memoratus Babylonius rex cum exercitu aduenit, qui & captam ciuitatem incendit & templum: quamuis ut opinor nihil tunc illi, quãtum uos impie nunc, commisissent. Itaque sanctis relictis, deum fugisse putauerim: hisq; nunc adesse, quibus cum bellum geritis. An bonus quidem uir domum flagitiosam fugiet, & domesticos oderit: Deum uero malis uestris inhærere arbitramini, qui etiam occulta cõspicit, & audit omnia quæ tacentur? Quid autem apud uos tacetur? quid celatur? quid non etiam planum inimicis factum est? Iniquitates enim uestræ uelut in promptu neminem latent: inq; dies singulos, quis peior sit, certamen habetis, atq; ita nequitiam, ut uirtutem demonstrare cõtenditis. Veruntamen reliqua salutis uia est, si uelitis, & diuinitas confessis ac pœnitentibus solet sese placabilis offerre. Arma proijcite, pudeat uos patriæ iam dirutæ, conuertite oculos, & prospicite eius quam proditis pulchritudinem, quale oppidũ, quale templum, quàm multarum gentium munera. Quis in hoc flammas adducit? quis hæc iam non esse desiderat? Et quid est hoc quod saluum esse debeat dignius? ô lapidibus duriores. Si hæc non ueris luminibus cernitis, saltem familiarum uestrarum miseremini. Versentur in conspectu cuiusq; filij, coniuges, & parentes, quos paulo post aut bellum aut fames absumpserit. Scio quia unà cum his periditabitur mihi mater & coniunx, & familia non ignobilis, domusq; olim dariſsima. Et fortasse propterea me quisquam hæc suadere crediderit: Interficite illos, accipite mercedem salutis uestræ sanguinem meum. Ipse quoq; mori paratus sum, si post me respiscitis. Hæc Iosepho uociferante cum lachrymis, seditiosi quidem neque animos flexerunt, neq; tutam sibi mutationem fore iudicauerunt. Populus uero ad profugiendum commotus est: & alij quidẽ possessionibus suis, alijsq; rebus chariſsimis exiguo pretio uenundatis, solidos quidem, ne latrones eos deprehẽderent, transglutiebant. Qui uero ad Romanos elapsi fuissent, exonerato uentre habebant usui necessaria. Titus autem plerosq; per agros, quo uellet quisq; pergere, dimittebat: idq; magis eos ad perfugium hortabatur, quod intestinis malis carebãt, Romanis conseruire. Ioannes autem & Simon cum socijs, ne his magis pateret exitus, quàm Romanis aditus, obstruebant: & qui uel umbram suspitionis dediſſet, continuo necabatur. Ditioribus quidem manere etiam sicut profugere, par causa erat pereundi: nam quasi transfugere uoluisset, propter patrimonium quisque occidebatur. Cum fame autem crescebat desperatio seditiosorum, & in dies singulos utrunque malum amplius accendebatur. Et palàm quidem nulla erant frumenta, irrumpentes autem scrutabãtur domos. Et siquidem inuenissent aliquid, eos qui negauerunt uerberabant: si uero nihil inuenissent, quasi diligentius celauissent, tormentis itidem afficiebant. Habendi autem argumento erant corpora miserorum, cum ea quæ solidis uiribus starent, abundare cibo putarentur. Tabidi autẽ transfigebãtur: nec rationis esse uidebatur, statim famè morituros occidere, multi uero dàm substantiam suã uno frumenti modio, qui ditiores essent, itemq; pauperes ordei permutarũt. Inclusi deinde intimis ædiũ tectis, quidã summa penuria infectũ triticũ comedebãt. Panẽ alij cõficiebãt, ut necessitas metusq; monuisset. Et mẽsa quidẽ nusquam apponebatur, sed incoctum subtrahẽtes igni

cibum

cibum diripiebant. Miserabilis autem erat uictus, dignumq; lachrymis spectaculum, cum potētiores quidem plus haberent, infirmiores autem iniuriam deplorarent, quippe cū fames super omnes clades haberetur: Nihil sic perdit hominē ut pudor: nam quod reuerētia dignum est, in fame negligitur. Denicq; uxores uiris, & filij parentibus, & quod miserrimum, matres cibum infantibus ex ipso ore rapiebant, & marcescentibus inter manus charissimis nemo parcebat, quin uitæ guttas auferret. Edentes uero talia nō latebant, sed ubicq; aderant qui ista diriperent. Nam si cubi dausam domum uidissent, eos qui intus erāt, cibum capere hoc suspicabantur indicio, statimq; ruptis foribus irruebant, uictumq; iam cōtusum dentibus, ex gutture penè reuocabant, ipsos faucibus strangulātes. Pulsabātur autem senes ne cibum defenderent: lacerabantur mulieres, ea quæ haberent in manibus occulentes: nullaq; miseratio uel cani capitis, uel infantiæ: sed abstractos pueros & ex buccella pendentes, humo allidebant. Si quis autē incurrentes anteueniset, quodq; rapturi fuerant deuorasset, tanquam læsi cruētiores erant. Acerbissimos autem cruciatus excogitabant. dummodo alimenta reperirent: nunc extruentes genitalium uias, nunc uirgis acutis podices transfigendo. Horrendaq; etiam auditu quis patiebatur, in unius panis confessionem, & ut unum pugnum farinæ abditum indicaret. Tortores autem nec esuriebant (minus enim crudele uideretur, quod necessitas imperaret) exercentes autem dementiam suam, sexq; sibi dierum uiatica præparantes, hisq; occurrentes, qui Romanorum custodias agrestis oleris herbarumq; gratia colligēdarum nocte reperissent, cum iam se hostes euasisse credebant, quæ attulissent eripiebant, multumq; supplicantibus, & horribile dei nomen implorantibus, ut aliquam partem sibi concederent eorum, quæ cum periculo sibi collegissent, nihil penitus dabant: gratumq; uidebatur, si spoliati non perirent. Hæc quidem humiliores à satellitibus patiebātur. Honorati uero ac diuites, ad tyrannos perducebantur, quorum alij insidiarum falsò accusati occidebantur, alij quia Romanis proderent ciuitatem. Et plerunque delator suborna tus agebat, quod profugere uoluissent. Sic uero quem Simon expilasset, eum ad Ioannem remittebat: & quem Ioannes expoliasset, eum Simon excipiebat: sibicq; inuicem propinabant sanguinem populariū, miserorumq; cadauera partiebantur. Et dominādi quidem erat causa in utroq; dissensio, scelerum uero concordia. Nam qui ex alienis malis partem alteri, sibi totum uendicans, non dedisset, nequissimus uidebatur. Et qui non accepisset, uelut boni alicuius damno dolebat, quia crudelitatis parte caruisset. Sigillatim quidem iniquitates eorum explanare non potero: ut autem breuiter dicam, neque aliam ciuitatem unquam talia perpessam puto, neq; ullam nationem post hominū memoriam malitia ferociorem fuisse. Postremo etiam gentibus Hebræorum maledicebant, ut minus impij uiderentur in alienos. Veruntamen, quod erant, & seruos se, & degeneris gentis abortiones esse confessi sunt. Denicq; ciuitatem ipsi euertere, & Romanos inuitos hanc tristem admittere uictoriam coēgere: tardiusq; uenientem in templum ignem penè traxere. Denicq; cum hi ardere superiorem ciuitatem uidissent, neque doluere, neq; illachrymauere: sed apud Romanos qui hæc paterentur inuēti sunt. Verum quæ per territorium gesta sunt, postea cum rerum documentis dicemus.

De Iudæis

De Iudæis crucifixis & aggeribus combustis. Caput XII.

TIto autem aggeres proficiebant, quibus à muro milites male afficerentur, parte uero equitatus directa, iussit per ualles ad alimenta comportanda exeuntibus insidias tendi. Erant autem in his nonnulli etiam pugnatores, quibus iam minime præda sufficeret: maior uero pars ex populo pauperes, quos profugere deterrebat pro affectibus suis metus, nec dum enim seditiosis fieri posse sperabãt, ut cũ coniugibus ac liberis diffugerent: eósq; latronibus relinquere nõ patiebantur uice sua iugulandos. Audaciores autem faciebat ad exeundum fames, restabatq; iam latitantes egredi, & ab hostibus capi. Deprehẽsi autem necessitate repugnabant, metu supplicij, seróq; uidebantur supplicare: post pugnam itaq; uerberati, & ante mortem modis omnibus excruciati, contra murum cruci suffigebantur. Tito quidem miserabilis uidebatur ista calamitas, cum Iudæi in dies singulos quingenti, nonnunq; etiã plures caperentur. Sed neq; captos dimittere tutum erat, tantamq; asseruare multitudinem custodum uidebat esse custodiam: maxime uero propterea non prohibuit, citius eos existimans ea facie remissuros, tanq; similia passuros, nisi se dedidissent. Milites autẽ diuersis modis suffigebãt, ira & odio & ludibrij causa: & propter multitudinem quã cepissent, iam spatium crucibus deerat, & corporibus cruces. Seditiosis uero tantũ defuit, ut ea clade mouerentur, quod etiam in contrarium eis cessit, ad deterrendam reliquam multitudinem. Transfugarum enim familiaribus ad murum tractis, & si qui erant populariũ proniores ad pacem, & quæ paterentur qui ad Romanos profugerẽt, demonstrabant: & qui cõprehensi tenebantur, eos supplices non captiuos esse ducebant. Ea res multos perfugere cupientium, donec uerum cognosceretur, inhibuit. Fuerunt autem qui statim dilapsi sunt, quasi ad uerum supplicium properantes. Illatam enim ab hostibus mortem, comparatione famis requiem esse ducebant: Multis autem captiuorũ Titus etiam manus abscindi præcepit, eosq; ad Iohannem & Simonem intromisit, ut propter calamitatem nec uiderẽtur profugi, nec crederentur: saltem nunc desinerent admonens, nec uere compellerent ad excidiũ ciuitatis: sed lucrarentur in extremis mutata uoluntate, & proprias animas, & patriam tantã & templum, cuius participem non habebant. Simul autem dictis aggeres circũeundo, operantes urgebat, ueluti facta uerbis nõ multo post secutura. Ad hæc in muris stantes, & ipsi Cæsari, & patri eius maledicebant, mortemq; se contemnere clamabãt, eamq; seruituti recte præferre: multa uero mala in Romanos facere dum sperant, nec se nec patriam curãtes, ut ipse diceret, perituros, munidumq; deo templum seruare, hoc melius esse, cuius & is securus sit qui incoleret; quem ipsi quoq; auxiliatorem habentes, omnibus interminationibus illusuros; quibus facta non aderunt: finẽ enim dei esse. Talia conuicijs admiscentes uociferabãtur. Et inter hæc Antiochus quoq; aderat Epiphanes, multos alios armatos secũ ducẽs: & præterea caterua stipatus qui Macedones appellabantur: omnes ætate pares & paulo magis proceres adolescẽtuli, more Macedonum instructi armis & eruditi, unde etiã nomen habebant, plericq; tamen famam gentis æquare non poterant. Omniũ enim regum qui Romanis parebant, felicissimum Comagenũ fieri contigit, prius q; fortuna mutaretur. Ostẽdit ille quoq; in senecta ætate, nul

Manus præcisæ multis captiuorũ.

Conuicia Iudæorum in Titũ & milites.

lũ ante mortẽ beatũ dici oportere. Cæterũ filius eius adhuc eo uigẽte præſens ſe mirari aiebat, quidnã eſſet quod Romanos adire pigebat muros. Erat enim bellator ipſe naturáq; promptiſſimus, tantusq; uiribus, ut multũ peccaret audacia. Cũ uero Titus ad hoc ſubriſiſſet, laboremq; cõmunẽ eſſe dixiſſet, ſicut erat, Antiochus cũ Macedonibus in murũ impetũ fecit, & ipſe quidẽ pro uiribus ſuis ac peritia cauebat tela Iudæorũ, ſagittis eos appetens, aduleſcentuli aũt omnes præter paucos attriti ſunt. Nam pudore promiſſionis diutius pugna certauerant, & ad extremum multi ſaucij receſſere: hoc reputantes, quod etiam uiris Macedonibus uincere cupientibus, fortuna opus ſit Alexandri. A Romanis enim duodecimo die mẽſis Maij, aggeres inchoari, uix nono & uigeſimo perfecti ſunt, cum totos dies ſeptem & decem laboraſſent: ingentes enim quatuor iacti ſunt, & unus quidem qui erat ad Antoniam, & à quinta legione fuerat extructus, contra medium ſtagnum, quod Struthiũ uocatur: alter uero à duodecima uiginti cubitis diſtans. Decima uero legio, quæ ſupra memoratis præſtabat, in ſeptentrionali parte opus erexerat, ubi ſtagnũ eſt quod appellatur Amygdalon. Adhuc aũt quintadecima legio, triginta deſcendentem cubitis, aggerem fecit ad pontificis monimentum. Iam uero admotis aggeribus, Iohannes ſuffoſſa intus terra uſq; ad aggeres Antoniam uerſus diſpoſitis per cuniculum ſudibus, opera ſuſpendit, illatáque ſylua pice ac bitumine illita, ignem immittit. Succenſus autem fulcimẽtis, foſſa repente ſubſedit, cumq; magno ſonitu in ea aggeres decidẽre, ac primo quidẽ cum puluere fumus ex alto excitatus eſt, cum ignem ruina cõduderet. Peræſa uero materia, qua premebatur flamma, iam clarior apparebat. Et Romanos repentini quidem facti ſtupor occupat, molitionem Iudæorum ægre ferebãt, iamq; ſe uiciſſe credentium & ſpes eo caſu refrixit, & in poſterum ſubuenire aduerſus ignẽ minus utile uidebatur, etiã ſi eſſet extinctus ſemel aggeribus deuoratis. Biduo uero poſt, alios etiã aggeres Simon cum ſocijs aggreditur. Illa enim parte Romani admotis arietibus concutere murũ cœperant. Teſteus autem quidã ex Garſi ortus, ciuitate Galilææ, & Magaſſarius ex regalibus familijs Mariamnes, cũq; his Adiabenus quidam, filius Nabatæ, nomen habẽs ex fortuna Egiras, cuius eſt interpretatio claudus, raptis facibus in machinas euolarũt: Hisq; uiris neq; audaciores in illo bello extra ciuitatem apparuere, neq; magis horrendi. Nã uelut in amicos, non ut in agmen hoſtiũ excurrerent, nihil cunctati ſunt aut ſubſtitere: ſed per medios inimicos facto impetu, machinas incendẽre. Acti autẽ miſſilibus, & gladiis detruſi, non prius à periculo demoti ſunt, q; ignis inſtrumenta corriperet. Sublata uero iam flamma, Romani quidem concurrentes è caſtris, auxilio properabant: Iudæi uero ex muro eos prohibebant, manusq; cum his conſerebant, qui flammas extinguere conarentur, propriis corporibus nullo modo parcentes. Et illi quidem arietes igni ſubtrahere, cum eorum tegmina cremarentur, Iudæi etiã per flammas eos retinere certabant, & quàmuis feruens nacti eſſent ferrum, tamẽ arietes non amiſere. Hinc autem auxiliantes flamma tranſijt, & aggeres iam occupabat incendium. Itaq; Romani flamma circundati, quoniam ſeruare poſſe opera deſperabant, in caſtra deſcendunt. Iudæi uero magis inſtabant, cum ſemper eorum numerus creſceret, ex ciuitate accedentibus adiumentis, minusq; cautos habe-

Struthium.

Stagnũ Amygdalon.

Aggeres ſuccenſi.

haberẽt impetus,freti uictoria.Progreſſi autem uſq; ad munimenta caſtrorum; prælio cum eorum cuſtodibus decertabant. Eſt ergo quædam pro caſtris per uices ſtantium armatorum,& acerbiſſima in eos ſanctio Romanorum,ut qui loco de qualibet cauſa ceſſiſſet, occideretur: hi pœnali exitio glorioſa morte prælata, ſteterunt fortiter,eorumq; neceſſitate ſimul ac pudore,plurimi fugientium redierunt,balliſtiſq; in muro diſpoſitis, ex ciuitate accedentem multitudinem prohibebant,nihil pro cautione ſiue tutamine ſuorum corporum prouidentem: nam quoſcunq; obuios habuiſſent,cum his congrediebantur Iudæi:& in ſpicula irruentes, incaute ipſis corporibus inimicos feriebant. Sed neque his actis magis q̃ fidutia ſuperabant,& Romani plus audaciæ quàm quod male tractarentur,cedebant.Iam uerò Titus aderat ab Antonia,quo ſeceſſerat,locum alijs aggeribus proſpiciens,multumq; increpatis militibus,ſi cum hoſtium muros obtinerent,in ſuis periclitarentur,& uelut ex carcere contra ſe dimiſſis Iudæis,obſeſſorum patentur ipſi fortunam,ipſe cum electis militibus hoſtes à latere circumuenit:illi autem cum in ora ferirentur, contra eum conuerſi durabant. Mixta uero acie,puluis quidẽ lumina,clamor uero aures exuperabat. Neq; autem amicum quiſquã internoſcere poterat aut inimicum.Iudæis autem non tam uirium fidutia,quantum ſalutis deſperatione perſeuerantibus,etiam Romanos pudor armorũ & gloriæ & præſentia periclitãtis Cæſaris reddidit fortiores.Itaq; putauerim eos ad extremum nimia ferocitate animorum, uel totam multitudinem Iudæorum fuiſſe rapturos,niſi præuento pugnæ momento,in ciuitatem ſe recepiſſent. Corruptis autem aggeribus Romani ſomno tenebantur, quod tam longum laborem una hora perdidere, & multi quidem ſolutis machinis captum iri ciuitatem iam deſperabant.

De muro extructo ab exercitu Romano circum Hieroſolymam triduo. Caput XIII.

TItus autem cum ducibus quid fieret,deliberabat.Et callidioribus quidẽ placebat,omni admoto milite ui muros experiri: adhuc enim Iudæos cũ exercitus parte dimicaſſe,uniuerſi uero militis impetum tolerare non poſſe,uerum ſagittis eſſe obruendos. Prudentiores autem rurſus aggeres fieri ſuadebant: alij & ſine aggeribus aſſideri,greſſus eorum tantummodo obſeruantes,ac ne uictus intro ferretur monebant, & ciuitatẽ fami relinquere,neq; cum hoſte manu confligere:nec enim expugnari eorum confidentiã poſſe,quibus optatum eſt ferro procumbere,uel etiam ſinẽ hoc interficere, quæ ſæuior eſt cupiditas: Ipſi autem Tito, ceſſare quidem prorſus tãto cum exercitu, honeſtum non uidebatur:& pugnare cum his ſuperuacuum, qui ſemetipſos perdituri eſſent. Aggeres autem fieri,impendiorum penuria operoſum iudicabat, egreſſus uero ciuitatis obſeruari,operoſius. Nec enim circundari eam propter magnitudinem locorumq́ue difficultatem,ab exercitu poſſe, & propterea ad excurſus incautum: contra manifeſtam uero uiam obſeruatam,occultas uias excogitaturos Iudæos,tam neceſſitate q̃ locorum ſcientia.Si quid autem clàm eſſet illatum,diutius obſidionem trahendam, uerendumq;,ne uictoriæ gloriam diminuat temporis longitudo. Hæc enim quidem effici poſſe, ſed celeritatem ante gloriam duci debere:tamen ſi celeritate uti

uelit & cautione, totam muro cingere ciuitatem. Hoc enim modo omnes exitus posse præcludi: & Iudæos aut omnibus modis salute desperata, ciuitatem tradituros, aut fame uictos facillime capiendos, aliter enim se non posse quiescere. Verum & aggeres curaturum esse, cum infirmiores habeat qui prohibeant: Quod si cuiq; magnum opus & inextricabile uideatur, eum considerare debere, quod neque paruum opus Romanus decebat facere: & sine labore magnum quid perficere, ne deo quidem facile sit. His dictis duces exhortatus, iubet eos exercitus in opera distribuere. Diuinus autem quidam impetus militibus incidit, ambitūq́ue partiti, non solum rectores inter se, uerum ipsi etiam ordines certabant. Et miles quidem decadarcho, decadarchus autem hecatontarcho, isq; chiliarcho placere properabat: chiliarchorum uero ostentatio, ad duces usque pertinebat, ducum uero certamina Cæsar ipse dijudicabat. In dies enim singulos circuiens, opus sæpissime inspiciebat. Cœptum enim à castris Assyriorum, ubi ipse tendebat, ad inferiorem Cenopolim murum duxit. Hinc per Cedron ad Elæon montem reuertens, à meridie montem complectitur, usq; ad saxum, quod Peristereonos uocatur, eiq́ue proximū collem, qui super uallem imminet, Siloam, ac inde ad occidentem flexo ædificio, ad uallem fontis descendit. Hinc subiens ad Anani pōtificis monumentum, circundato monte, ubi Pompeius castra posuerat, ad septētrionalem redit regionem. Eam cum præcessisset ad uici partem, cui nomen est Chebtitonicus, post illum Herodis monumentum ab oriente clausum castris suis cōiunxit, unde cœperat. Murus quidē uno minus quadraginta stadijs erat. Adhuc aūt foris castella tredecim ædificata sunt: eorū gyrus denis stadijs numerabatur. Totum autem opus triduo constructum est, ut id quidem dignum mensibus uideretur, celeritas uero fide careret. Muro autem circumcluſa ciuitate, per castella custodibus collocatis, primam quidem uigiliam noctis ipse circuiens explorabat: secundam uero Alexandro permiserat: tertia uero obtigit agminum ducibus. Somnos autem uigiles inter se sortiebantur, totáque nocte per castellorum spatia circuibant.

Vrbs circundatur muro.

Ambitus muri Castella.

De fame Hierosolymorum & secundo aggere extructo. Caput XIIII.

IVdæis autem cum exeūdi facultate, omnis etiam spes salutis adempta est: auctáq; iam fames, totas domos ac familias depascebatur. Et tecta quidem plena erant mulieribus exanimatis, atq; infantibus: uiarum autem angusta senibus mortuis. Adulescentes autem, ac iuuenes turgidi, uelut umbræ mortuorū, per oppidum uolutabant: & ubi quem casus occupauerat, decidebant. Sepelire autē funera, neq; poterant præ labore, & eos quibus aliqua uis supererat, pigebat, & propter multitudinem mortuorum, & quod de ipsis erat incertum. Deniq; super eos quos sepelierant, multi moriebantur. Multi autem ad sepulchra, priusq̄ fati dies ueniret, & uiui properabant: neq; luctus in illis calamitatibus, neq; fletus erat, sed fame superabantur affectus. Siccis autem oculis, & corruptis oribus, qui tardius morerētur, eos qui ante se requiescerent, tuebantur. Altum uero silentium ciuitatem, plenáq; mortuis nox comprehēderat. Et latrones his acerbiores (domus em tantū sepulchra erant) & cadauera spoliabant, & uelamina corporibus detrahentes, cum risu egrediebantur. Hisq; gladiorum mucrones propinabant: nonnul-

losq;

losq; iacentium adhuc ſpirantes, ferro experiendi cauſa tranſuerberabant. Siquis autem manum rogaſſet, aut ferrum ſibi cõmodari, quo famem euaderet, ſuperbiſſime negligebãtur. Animas uero eſlantium quiſq;, in morte templum obtutibus intuebatur, cum uiuos relinqueret ſeditioſos. Illi autem, primo quidem ſumptu publico iubebant mortuos ſepeliri, cum odorem ferre non poſſent: deinde quod non ſufficiebant, in ualles eos ex muro præcipitabãt. Quas circuiens Titus ubi plenas cadaueribus uidit, altáq; ſanie tabefactis corporibus defluentes, ingemuit: & extentis manibus, deum teſtabatur, factum illud ſuum non eſſe. Ciuitas quidem ita erat affecta. Romani uero, cum iam nemo ſeditioſorũ auderet excurrere (nam etiam eos mœror, famésq; tangebat) dies lætos agebant: frumenti, aliarumq; rerum neceſſariarum habentes copiam, de Syria proximisq; prouincijs. Multi autem iuxta murum ſtantes, magnamq; alimentorum abundantiam demonſtrantes, ſatietate ſui famem hoſtium incendebant. Seditioſis autem nihilo magis calamitate cedentibus, Titus reliquias populi miſeratus, & properans ſaltẽ hoc liberare quod ſupereſt, iterum aggeres inchoabat, quanquam difficulter materiam reperiret. Omnes enim ciuitati proximas ſyluas, opera prima cõſumpſerant. Ex nonageſimo uero ſtadio, milites alias congerebant: & ad Antoniam ſolam ex quatuor partibus, maiores prioribus aggeres ſtruebantur. Cæſar autem agmina circuiens, atq; opus urgens, demonſtrabat, quod in manibus eorũ latrones haberet. Sed illis pœnitudo planè perierat: & animis & corporibus ſeparati, utriſq; uelut alienis utebantur. Nec enim uel animas affectio mãſueta, uel corpora dolor tangebat, qui etiam mortuam plebem, quaſi canes lacerabant, repleband q; languentibus carcerem.

Iterum extruuntur aggeres.

De cæde Iudæorum intra & extra Hieroſolymam. Caput XV.

DEniq; Simon Matthiam quidem, per quem obtinuerat ciuitatem, excruciatum peremit. Boëthi filius erat, ex põtificibus populo maxime fidelis & charus. Is, cum à Zelotis male populus tractaretur, quibus iam Iohannes acceſſerat, ut adiutorem Simonem reciperet, populo perſuaſit: nulla cũ eo prius habita pactione, aut aliquid mali metuens. Ingreſſus autem ille, poſtquam obtinuit ciuitatem, inimicum eũ æque atq; alios eſſe dicebat, qui pro ſe conſilium dederat, uelut hoc ſimplicitate ſuaſiſſet, productum eum & accuſatum, quod cum Romanis ſentiret, morte damnauit, ne purgationis quidem ei facultate cõceſſa, cum tribus filijs ſuis. Quartus enim ad Titum ante profugerat. Prius autem ſe occidi, quàm filios obſecrantem: atq; hanc pro illa, quod ciuitatem ei aperuiſſent, gratiam poſtulantem, ut augeret eius dolorem, nouiſſimum iuſſit interfici. Ille quidem ſuper cæſos in conſpectu ſuo filios iugulatur, coram Romanis productus, ita enim Simon Anano Magadi filio præceperat, qui erat eius ſatellitum crudeliſſimus, cauillatus ſi quid eum iuuarent, ad quos exire uoluiſſet. Corpora uero ſepeliri prohibuit. Poſt hos Ananias quidam, pontifex, filius Maſabali, nobilis & ſcriba curiæ, uir fortis, ex Emmaus genus ducẽs, & cum his quindecim ex populo dariores necabantur. Ioſephi uero patrem conduſum aſſeruabant: miſſoq; præcone denunciant, ne quis in ciuitate degentium uel colloqueretur cum eo, uel in unũ ueniret, proditionis metu propoſito: Et eos qui hæc cũ illo deflerent, ante queſtionẽ peri-

Matthias à Simone occiditur.

Ananias pontifex occiditur.

Ioſephi pater.

mebant. Iſta uidens quidam Iudas filius Dudi, unus ex numero præfectorũ Simonis, qui turrim ab eo ſibi creditam cuſtodiebat, fortaſſe quidem nonnihil etiã miſericordia crudeliter pereuntium, magis autem ſui prouidentia, conuocatis decem fidiſſimis contubernalium: quouſq; tãdem, inquit, hæc mala ſuſtinebimus? quámue ſalutis ſpem habemus, ſeruantes peſſimo fidem? Ecce iam fames oppugnat, Romani uero penè intus ſunt, Simon autẽ bene quoq; meritis infidelis eſt: metuſq; etiam apud eum pœnæ, & apud Romanos certa fœderis dextera. Ergo age, tradito muro & noſmet ſeruemus & ciuitatem. Nihil autẽ graue Simon patietur, ſi cum de ſe deſperauerit, pœnas citius pendet. His ubi decem aſſenſi ſunt, mane cæteros quos ſubiectos habebat, per diuerſum dimittit, ne quid eorũ quæ cogitauerat, proderetur. Ipſe uero de turri hora tertia Romanos inuocabat: illorum autem aliꝭ ſuperbiam contemnebant, aliꝭ non credebant, alios etiam pigebat, uelut mox capturos ciuitatem nullo periculo. Interea uero, cum Titus ad murum cum armatis accederet, antè rem Simon cognouit, turrimq́ue uelociter occupat, Romanisq́ue eos inſpectãtibus cuſtodes peremit, & per murum proiecit corpora mortuorum. Ibiq́ue circuiens Ioſephus (nec enim rogare ceſſabat) caput uulneratur lapide, ſtatim attonitus cadit. Excurſus autem ad eius caſum factus eſt Iudæorum: abreptusq́ue eſſet in ciuitatem, niſi Cæſar miſiſſet qui eum protegerent. Illis autem pugnantibus, Ioſephus quidem tollitur, nihil quod ageretur intelligens. Seditioſi uero, tanquam interfecto quem maxime cupiebant, cum lætitia conclamauerunt. Dicitur autem hic nuncius per ciuitatem, ex quo reſiduam multitudinem mœror tenuit, uere periſſe credentem, cuius fiducia profugere cogitabant. Audito autem Ioſephi mater in carcere, mortuum eſſe filium ſuum, ad cuſtodes quidem ex Iotapatis hæc ait: certo ſe credere, nec enim uiuo potiri. Secreto autem flens, ad ancillas: hũc, inquit, fœcunditatis recepiſſe fructum, quod ne ſepelire quidem ſibi filium licuiſſet, à quo ſepeliri ſperaſſet. Verũ ne illam quidem mendacium diutius cruciauit, neq; latrones refecit. Cito enim curato uulnere Ioſephus reſipuit: progreſſuſq; clamabat, illos quidem non ſibi multo poſt uulneris pœnas daturos, populum autem rurſum ad fidem rogabat. Vnde populo quidem fiducia, ſeditioſis uero ſtupor incidit eius aſpectu. Profugorũ autem aliꝭ, ſtatim de muro neceſſitate proſiliebant: aliꝭ uelut ad pugnam cum lapidibus progreſſi ſimulantes, mox ad Romanos profugiebant. Hos autem ſæuior ea q̃ intus pertulerant, fortuna conſequebatur: & fame, quam domi reliquerãt, uelociorem apud Romanos inueniebant ad exitium ſatietatem. Aderant autem inflati ex inedia, & uelut morbo intercutis aquæ turgidi. Deinde uacuata replẽtes corpora diſrumpebantur: niſi quod periti deſideria cohibuiſſent, paulatimq; cibũ deſueto corpori obtuliſſent. Verum & eos qui hoc modo ſeruarentur, alia plaga ſuſcepit. Quidam enim apud Syros ex tranſfugis deprehenditur, è ſimo uentris aureos colligens. Tranſglutientes autem (ut ſupra diximus) eò ueniebant, quod cunctos ſeditioſi ſcrutabantur: & maxima uis auri fuerat in ciuitate. Deniq; duodecim atticis comparabant, quod antea uigintiquinq; ualebat. Verũ hac arte per unum detecta, totis caſtris fama percrebuit, quod auro tranſfugæ pleni ueniret. Arabum autem multitudo & Syri, ſciſſis uentribus ſupplicium minitabantur. Et

Ioſephus lapide uulneratus.

Mater Ioſephi.

Interitus trãſfugarũ.

hac

hac ego clade nullam credo ſæuiorem contigiſſe Iudæis: una denicq; nocte duorũ milium patefacta ſunt uiſcera. Et hac Titus iniuſtitia cognita, penè iuſſiſſet autores circumfuſo equitatu iaculis appeti, niſi magna fuiſſet multitudo noxiorũ: multóque plures puniendi, cũq; qui fuerant interempti. Conuocatis autem auxiliatorum ducibus, itemq; militum Romanorum (nam etiam militum quoſdã hæc tangebat inuidia) utriſq; iratus dicebat: ſi qui militum ſuorum hæc committerẽt lucri cauſa incerti, nec arma propria quiſquam erubeſceret auro argentóq; facta: Arabi autem & Syri, primo quidem in alieno bello iure ſuo calamitatibus uterentur: deinde qui crudelitatem in cædibus & in Iudæis odia, Romanis aſcriberent: (hac enim quoſdam eorum milites infamia participare) & his quidem mortẽ interminatus eſt, ſi quis in eadem poſtea repertus fuiſſet audacia. Ad legiones aũt literas dedit, ut ſuſpectos inueſtigarent, atq; ad ſe referrent: Verum profecto auaritia contemnit omne ſupplicium, ſæuiſq; hominibus lucrandi amor innatus eſt: nullaq; omnino calamitas plus habendi cupidini comparatur: imò uero hæc alias, & modum habentes metus, ſubiungit. Deus autem, qui damnauerat populũ, omnem uiam ſalutis ad interitum uerterat: denicq; id quod cum pœna interdixerat Cæſar, occulte in profugos admittebatur. Et ſi quis trãsfugiſſet, circumſpectantes autem ne quis Romanorum uideret, eos ſcindebãt, & ex uiſceribus quæſtum nefarium trahebant. In paucis autem reperiebatur, & pleroſq; ſola ſpes cõſumebat. Hic quidem caſus, multos tranſfugarum ſeduxit.

De ſacrilegio circa templum & relatis ex urbe cadaueribus & fame. Caput XVI.

Donaria templi à Iohanne rapta.

IOhannes autem, ubi rapinæ ex populo defuere, ad ſacrilegium ſeſe conuertit: multáq; donaria templi retinens, multaq; uaſa diuinæ rei miniſterio neceſſaria, crateras, & lances, & mẽſas, ne urceolis quidem abſtinuit, quos Auguſtus eiuſque uxor miſerat. Romanorum quidem imperatores honorauerunt ſemper tẽplum atque ornauerunt: Tunc autem Iudæus etiam alienigenarum dona diſtrahebat, ad ſocios autem dicebat, ſine metu diuinis abuti debere, qui pro deo, q pro templo militarent, & ex ipſo ali. Propterea q; ſacrum uinum, & oleum, quod ſacerdotes ſacrificijs reſeruabant, tutum erat effudiſſe. Nanq; in templo & multitudini diſtribuit, & illi ſine horrore ungebantur & potabant. Nõ quidem recuſabo dicere, quæ dolor iubet. Puto ſi Romani contra noxios uenire tardaſſent, aut hiatu terræ deuorandam eſſe ciuitatem, aut diluuio perituram, aut fulgura, aut Sodomitana incendia paſſuram. Multo enim magis impiam progeniem tulit, quàm quæ illa pertulerat. Denique cum eorum pertinacia deſperata, totus populus interijt. Et quid opus eſt ſingulatim narrare clades? Annius Eleazari filius, tranſgreſſus ad Titum per unam portam, quæ ſibi credita fuerat, centum & quindecim milia, & octoginta dixit elata cadauera, ex quo die caſtra propè ciuitatem poſita ſunt, ex die quartadecima menſis Aprilis, uſq; ad calendas Iulij. Hæc autem immenſa eſt multitudo: Nec tamen uel ipſe fuit appoſitus portæ, ſed publicã mercedem diuidens, mortuos ex neceſſitate numerabat. Cæteros enim propinqui ſepeliebant. Sepultura autem fuit, elatos ex oppido proijcere. Poſt hunc autem nobiles profugi, omnia mortuorum ſexcenta milia portis eiecta nunciabant: aliorũ

uero numerum minime posse comprehendi: cum autem pauperes ferendis non sufficerent, congesta in maximis ædibus cadauera essent inclusa: & frumenti quidem modium uenisse talento. Post ubi autem muro circũdata ciuitate, ne herbas quidem legere iam liceret, ad hoc necessitatis quosdam fuisse compulsos, ut domicas rimarentur, boumq; ueterem simum alimentum haberent. Stercus inde colle ctũ, & quod nec uisui quidem tolerabile fuerat, cibus erat. Hæc Romani quidẽ audientes miserati sunt: seditiosos autem ne uidentes quidem pœnitebat, sed patiebantur usque ad ea progredi: Fatum enim eos reddiderat cæcos, quod iam & ipsis erat & ciuitati.

Stercore boũ uesci sunt eo acti.

FLAVII IOSEPHI DE BELLO IVDAICO LIBER SEPTIMVS.

De suffossione murorum, succenssione aggerum & Sabino oppugnante murum. Caput 1.

Lades quidem Hierosolymorum in peius quotidie procedebant, cum & seditiosi magis accenderentur aduersis inclusi, postquàm populum fames ipsosque iam possederat. Quin & multitudo congestorum in ciuitate cadauerum, & uisu horrenda erat, odoremq; pestiferum emittebat, cum excursus etiam pugnantium morarentur. Nam uelùti per aciem ruerent, plurima cæde excitata, conculcare mortuos cogebantur: & qui super eos pedem ponerent, neque superabantur, neque horrebant: nec saltem sibi augurio fore putabant contumeliam mortuorum. Gentili autem cæde polluti, dexteras ad externum bellum præparabãt, tanquàm exprobrãtes deo (ut mihi uidetur) supplicij sui tarditatem. Non enim spe uictoriæ maior pars eorum, sed desperatione salutis ferocius ferebatur. Romani autem quamuis plurimum in aggreganda materia laborarent, tamen intra uiginti & unum dies aggeres erexerunt, attonsis omnibus ad nonaginta usque stadia circa oppidum lucis. Erat autem miserabilis terræ facies. Nam quæ antea arboribus & paradisis ornata fuerat, ea tunc deserta præcisis undique arboribus cernebatur: nec ullus qui pridem Iudæam uiderat alienigena & suburbana pulcherrima ciuitatis, cum eius solitudinem tunc uideret, continere lachrymas poterat, uel non gemere mutationem naturæ, quantũ pristinæ derogasset. Omnia nanq; insignia pulchritudinis, bellum deleuerat: ne si quis subito adueniẽs, quilo cum prius scierat, eum cognosceret, sed præsens quæreret ciuitatem. Romanis autem ac Iudæis, finitum opus aggerum, par faciebat timoris initium. Nanque hi, nisi eos quoque exurerent, captum iri ciuitatem putabant: Romani autem, fortasse nec uoluntatem sibi fore illis incensis alios parare. Nam & materiæ defecerant, & labori quidem corpora militum crebris offensionibus cesserant.

Verum

Verum ciuitatis cladibus triſtius Romani q̄ ciues in ea degentes afficiebantur. Ad mala enim quæ hinc accedebant, etiam pugnatoribus nihilo ſegnius utebantur. Sed eorum ſpes frangebatur, cum aggeres inſidijs, machinæ ſoliditate muri, manus uero conflictus audacia repugnātium ſuperaretur: & præcipue, quod cū ſeditione famēq; ac bello, totq; malis, præſtantiores Iudæorum animos inueniret. Virorum quidem inexpugnabiles eſſe impetus arbitrabantur, inuictā uero animorum magnitudinem, quæ calamitatibus aleretur. Nā quis eos in rebus ſecundis ſuſtineat, qui malis ad uirtutem incitarentur? Illi quidem propterea cautius cuſtodias præparabant. Iohannis autem factio, apud Antoniam ſimul & futura timebat. Si diſſiceretur murus cauebat: & antequam arietes admouebantur, operibus inſtabat, niſi quia conatus eorum irritus fieret. Aggreſſi enim cum facibus aggerem, ſpe decepti remeauere. Nā primum ne concordare quidem eorum uidebatur conſilium, paulatim & per interualla, & conctanter, non ſine metu proſiliētium, neq; Iudæorum more, ut breuiter dicā. Deerant enim quæ propria gentis eſſent, audacia, curſus, & omnium ſimul impetus: & ut non ſine offenſione recederent. Languidiores progreſſi, q̄ ſolebant, etiam Romanos ſolito promptiores offendere: qui pro corporibus quidem atq; armis ita undiq; aggeres ſepſere, ut nuſquam igni aditum relinquerent. Animum uero ita confirmauerūt, ne quis loco anteq; occumberet, moueretur. Nā præter omnium rerum deſperationem, ſi etiam illud opus eſſet exuſtum, acerbiſſimus pudor milites occupauerat, ſi aut calliditati uirtus cederet, aut arma temeritati, aut peritia multitudini, aut Iudæis Romani. Simul autem miſſilia cum illis faciebant in proſilientes delata: & qui ceciderat, poſteriores impediebat, ac periculum antecedentis molliores efficiebat. Qui uero intra teli iactum uenire properaſſent, alij diſciplina hoſtium & denſitate perterriti, alij confixi haſtis retrocedebant: & ad extremū alius alium timiditatis arguens, re infecta reuertebantur. Calendis autem Iulij tentata fuerat expugnatio. Iudæis autem inde digreſſis, Romani machinas admouere: q̄uis ab Antonia ſaxis atque igni ferroq; peterentur, & quodcunque hoſtibus telū neceſſitas attuliſſet. Nam licet multum mœnibus Iudæi confiderent, machinasq; contēnerent, tamen eas applicare prohibebāt Romanos. Illi autem Iudæis ſtudium eſſe rati, ne murorum infirmitate Antonia læderetur: & fragilibus eam fundamentis ſuſpicantes, contra certabant. Nec tamen quod feriebatur, ictibus obediebat: ſed ipſi quidem crebris in ſe miſſilibus iactis, cū nullis periculis deſuper uenientibus laſſarentur, arietum opus urgebant. Cum uero inferiores eſſent, ac lapidibus frangerentur, alij ſcutis ſuper corpore concameratis, fundamēta manibus & uectibus ſuffodiebant. Itaque ſaxis quatitur obſtinato labore concuſſis. Quietem utriſq; nox attulit, & in ea murus arietibus labefactatus, ex qua parte prioribus Iohannes aggeribus inſidiando, murum ſuffoderat, ſubſidente cuniculo repente labitur. Parum præter ſpem utrorumq; animi affecti ſunt. Nam Iudæi quidem quibus memoria eſſe oportebat, quod ruina præter ſpem accederet, & aduerſum eā præcauti non fuerant, tāquam manſura eſſet Antonia confidebant. Romanorū autem inopinatam lætitiam ſub celeri ſubuerſione natam, conſpectus alius murus, quem intrinſecus Iohannes ædificauerat, cito reſtrinxit. Veruntamen prior

Tentata expugnatio.

Caſus muri.

facilior

facilior impetus uidebatur. Tur[illegible]uim & aſcenſum per ruinas promptiorem, & Antoniam ſatis eſſe infirmiorem (murus quoq; recens erat) cito deſtrui poſſe arbitrabantur. Nemo tamen eum audebat aſcendere: quod ei qui primus id tentauiſſet, certiſſimum eſſet exitium. Titus uero ſpe atq; oratione putans alacritatem pugnantium excitari, & adhortatione atq; promiſſis ſæpe quidem periculorũ naſci obliuia, interdum autem mortem ſolere contemni, in unum congregatos fortiſſimos experiebatur, dicens: O commilitones, hortari quidem ad ea quæ periculum non afferunt, aperte & ipſis qui rogantur, & qui eos rogant, ignauiæ reprehenſionem parit. Exhortatione autem opus eſt in ſolis rebus ambiguis: quippe illa per ſe quenq; gerere dignum eſt. Itaq; difficilem uobis in murum eſſe aſcenſum ipſe profiteor: quod autem uel maxime oporteat gloriæ cupidos pugnare difficillimis rebus, pulchrumq; ſit cum laude mori, nec erit infructuoſum, ſi quæ primi fortiter fecerint, proſequar. Primum quidem uos illud hortetur, quod nonnullos fortaſſe deterreat, Iudæorum patiens animus, & in aduerſis rebus dura cõſtantia. Romanos enim eósq; milites, quibus in pace bella diſcere, in bello autem uincere conſuetum eſt: à Iudæis manu uel animo ſuperati turpiſſimum eſt, idq; in fine uictoriæ, cum etiam dei nitamur auxilio. Nanq; offenſionis noſtræ Iudaicæ deſperationes ſunt. Illorum autem clades, fauore dei ueſtriſq; uirtutibus creſcunt. Etenim ſeditio, fames, obſidio, murorumq; ſine machinis caſus, quid ſit aliud quàm in illos ira dei, noſtrumq; adiumentum. Igitur non ſolum deterioribus inferiores uideri, ſed etiam diuinum præſidium prodere, uobis non conuenit. Quo pacto autem non turpe uideatur, Iudæos quidem (quibus non magni pudoris eſt uinci, qui ſeruire didicerint) quo minus in poſterum patiantur, mortem contemnere: atq; in nos medios frequenter excurrere, non uictoriæ ſpe, ſed oſtentationis gratia: uos autem totius penè terræ mariſq; uictores, quibus etiam non uincere probro habetur, otioſos cædentes, ne ſemel quidem in hoſtes aliquid audaciter expertos, famam ac fortunam cum his armis operiri: maxime cum paruo diſcrimine totum poſſitis efficere. Deniq; iam in Antoniam ſi aſcenderimus, habebimus ciuitatẽ. Nam & ſi pugnandũ ſit aduerſum intus poſitos, quod nõ arbitror, attamen capta hac reſpiratione hoſtium, incedere uictoriam nobis pleniſſimam repromittit. Et ego prætermiſſa nunc eorum laude, qui in bello cecidere: & immortalitate, qui Martio furore proſtrati ſunt, ex morbo pacis tempore mortẽ aliter ſentiẽtibus imprecabor, quorum anima cum corpore ſepultura damnatur. Quis enim uirorum fortium neſcit, quod animas in acie, ferro, corporibusq; abſolutas, puriſſimum elementum æther hoſpitio receptas inter ſidera collocat: manesq; ſe bonos ac propitios heroas, uidendos offerunt poſteris ſuis. Quas uero morbus corporis tabésq; conſumpſerit, & ſi maxime probris ac piaculis purgatæ ſunt, ſubterraneæ tenebræ operiũt, altáq; obliuio ſuſcipit, & corporis ſimul acuitæ ac memoriæ fine circũſcriptas. Quod ſi neceſſario mors homini decreta eſt, ad huc omni morbo leuius eſt ferri miniſterium, cui nõ uideatur ignauũ negare uſui, quod debito redditurus ſit: Et hæc quidẽ ueluti ſeruari nequeãt, uel qui conati fuerint, proſecutus ſum. Eſt autẽ ſalutis ſpes in maximis quoq; periculis, qui uirilem animum gerunt: Primum enim quod decidit patet inceſſu: Deinde totum quod

Oratio Titi ad milites.

ædificatum eſt,facillime diſſolui poteſt. Vosq; plures hoc opus aggredientes,alius alij pro adhortatiõe fiet atq; ſubſidio, ueſtráq; obſtinatio in breui animos hoſtium franget:ac fortaſſe nobis,ſi eam tantum ceperimus,incruenta res efficietur: Etenim aſcendentes quidem nos prohibere ſcilicet conabuntur. Si uero clàm, uel etiam per uim aliquid egerimus, ſemel quamuis paucos non ſuſtinebunt. Me autem profecto pudeat,niſi qui primus hoc fecerit,inuidendum remunerationibus fecero: & qui uixerit quidem ſimilibus præſit: beatiſſima uero præmia ſequãtur occiſos. Talia dicente Tito,cætera quidem multitudo periculi magnitudinem timuit: eorum uero unus,qui in cohortibus militarent,Sabinus quidã,genere Syrus, uir & manu ſimul & animo fortis apparuit:licet ſi quis eũ ante uidiſſet,quantum ex habitu corporis,ne ſpecie quidẽ militem eſſe credidiſſet. Erat enim colore nigro,exilis habitudine: ſed anima quædã heroica in macro corpore,itaq; anguſtiore uiribus ſuis,habitabat. Cũ primus itaque ſurrexiſſet:itaq; dedo me,inquit, tibi alacri animo Cæſar,& ante omnes in murum aſcendo:atq; opto quidẽ,ut uires ac uoluntatem meam ſequatur fortuna tua. Quod ſi cœpto caſus inuiderit, ſcito me non præter ſpem, quod res aliter ceſſerit:ſed quod ſic decreuerim,pro te moriturũ. His dictis,& ſcutum læua manu capiti prætendens, ſtrictóq; dextera gladio,circa horã diei ſextam murum petebat. Sequebãtur autem ex alijs,qui ſoli eius uirtuti æmuli eſſe cupiebant, undecim uiri. Multo autẽ omnes antecedebat diuino quodã impetu excitatus,cũ de muro cuſtodes iaculis & ſagittis undiq; infinitis appeterẽt, atq; ingentia ſaxa deuoluerent,qui nonnullos de undecim decerpũt. Sabinus autẽ miſſilibus occurrens,licet obrueretur ſagittis, non tñ ante impetũ cohibuit,q; ſumma muri prehenderet,hoſtesq; in fugã uerteret. Viribus autẽ eius atque animi pertinacia territi,pluresq; aſcendiſſe rati,non ſteterunt. Quã in re fortunã quis,ueluti uirtutibus inuideat, ſemperq; præclaris facinoribus offiiciat,non incuſauerit? Siquidẽ hic uir neq; ab incepto errauit.& offenſione lapidis cũ maximo crepitu pronus decidit. Vnde factum eſt,ut Iudæi reuerſi,ubi ſolum & iacentem uidere, ex omni eũ parte iaculis peterent. Ille genibus nixus, & ſcuto protectus,primo quidẽ ulciſcebatur hoſtes,multósq; ad ſe appropinquantes ſauciauit:uulnerũ autem multitudine remiſit dexterã:& ad extremum, priuſq; redderet animã ſagittis eſt obrutus, uir dignus, pro fortitudine qui meliori fortuna uteretur. Pro mẽſura uero cœpti facinoris,cecidit. Cæteri autem tres penè iã ſumma tenentes,obtriti lapidibus perierunt,& octo ſauciati detracti,& in caſtra relati ſunt. Hæc quidem tertia die menſis Iulij geſta ſunt.

Sabinus muri conſcẽdit.

Sabinus ſternitur.

Romani Antoniam inuadunt,& à Iudæis repelluntur. Caput II.

BIduo autem poſt,uiginti de numero excubantium,per aggeres militũ congregati,ſigniferum ordinis ſui,& duos quoſdã ex ala equitum,& tubicinem unum ad ſe uocant:nonáq; noctis hora per ruinas ad Antoniã otioſe procedũt: occiſis autem primis cuſtodibus ſomno oppreſſis,murum obtinẽt, ac buccina ſignum dari præcipiunt: quo cæteri quidem uigiles ſubito exuſcitantur,& fugiunt priuſq; multitudinem quæ murũ aſcenderat,cernerent. Nam & timor illis,& tuba imaginem quandã,ut magnum hoſtium numerum aſcendiſſe crederẽt,oſtendit. Cæſar aũt ſigno audito,propere armat exercitum: & cum ducibus primis lectorum

ctorum caterua comitatus, aſcendit. Cũ autem Iudæi ad templum interius confugiſſent, ipſi quoq; per cuniculũ irruperunt, quem Iohannes aduerſum Romanorum aggeres aperuerat. Diſpoſitiq; amborum agminum ſeditioſi, tam Iohannis q; Simonis, arcebant eos ſumma ui atq; alacritate repugnandi. Siquidẽ exciđ finem putabant, locum ſanctum penetraſſe Romanos, quod & his uictoriæ principium fuit. Ad ipſum autem adytum ualidiſſima pugna committitur: his quidem templum ui occupare certantibus, Iudæis uero Antoniã uerſus eos repellentibus. Et ſagittæ quidem atque haſtæ utriſque inutiles erant, ſtrictis autem enſibus dimicabant. Neque conflictu diſcerni poterat, ex qua parte quiſque pugnaret permixtis uiris, & propter anguſtias permutatis, cum & uocis intellectum magnitudo confunderet, multáq; mors eſſet utrinq;, armáq; ſimul & cadauera iacentium conculcata frangerent prælíantes. Semper autem ſi bellum fluens grauaſſet alterã partem potiorum, exhortatio & inferiorum conqueſtio naſcebatur: Neq; aut fugæ aut perſecutioni locus erat: ſed propinquæ mutationes confligentiũ, & indinationes permixtæ fiebant exercitus. Qui uero inter primos ſtetiſſent, aut occidendi aut moriendi neceſſitatem habebant, quod refugere non dabatur. Nam & poſteriores utriuſque partes, ſuos in frontem urgebant, nullumq́ue inter dimicantes bello uacuum interuallum reliquerant. Cum aũt Iudæorũ animi Romanorum peritiam uincerent, iamq; omnino tota acies pelleretur (ex nona enim hora noctis ad ſeptimam uſque diei pugnabãt) hi quidem ſimul omnes excidíj periculum pro nutrimento uirtutis habebant: Romani uero exercitus parti (nondũ enim aſcenderant agmina, illiſq; ſpes pugnantium nitebatur) ſatis eſſe uiſum eſt in præſentia, Antoniam obtinere.

Vincũtur Romani.

De Iuliano Romano milite inſigni fortitudine. Caput III.

Fortitudo Iuliani.

IVlianus uero quidam hecatontarchus ex Bithynia non ignobilis, quem in illo bello & armorum peritia, & uiribus corporis, & cum ſpiritu omnium fortiſſimum ipſe cognoui, ubi Romanos iam cedere & male repugnare conſpexit: propter Titum autem qui apud Antoniã ſtabat, ſubito proſilíjt, iamq; Iudæos uincentes ſolus ad interiorem uſq; templi angulum perſecutus eſt. Fugiebat aũt uniuerſa multitudo, neq; uim eius neq; audaciam hominis eſſe opinãtes. At ille per medios ruens, quo alios aliò diſiecerat, per ipſos quem occupaſſet interficiebat: eáque facie nihil Cæſari admirabilius, aut alíjs horribilius uiſum eſt. Verũ & ipſum profecto fata perſequebantur, quæ ab homine uitari non poſſunt. Calceos nãq; habens, creberrimis atq; acutis clauis, ut cæteri ſolent milites, fixos, dum ſtrato ſaxeis cruſtis ſolo occurreret, labitur: magnóq; cũ armorum ſono deiectus, in tergũ fugientes reduxit. Et Romanorum quidem clamor ex Antonia ſublatus eſt, ſaluti eius metuentium: Iudæi uero multis ſimul gladíjs & haſtis undiq; feriebãt. Ille autem multam quidem ferri uim ſcuto excipiebat: ſæpe autem conatus erigere, percutientium multitudine reuolutus eſt, & iacens tamen gladio multos peremit. Nec enim cito peremptus eſt, quãdo galea & thorace omnia membra neci opportuna ſeptus erat. Nanq; diu ceruicẽ contraxerat, donec conciſis alíjs eius membris remiſit uires, cum ei nemo auderet ſuccurrere. Nimius autem dolor Cæſarẽ

Caſus Iuliani.

tenuit.

tenuit, ubi tantæ fortitudinis uirum in conſpectu tantæ multitudinis uidit occidi, & quod locus ſe quidem intercludebat auxilium ferre cupientem: alios autem, ne poſſent, metus impediebat. Iulianus quidem diu cum morte lactatus, cum non paucos interfectorum ſuorum ſaucios reliquiſſet, ægre peremptus eſt: magna ſui gloria, non apud Romanos tantum & Cæſarem, uerum apud hoſtes quoque relicta. Iudæi uero etiam mortui rapto corpore, Romanos in fugam uerſos, in Antoniam concluſere. Fortiter autem in eo prælio decertauere, Alexas qui dem Aegyptius, ex agmine Ioannis: ex parte uero Simonis, Malchius, & Militonis filius Iudas, & Ioſue filius Iacobi duces Idumæorum: Zelotarum uero fratres duo iuuenes, Arſimon & Iudas. *Fortes Iudæorum.*

Ioſephi oratio pro deditione Iudæorũ & profugiũ eorũ. Cap. IIII.

TItus autem militibus ſuis imperat Antoniæ fundamenta diruere, facilémq; aſcenſum cuncto exercitui præparare. Ipſe uero Ioſepho ad ſe uocato (nanque audierat eo die, qui erat menſis Iulij ſeptimus decimus, diuinam obſeruantiam, quæ entelechiſmos uocatur, uirorum penuria defuiſſe, eáq; re populum nimis dolere) iterũ dici Ioanni præcepit quæ ante mandauerat: quod etiam ſi quis eum pugnandi ſæuus amor teneret, cum qua placeret ei multitudine, ad bellum progredi liceret: dummodo non unà ſecum & ciuitas interiret ſimul & templum: ſanctum tamen locum uiolare deſineret, neúe in deum nefas admitteret. Poteſtatem autem haberet ſi uellet, ſacra intermiſſa celebrare per Iudæos quos ipſe delegiſſet. Itaq; Ioſephus, ne ſoli Ioanni hæc intimarentur, ſed etiam pluribus, unde exaudiri poſſet conſtitit, & mandata Cæſaris Hebraico ſermone diſſeruit. Multũ autẽ ab his quo patriæ parcerent precabatur, ignémq; depellerent iam templo cõtiguũ, deóq; uota redderent cõſueta. His dictis populus triſtitia ſimul & ſilentio tegebatur. Multis autem conuicijs tyrannus, Ioſepho cum execrationibus lacerato, poſtremo addidit, nunquam ſibi excidium eſſe metuendum, quoniam dei ciuitas eſſet. Atq; cum exclamatione: ſanè uero, inquit Ioſephus, eam puram deo conſeruaſti, inuiolatáq; ſancta manſere: nec in eum cuius ſperas auxilium, quicq; impium deliquiſti: ſed ſolennitas ſacra conſequitur. Et ſi quidem tibi quiſquam quotidianum auferat cibum, impiũ eum hoſtem putabis: deum uero, quem perpetua religione priuaueris, belli auxilio ſperas futurum? Et Romanis peccata imputas, qui noſtras leges etiam nunc tuentur: & quæ ipſe interciditi ſacra, deo reddi compellunt. Quis non inopinatæ mutationis cauſam gemat, ac defleat ciuitatem: cum alieni quidem, hoſtésq; impietatem tuam corrigant: tu uero Iudæus, & inter leges educatus, illis quoq; in has ſæuior inueniaris. Atqui Ioannem etiam quidem pœnitere malorum, non eſt turpe in rebus extremis, bonorúmq; tibi exemplum patriam ſeruare cupienti propoſitum eſt. Iechonias rex iudæorum, qui quondam Babylonijs bellũ ſibi inferentibus, ſponte ciuitatem priuſquam caperetur exceſſit, & cum cognatione ſua uoluntariam captiuitatem ſuſtinuit, ne hæc ſancta hoſtibus proderet, deiq; domum uideret exuri, ob hoc ſacra Iudæorum commemoratione laudatur: eumque memoria tranſmiſſa per ſecula, ſemper nouam immortalitatem poſteris tradit. Bonum ò Ioannes exemplar, & ſi periculum præſto ſit: ego autem ueniam quoq; tibi à Romanis ſpondeo, dum me- *Fundamenta Antoniæ diruuntur.* *Ioſephus rurſus hortatur deditionem.*

mineris,quod non gentilis moneam,& Iudæis iſta promittam,ſpectariq; oporteat,qui ſit autor,& unde conſilium. Abſit enim unquam me ita captiuum uiuere, ut genus aut leges patrias obliuiſcar. Rurſum indignaris & clamas, mihiq; maledicis.Etiam acerbiora mereor,qui hæc aduerſus fata ſuadeo,deiq; ſententia condemnatos ſeruare contendo.Quis ignorat ſcripta ueterum prophetarum,& reſponſum impendens miſerrimæ ciuitati? Iam tunc enim eius excidium prædixere,cum quis homicidium gentile cœpiſſet. Veſtrorum autem cadauerum non ciuitas tantum,ſed etiam templum omne repletum eſt. Deus planè,deus ipſe cũ Romanis ignem ſibi luſtrationis infert, tótq; ſcelerum plenam exurit ciuitatem. Hæc Ioſepho cum fletu & lachrymis proſequente,uox eius ſingultibus interrupta eſt.Et Romani quidem miſerati dolorem, admirati ſunt. Ioannes autem eiúsq; ſocij magis contra Romanos iritabantur, illũ quoq; capere cupientes.Nobilium tamen plurimos commouit eius oratio: & nonnulli quidem ſeditioſorũ cuſtodias formidantes,locis ſuis manebant,iamdudum certi de ſuo pariter & ciuitatis exitio.Fuerunt autem,qui capto diſceſſionis tempore,ad Romanos confugêre: in quibus erant pontifices Ioſippus & Ieſſe.Filij uero pontificum, tresquidem Iſmaëli,cui apud Cyrenem fuerat caput abſciſſum,& Matthiæ quatuor: alterius uero Matthiæ unus,qui poſt interitũ patris aufugerat,quem Simon Gioræ cum tribus filijs,ut ſupra dictum eſt,interemit.Multi autem nobiles cum pontificibus defecere: eósq; imperator cum per alia humane ſuſcepit,tum ſciens alienigenis moribus illic uerſari moleſtum eſſe, in Gophnam dimiſit,ut ibi manerent: interim munitas etiam pollicitus poſſeſſiones cuiq; peracto bello redditurum eſſe. Illi quidem in deſtinatum municipium læti cum omni cautione diſcedunt.His autem in ciuitate non uiſis,rumor ſeditioſis iterũ diffamatus eſt, quod Romani tranſfugas occidiſſent,ut hoc metu uidelicet à fuga reliquos deterreret. Et pauliſper quidem hæc calliditas eorum ſicut antea ualuit, timor autem profugere cupientes inhibuit. Rurſus autem, poſtquam eos Titus reuocatos à Gophna cum Ioſepho murum circumire,& populo conſpici iuſſit,multi ad Romanos fugiebant.In unum uero congregati,& ante Romanos ſtantes, cum lachrymis atq; ululatu ſeditioſos rogabant, ut primo quidẽ paucos in ciuitate Romanos ſuſciperent,patriamq; ſeruarent. Si hoc diſpliceret, ſaltem de fano certi exirent,templúmq; ſibi liberarent. Nec enim auſuros ſine maxima neceſſitate Romanos ignem ſanctis immittere.His illi magis aduerſabantur,multáq; in tranſfugas uociferati conuicia, ſupra ſacras portas iacula & baliſtas & ſaxorum diſpoſuere tormenta, ut omne quidem circum fanum ſpatium multitudine mortuorum ſepulchro,templum uero ipſum caſtello ſimile uideretur.In loca uero ſancta & inacceſſa,cũ armis adhuc,& manibus gentili cæde calentibus, inſiliebant:& ad hanc proceſſere legis iniuriam, ut quã Iudæos indignationẽ oporteret exercere, ſi hæc Romani admitterent: ea tunc in Iudæos propria ſacra temerantes,uterentur Romani milites. Nemo tamen fuit eorum, qui non cum honore templum aſpiceret, atque adoraret: latronésque optaret,antequam intolerandum malum contingeret,pœnitere. Titus autem dolens uicem eorum, iterum Ioannem eiúsque ſocios increpabat, dicens: Nónne uos ò ſceleratiſſimi, cancello ſancta loca protexiſtis?

Multi Iudæorũ profugiunt ad Romanos.

protexistis? Non literis Græcis ac nostris incisas tabulas constituistis, quibus ne septa cuiquam transgredi liceret edicit? Nō eos qui transissent, quamuis Romanus quis esset, uobis necare permisimus? Quid igitur in eo etiam mortuos cōculcastis ò nocentissimi? Aut cur templū & externi & gentilis sanguinis confusione polluistis? Testor ego patrios deos, & si quis unquam hunc locum ante aspexit, (nunc enim neminem credo) itémq; testor & exercitum meum, & Iudæos qui apud me sunt, & uosipsos, quod non ego uos uiolare hæc compellam: quin & si locum acies uestra mutauerit, neq; accedet ad sancta quispiam Romanorum, neque quicquam in eius contumeliam faciet. Seruabo autem uobis etiam templum nolentibus.

De iterata pugna extructis aggeribus, & excursionibus Iudæorū. Cap. V.

HAec Iosepho internunciante principis dicta, latrones ac tyranni existimantes non beneuolentia, sed timiditate hos sermones fieri, in superbiam tollebantur. Titus autem, qui neq; seipsos miserari eos, neq; templo parcere perspiciebat, rursus bellum gerere decreuit inuitus. Sed uniuersum quidem his militem, quod locus eum non caperet, inferre non poterat. Tricenis enim de singulis centurijs uiris fortissimis, lectis etiam chiliarchis, singulis millenos attribuit: hisque duce præposito Cereali, hora noctis nona iubet in custodias impetum fieri. Cum autem ipse quoq; in armis esset, unáq; descendere statuisset, amici eum propter periculi magnitudinē ducumq; dicta cōtinuerunt. Plus enim operis eū in Antonia sedentem, quàm militum certamina facturum esse dixerunt, quàm si periculum subisset: omnes enim fore sub oculis imperatoris optimos ballatores: His dictis paruit. Deinde ob hoc solum se manere locutus ad milites, ut de eorum uirtute iudicaret, ne aut fortis quisquam indonatus abiret, aut contra impunitus ignauus lateret, sed omnium spectator ac testis fieret ipse, qui & ulciscendi & remunerandi esset dominus: illos quidem ad aciem hora, qua supra memoratum est, dimisit. Progressus autem ad speluncam, de Antonia, quid fieret expectabat. Verum hi qui missi fuerant, non ita, ut sperabant, somno oppressos inuenere custodes: sed excitatis cum clamore, confestim manus conseruere excubitorum intus. Mane autem cæteri cateruatim excurrēre. Itaq; primorum quidem impetū excipiebant Romani: qui autem illos sequerentur, in agmen propriū incidebant, multisq; suorum uelut hostibus utebantur. Vocis nanq; agnitionem confusus partim clamor, oculorum autem singulis nox ademerat: cum præterea quosdam furor cæcos, alios iracundia, alios timor efficeret: idcirco obuium quenq; sine discretione feriebant. Romanis quidem scutorum coniunctione septis, & per globos prosilientibus, ignoratio minus nocebat: signi enim sui quisque meminerat. Iudæi uero disiecti, tam impetus quàm recessus temere facientes, sæpe imaginem inter se hostium alijs alij demonstrabant: cum reuertentem suum quisque per tenebras, Romanum quasi aggredientem exciperet. Denique plures à suis quàm ab hostibus sauciati sunt, donec orto die, uisu iam pugna discerneretur: & in acie stantes ordine, sagittis atque lapidibus agerentur. Neutri uero cedebant, neq; labore fatigabantur. Sed Romani quidem & sigillatim, & multi simul in conspectu imperatoris de uirtute certabant. Illumque diem sibi quisque promotionis

Iterum Ro. in uadunt urbem

Titus spectator pugnæ.

initium fore putabat, ſi fortiter dimicaſſet. Iudæis autem & proprium cuiuſque periculum, & quod templo metuerent, miniſtrabat audaciam: quod tyrannus ſtans hos rogaret, alios uerberaret, & ad pugnandum interminationibus incitaret. Cominus autem plerunque pugnatum eſt, ſed cito & breui momento prælia mutabantur. Neutra enim pars prolixum fugæ ſpatium uel perſecutionis habebat. Pro ſuorum autem euentu ex Antonia tumultus erat, & confidere ſuperantibus, & ſtare ſi fugerent, acclamantium: erátque ueluti quoddam belli theatrum. Nec enim uel Titum uel alios, qui unà erant, quicq; eorũ quæ in pugna gerebantur latebat. Poſtremo nona hora noctis cœpto prælio, quinta diei diſſoluti ſunt. Cum neutri eo loco, unde pugnam iniere, certa fuga ceſſiſſent, uerum mediam in ancipiti prælio uictoriam reliquiſſent, Romanorum quidem plurimi nobiliter decertarunt: Iudæorum partis quidem Simonis, Iudas Marion filius, & Simon Ioſiæ: Idumæorum uero Iacobus, & Simon alter Cathlæ filius, Iacobus autem Soſæ: de Ioannis autem ſocijs, Getheus & Alexander: de Zelotis autem, Simon filius * Tagiræ. At Romanorum reliqua manus, die ſeptimo ſubuerſis Antoniæ fundamentis, latam uiam uſque ad templum compoſuit. Admotáque muro agmina, mox aggeres inchoabant: unum contra interioris templi angulum, qui ad ſeptentrionalem orientémque ſpectabat: alterum contra exedram, ad Aquilonis partem, inter duas portas ædificatũ. Aliorũ duorũ unum contra portam occidentalem templi exterioris, alterum ab Aquilone. Magno tamen opus cum labore ac miſerijs proficiebat, cum materias ſexcenteſimo uſque ſtadio deportarent. Interdum autem inſidijs lædebantur, cum ipſi quidem uincendi facultate minime cauerent, Iudæis uero propter deſperationem ſalutis audacioribus uterentur. Nonnulli enim equitum, quotiens ad ligna ſiue fœnum colligendum exiſſent, interea dum id facerent, equos ſuos frenis exutos paſci ſinebant: quos Iudæi per cuneos irrumpentes rapiebant. Itaque dum id crebro fieret, Cæſar exiſtimans, quod erat uerum, negligentia ſuorum magis quàm Iudæorum uirtute rapinas contingere, triſti animaduerſione cæteros ad equorum cuſtodiam reuocare ſtatuit: unóque milite, qui equũ perdiderat, morte damnato, eo metu equos ſuos cæteris cõſeruauit. Nunquam enim eos poſt hæc in paſcua dimittebant, ſed tanquam natura his connexi ad neceſſitatem egrediebantur. Illi quidem templũ oppugnabant, aggerésque erigebant. Altera uero die poſt eorum aſcenſum, multi ſeditioſorum, quos rapinæ defecerant, & fames urgebat, congregati, in præſidia Romanorum, quæ Elæon montem uerſus collocata erant, circa undecimam diei horam impetum faciunt. Sperabãt enim primo quidem inopinatos, deinde curandi corporis cauſa quieſcentes, facile decipi poſſe. Verum cognito illorum conatu, Romani de proprijs cuſtodijs celeriter collecti obſtabant eis, murum tranſcendere ac perrumpere uiolenter ambitu conatis. Conflato autem uehementi prælio, multa quidem & alia ab utraque parte fortiter geſta ſunt: cum Romani præter fortitudinem etiam bellandi peritia, Iudæi uero immoderato impetu & effrenatis animis uterentur. Dux autẽ his pudor erat, illis neceſſitas. Nam & amittere Iudæos, ueluti laqueis irretitos, Romanis turpiſſimum uidebatur: & illi unam ſpem ſalutis, ſi murum ui perrumpere poſſent, habebant. Ibi tum quidam ex ala

Anceps pugna.

Aliàs Iairi.

Aggeres ex trucũ.

equitum

equiti, Pedanius nomine, Iudæis in fugam uersis, atque in uallem coactis, equo in aduersum montem à latere incitato præteruectus, rapit unum ex hostibus fugam petentem, iuuenem & grauem corpore, & armis undique septum, talo comprehensum: Tantum se inclinauit equo currente, tantámque dexteræ uim, itémque cæteri corporis, & equestris peritiæ demonstrauit. Iste quidem tanquam munus aliquod rapuisset, captiuum ferens, ad Cæsarem uenit. Titus autem uires eius qui ceperat admiratus, & captum, quia murum aggredi tentauerat, supplicio affici iussit. Et ipse quidem templi oppugnationem curabat, utcp aggeres mature fierent perurgebat. Inter quæ Iudæis aduersis prælijs male tractatis, tumescente paulatim bello, & in templi serpente perniciem, sicut in putrefacto corpore, sola membra peste occupata, præuenientes, ne ulterius procederet, abscindebant. Porticus enim parte, quæ ab Aquilone in orientē pertinens, Antoniæ iungebatur, incensa, deinde ad uiginti ferè cubitos abrupere, immisso sanctis incendio manibus suis. Biduo autem post idus prædicti mensis, uicesimo & quarto die, Romani porticum inflammauere: & usque ad quarrumdecimum cubitum igne progresso, Iudæi similiter culmen abijciunt: neque omnino recedentes ab operibus, & Antoniæ continentia dirimentes, cum liceret eis ac deberent incendium prohibere. Itaque immisso igne, cursum eius otiose pro sua utilitate metiebantur. Circa templum autem nunquam prælia cessauere: sed frequens erat paulatim contra se excurrentium bellum. Hisdem autem diebus, quidam ex Iudæis uir, & corpore breuis, & uultu despicabilis, tamque genere quàm rebus alijs uilissimus, Ionathes nomine, progressus ad Ioannis pontificis monumentum, cum alia multa superbe ad Romanos prolocutus est, tum quem fortissimum haberent, ad singulare prælium prouocauit. At qui contrà stetere, multi quidem dedignabantur: erant autem inter eos (ut assolet) etiam qui timerent: quosdam uero non inconsulta mouebat ratio, cum mortis cupido non debere confligere. Nam qui de salute desperassent, eos neque cautos impetus, neque deum habere placabilem: & cum his in discrimen uenire, quos neque uincere magnum sit, & uinci cum dehonestamento periculosum, non fortitudinis sed ferocitatis uideri. Cum autem diu nemo procederet, multáque Iudæus eorum timiditati illuderet, erat arrogantissimus quidam & superbus è Romanis, ex ala equitum, nomine Pudens, insolentiam eius exosus, fortasse autem etiam corporis breuitate sublatus, inconsulte prosilijt, & cæteris commissa cum eo pugna risum præbuit: sed à fortuna proditus est. Lapsum enim Ionathes interfecit: deinde pede supra mortuum posito, læua scutum, dextráque cruentum gladium corruscabat: armisque cum fremitu concussis exercitui & iacenti insultans, spectantes Romanos increpabat: donec eum tripudiantem & uana iactantem, quidem Priscus centurio sagitta transfixit: eóque facto, & Iudæorum & Romanorum clamor uarius excitatus est. Ille autem dolore in uertiginē tortus, supra corpus hostis incubuit: bellicp felicitatem ratione carentem, quàm uelox ultio sequeretur ostendit.

Pedanius.

Porticus incensa.

Pudens cadit.

Ionathes à Prisco occiditur.

Romani flammis pereunt dolo Iudaico, & de Argorio quodam. Cap. VI.

SEditiosi uero templum tenentes, aperte quidem & quotidie militibus in aggeribus positis repugnabant. Vicesimo autem septimo die prædicti mensis,

huiuſmodi dolum excogitant. Occidentalis porticus ſpatium, quod inter culmẽ & trabes erat uacuum, ſyluis aridis, itémque ſulfure ac bitumine repleuere. Deinde uelut oppreſſi cedebãt. Quare multi quidem temerarij fugientibus inſtabant, & in porticum aſcendere poſitis ſcalis nitebantur. Qui uero prudentiores erant, nullam fugæ cauſam Iudæis fuiſſe cogitantes, locis ſuis manebant. Verum porticu repleta his qui aſcenderant, ignem immittunt Iudæi. Excitata undique ſubitò flamma, Romanos, & qui extra periculũ ſteterunt, ingens ſtupor inuaſit: & deſperatio quos incendium ceperat occupauit. flammis enim cincti, ſemetipſos in oppidum, alij uero in hoſtes præcipitabãt: multi ſpe ſalutis deſilientes in puteos, illico debilitabantur: alios, dum conantur, præueniebat incendiũ: alij ferro flammam: antecedebant. Statim uero & alios fugientes ignis comprehendebat, plurimum peruagatus. Cæſarem uero, licet præ morientibus indignaretur, quod in ſuiſſi porticum aſcenderant, miſericordia tamen eorum tetigit. Cumque nemo prohibere poſſet incendium, hoc erat tamen ſolatio pereuntibus, quia uidebant eius dolorem, pro quo ipſi animam perderent. Vociferans enim & ante alios proſiliens, & comites ſuos quàm poſſent auxilium ferre obſecrans, cernebatur. Eiuſque uoces & affectiones quiſque, uelut aliquam prædariſſimam ſepulturam, ſecum afferens moriebatur. Nonnulli tamen recepti in partem porticus latiorem, flammarum quidem periculum euaſere. Obſeſſi autem, Iudæis cum diu ſaucij reſtitiſſent, poſtremo uniuerſi cecidere. Poſt omnes autem quidam iuuenis, nomine * Longus, toti huic ornamento fuit calamitati: & quamuis ſigillatim digni ſint memoria qui periere, omniũ tamen fortiſſimus demonſtratus eſt. Quem Iudæi quidem, & quia fortis erat, & quia interficere eum cupiebant, ad ſe deſcendere promiſſa fide hortabantur. Frater uero eius Cornelius, qui ex altera parte ſtabat, ne gloriam ſuam Romanámque militiam dehoneſtaret orabat: cui magis obtemperauit: ſublatóque altius gladio, ut ab utriſque partibus cerneretur, ſemetipſum occidit. Eorum quos ignis obſederat, Argorius quidam, calliditate ſeruatus eſt. Appellato enim clara uoce Lucio quodam, commilitone & contubernali ſuo: hæredẽ te, inquit, relinquo totius patrimonij mei, ſi me exceperis. Cum autem ille prompto animo accurriſſet, ipſe quidem qui ſe in eum proiecerat, uixit: Lucius uero pondere oppreſſus, conſtratóque lapidibus ſolo allíſus, continuo moritur. Ea calamitas pauliſper quidem Romanis triſtitiam comparauit, in poſterũ tamen cautiores effecit, & aduerſus Iudæorum inſidias iuuit, quibus plerúnq; loca morésq; hominũ neſcientes lædebantur. Exuſta eſt uero porticus ad turrim uſq; Ioannis, quam ille belli tempore, quod cum Simone gerebat, ſupra poſtes quæ in Xyſtum ducerent ædificauerat. Reliquum uero Iudæi, quoniam cõſumpti fuerant qui aſcenderant, abſciderunt. Poſtero autem die Romani quoque, porticũ quæ in Boreæ parte fuit, ad orientalem uſque totam incendunt: cõtinentem angulos eius, quæ appellatur Cedron, ſuper uallem ædificata: unde etiam profunda erat, & horribilis eius altitudo.

Romani flammis exuſti.

Aliàs Longinum, Logiſtum.

De fame Iudæorum. Caput VII.

CIrca templum quidem ita res ſe habebant. Eorum uero qui per ciuitatem fame cor-

mẽ corrũpebantur, infinita multitudo moriebatur. Inenarrabiles autem clades eueniebant. In dies nanque ſingulos, ſi uel uſquam aliquid cibi apparuiſſet, bellum illico gerebatur: & amiciſſimi inter ſe ad manus ueniebant, miſeris diripientes animis uiaticum. Fides autem penuriæ nec morientibus habebatur: ſed etiam quos uiderent expirare, ſcrutabantur latrones: ne quem forte cibum ſinu occultans quiſpiam, moreretur. Ipſos autem ſpes egeſtate uictus hiantes, ueluti canes rabidos decipiebat: & impingentes in oſtia, tanquam ebrij ferebantur, eaſdémque domos bis ac ter eodem momento deſperatione inquietabant: omniáque dentibus neceſſitas ſubigebat: & ea colligentes quæ nullum, quamuis ſordidiſſimum mutorum animalium, non horreret, comedere paciebantur. Denique nec cingulis nec calciamentis abſtinuere, coriáque ſcutis detracta mandebant. Quin etiam fœni ueteris laceramenta, uictui habebantur: cuius nonnulli exiguum pondus quatuor atticis uenundabant. Et quid opus eſt famis improbitatem ex rebus anima carentibus demonſtrare? factum enim relaturus ſum, neq; apud Græcos, neq; apud Barbaros cognitum, & dictu quidem horrendum, auditu uero incredibile. Itaq; libenter hanc calamitatem intermitterem, ne mentiri me poſteri æſtimarent, niſi teſtes multos haberem: & fortaſſe aliquam patriæ referrem gratiam, parcius ea diſſerens, quorum fata perpeſſa eſt.

De muliere quæ per famẽ filiũ coxerat. Caput VIII.

MVlier quædam ex plebe trans Iordanem habitantium incolarum, Maria nomine, Eleazari filia, de uico Vatezobra, quod ſignificat domus hyſſopi, genere ac diuitijs nobilis, cum alia multitudine fugiens, in Hieroſolymam recepta, cum cæteris obſidebatur. Huius alia quidem bona tyranni diripuerunt, quæ ex tranſamnanis locis in oppidum comportauerat. Reliquias uero conditorum, & ſi alimenta reperiſſent, irrũpentes domum eius ſatellites, quotidie auferebant. Grauiter autem mulier indignabatur: propterea q; ſæpiſſime raptoribus maledicens, & imprecans, eos contra ſe uehementius iritabat: cum neq; iratus, neque miſerans, eam quiſquam uellet interficere. Sed uictum quidem patrando alijs parabat: undiq; autẽ adempta iam erat ei etiam reperiendi facultas, famésq; uiſceribus & medullis irrepſerat. Plus uero quàm fames iracundia ſuccendebat. Igitur ui animi ac neceſſitate impulſa, rebus aduerſis contra naturam excitatur, raptóque filio, quem latentem habebat, miſerum te, ait, infans, in bello & fame & ſeditione cui te ſeruauero? Apud Romanos etiam, ſi uixeris, ſeruiturus es: fames autem præuenit ſeruitutem: his uero ſeditioſi ſæuiores ſunt. Eſto igitur mihi cibus, & ſeditioſis furia, & humanæ uitæ fabula, quæ ſola deeſt calamitatibus Iudæorum. Et hoc ſimul dicens, occidit filiũ, coctúmq; medium comedit. Adopertum autem reliquum ſeruauit. Ecce aderant ſeditioſi, & contaminatiſſimi nidoris odore capti, mortem ei ſtatim, niſi quod paraſſet oſtenderet, minabantur. Illa uero bonam partem ſe reſeruaſſe reſpondens, aperit filij reliquias. Illos autem confeſtim horror cepit atque dementia, uiſuq; ipſo diriguerunt. At mulier: & hic, inquit, eſt uere filius & facinus meum, comedite: nam & ego comedi. Nolo ut ſitis aut fœmina molliores, aut matre miſericordiores: Quod ſi uos pietatem colitis, *Filium à matre coctum.*

& mea ſacrificia repudiatis, ego quidem comedi, reliquum eius me manebit. Poſt hoc illi quidem trementes exierunt, ad hoc ſolum timidi, uixq; hoc cibi mani ceſſere. Mox autem repleta eſt eo ſcelere tota ciuitas: & unuſquiſque ante oculos ſibi cladem illam proponens, tanquam hoc ipſe admiſiſſet, horrebat. Ab omnibus autem quos fames urgebat, properabatur ad mortem: & beati appellabantur, qui priuſquam id paterentur interiiſſent. Cito autem Romanis nunciata eſt illa calamitas, eorúmque alij non credebant, alij miſerebantur, multos autem uehementius eius gentis odium cepit. Cæſar autem ſuper hoc deum placabat: ſiquidem Iudæis pacem obtuliſſet, eiſque liberam propoſuiſſet omnium obliuionem quæ commiſerant. Illos autem pro concordia ſeditionem, bellum pro pace, pro ſacietate atque opulentia famem optaſſe: & qui proprijs manibus templum, quod ipſe eis ſeruaſſet, incendere cœperant, huiuſmodi alimentis eos eſſe digniſſimos. Veruntamen ſcelus huius nefandi uictus, ruina ſeſe patriæ operturum: neque relicturum in orbe terræ, ut ſol inſpiciat ciuitatem, in qua matres ſic ueſcerentur. Ante matres autem patribus huiuſmodi alimenta deberi: qui nec poſt eiuſmodi dades arma deponerent. Simul hæc dicens, deſperationem hoſtium reputabat, nec eos ſanam mentem recepturos exiſtimabat, qui cuncta iam pertuliſſent, quibus antequam ea paterentur, mutare ſententiam ſperabantur.

De expugnatione muri & incendio templi. Caput IX.

OCtauo autem die menſis Auguſti, cum duæ legiones aggeres perfeciſſent, ad exedram occidentalem templi exterioris admoueri arietes iuſſit: cum diebus antè ſex, qui firmiſſimus erat, aries, parietem ſine intermiſſione pulſando, nihil omnino profeciſſet. Verum & huius & cæterorum magnitudinem ſtructura lapidũ ſuperabat. Septentrionalis autem portæ alij fundamenta ſuffodiebant: multúmque fatigati, exteriores tantum lapides euellere potuere. *Scalæ muris admotæ.* Ab interioribus autem portæ ſuſtinebantur: iámque diu manſere, donec inſtrumentorum & uectium conatibus deſperatis, Romani ſcalas porticibus applicuere. Iudæi uero præuenti, ne eos ſubire prohiberent, cum his congreſſi dimicabant. Et alios quidem retro depellentes præcipitabant, accedentes alios ſubſidio trucidabant. Multos de ſcalis egredientes, priuſquam ſe ſcutis obtegerent, ferientes gladijs præueniebant. Nonnullas autem ſcalas armatorum plenas, in latus deijcientes, declinabant. Vnde Romanorum quoque non parua cædes ſequabatur. Alij ſignis ablatis pro his decertabant, rapinam eorum grauiſſimæ fore turpitudini ducentes. Poſtremo tamen Iudæi & ſignis potiuntur: & eos, qui unà aſcenderant, interficiunt. Cæteri uero clade intereuntium perterriti deſcendunt. Romanorum quidem nemo, no aliquo facto opere, procubuit. Seditioſorum autem, qui prioribus prælijs etiam tunc fortiter pugnauerunt, & præterea Eleazarus fratris Simonis tyranni filius. Titus autem, cum uideret ſe alienis & templo cum damno & nece militum parcere, ignem portis ſubij- *Transfugæ.* ci iuſſit. Inter hæc autem ad eum profugi ueniunt, Ananus ex Emaus, Simonis ſatelles crudeliſſimus, & Archelaus filius Magadati: idcirco ſperantes ueniam, quod Iudæos uictores reliquerant. Titus autem, cum hanc eorum in Iudæos

crudelitatem

crudelitatem audiuit,utrunq; obtruncare decreuit. Dicebat enim neceſſitate,non uoluntate ueniſſe:nec ſalute dignos eſſe, incenſam ipſorum cauſa patriam deſerentes. Veruntamem cohibuit iracundiam fides,eósq; dimiſit:ſed nõ eo loco habendos,quo etiam alios credidit. Iam uero portis milites ignem admouerant, liquefactóq; argento,cito lignum flammæ abſumpſerant,cum ſubito auctæ proximas inde porticus corripuere. Iudæis uero ignem circum ſe uidentibus, corpora ſimul animæq; ceciderunt: & ſtupore attoniti,adiuuare quidem uel extinguere nemo conatus eſt: ſtantes uero aſpiciebant,nec tamen his quæ abſumerentur dolentes:ſaltem ut quod reliquum eſſet, ſaluum haberent, animum colligebant. Illo quidem die,& quæ ſecuta eſt nocte,creſcebat incendium: paulatim enim nec ſimul undiq; inflammari porticus potuerunt. Poſtero autem die Titus partem militum iuſſit incendium reſtinguere, pérq; proxima portis loca uiam ſternere, ut facilior agminibus eſſet aſcenſus,Rectores ad ſe conuocat: ſexq; collectis qui erant proceres, Tiberio Alexãdro totius militiæ præfecto,& Sexto Cereali quintæ legionis præpoſito, & Largio Lepido decimæ, & Tito Phrygio quintædecimæ,cum quibus erat etiam Fronto, ac Ternius magiſter duarum Alexandrinarum legionum, & M. Ant. Iulianus procurator Iudææ,congregatiſq; præterea chiliarchis & procuratoribus,conſilium de templo propoſuit. Aliis quidem uidebatur lege belli utendum eſſe:nunquam enim Iudæos à nouis rebus poſſe deſinere templo manente, quo omnes ubicunq; eſſent colligerentur. Nonnulli monebant,ut ſi templum reliquiſſent Iudæi, neq; armis pro eo quiſquam certaret,conſeruandum eſſe ſuadebant. Si uero id pugna obtinuiſſent,ignibus conſumendũ: quoniam caſtellum iam uideretur eſſe non templum: & piaculum non ipſe id,uerum illi qui fieri coëgere,committerent. Tito autem, nec ſi ſtantes dimicarent Iudæi,pro hominibus animo carentibus,ulciſcendum eſſe dicente,neq; ſe unquam tantum opus incenſurum:iam enim Romanorum fore hoc damnum,ſicut ornamentum quoq; foret imperij,ſi maneret: iam certi quid uellet, ad eius accedunt ſententiam Fronto, Alexander,& Cerealis. Tunc quidem conſiliũ dimiſit,iuſſiſque militibus requieſcere, itémq; ducibus ut his in procinctu ualidioribus uterentur,uiam ſternere per ruinas,lectis ex cohortibus imperat, ignémq; reſtinguere. Illo quidem die Iudæos labor itémq; timor ab impetu cõtinuit. Poſtero autem collectis uiribus,& recepta fiducia, per orientalem portam contra templi exterioris cuſtodes,ſecunda hora diei procurritur. Illi autem primam quidem concionẽ fortiter excepere:ſeptiq; ſcutis,à fronte murum condenſa acie imitantur. Certum tamen erat eos non diu duraturos,quod & multitudine infeſtantiũ & animis uincerentur. Cæſar autem priuſquam uerterentur acies (nam pugnam ex Antonia proſpectabat) cum equitibus lectis uenit auxilio. Impetum uero eius non ſuſtinuere Iudæi: ſed primis interfectis,plerique fugam petunt: & cedentibus quidem Romanis,reuertentes inſtabant. Cum autem illi retorſiſſent,iterum refugiebant: donec circa horam quintam, Iudæi ui coacti templum introire,conduſi ſunt. Titus autem diſceſſit in Antoniam, decreto poſtridie mane cum omni exercitu aggredi,templúmq; obſidere. Sed id planè dei ſententia iamdudum igne damnauerat:euolutiſq; temporibus aderat fatalis dies,qui erat decimus menſis Auguſti, quo

Porticus templi accenſæ.

Iterũ cõflictũ.

sti, quo etiam prius à rege Babyloniorum fuerat concrematum. Ex ædibus autem causam principiúmq; sumpsit incendium. Nam cum paulisper Titi discessu seditiosi quieuissent, Romanos rursus aggrediuntur, custodúmque templi cum ignem interioris fani restinguentibus pugna committitur. Hicq; Iudæis in fugam uersis, usque ad templum transierunt.

Quemadmodũ templũ incensum est inuito Tito. Caput x.

Templũ succenditur.

HIc itaq; tunc militũ quidam, non expectato cuiusquam edicto, neque tantum facinus ueritus, sed diuino quodam motus impetu, à contubernali suo sustollitur: & exardente materia raptum ignem in fenestram inserit auream, inde ad membra circum templum ædificata de septentrionali regione aditus erat. Flamma uero excitata, Iudæorum quidem calamitati dignus clamor exoritur, & ad ulciscendum properabant: neque iam uitæ parcendum rati, necq; uiribus temperandum, amisso eo cuius gratia cautissimi uidebantur. Mature autem hoc Tito quidem nunciat. Et ille (nanque casu in tabernaculo quiescebat sicut à prælio redierat) exilijt: templumque curriculo petit, prohibiturus incendium: omnesque post eum duces, & hos agmina perterrita sequebantur. Clamor autem ac tumultus erat, tanto exercitu sine ordine concitato. Cæsar autem uoce simul ac dextera pugnantibus signo dato, ignem iubebat extingui. Sed neque uox eius audiebatur, quod aures eorum maior clamor obstrueret, nutumque dexteræ nõ attendebant, cum alios bellum, alios ira distraheret. Introcurrentium uero agminũ impetum, non præcepta neque interminatio continebant: sed quò furor eos duceret, sequebantur. Ad ipsos autem introitus obstrusi, multi quidem sese inuicem cõculcabant: multi uero ardentibus adhuc & fumantibus porticũ incendẽtes ruinis, liuore quidem utebantur. Cum uero ad templũ accessissent, edicta quidẽ Cæsaris non audire simulantes, præcedentem quisq; ut ignem immitteret, hortabatur. Seditiosis autẽ iam subeundi quidẽ spes nulla erat, sed fuga & cædes omnia

Cædes multorum.

possidebat. Magna uero populi multitudo inualida & inermis, ubicunq; occupati fuerant, interficiebantur: & circum aram quidem ingens mortuorum numerus congerebatur. Per gradus uero templi, & sanguis multus profluebat, & eorũ cor-

Cæsar ingreditur templi adyta.

pora qui supra ceciderant delabebantur. Cæsar autem ubi necq; impetũ insanientium militum continere poterat, & flamma dominabatur, introcum rectoribus ingressus, & sanctum templi, & quicquid illic erat aspexit, ea quidem quæ apud alienigenas erant fama meliora, pompa uero & opinione domestica non minora. Cum autem flamma nondũ ex ulla parte ad interiora penetrasset: nec membra quæ circum erant templũ depasceretur, quod erat uerũ, existimans adhuc illud opus posse seruari, & ipse prosiluit, militésq; rogare ut ignem restinguerent conabatur: & Liberalem hecatontarchũ de stipatoribus suis, fuste multatos qui non obedirent iussit arcere. Illorũ autẽ furor belliq; impetus quidam uehementior, Iudæorumq; odia, & Cæsaris reuerentiam & prohibentis metũ superabant. Plerosq; autem prædarũ spes incitabat, suspicantes intus omnia pecunia referta esse: quoniam fores auro factas cõspicerent. Præterea quidam miles ex his qui introuerant, cum Cæsar ad inhibendũ incendiũ cucurrisset, ignem iam cardinibus portæ subiecerat. Tumq; subito, postquam flamma intus apparuit, & duces cum

Cæsare

Cæſare diſcedebant,& ſtantes extrà ſuccendere nemo prohibebat. Templū quidem hoc modo inuito Tito exuritur. Sed quamuis hoc multum quis deflendū putet,ut opus omnium quæ audiuimus aut uidimus maxime admirabile, tam extructionis genere,quàm magnitudinis, itémq; munificentiæ in ſingulis rebus, & gloriæ quæ de ſanctis habebatur, maximum tamen ex fato capiet ſolatium: quod ut animalibus,ita operibus locisq; fatū ſit ineluctabile. Mirabitur autem in eo etiam circumacti temporis fidem. Nam & menſem,ut dictum eſt,eúmque diem ſeruauit,quo primum ab Babyloniis templum erat incenſum. Et à prima ſtructione templi,quam Solomon rex inchoauerat,uſq; ad hoc excidium, quod euenit ſecundo anno principis Veſpaſiani, mille centū triginta colliguntur anni, & ſeptem menſes,ac dies quindecim. A poſteriore uero,quam ſecundo anno Cyri regis Aggæus fecerat,uſq; ad excidium quod Veſpaſiano imperante ſuſtinuit ciuitas,anni ſexcenti trigintanouem, & dies quadragintaquinque.

De ſacerdotibus,Gazophilatioq; & porticu. Caput XI.

DVm templum autem incenderetur,etiam quicquid in manus forte ueniſſet rapiebatur,& cædes erat infinita deprehenſorū. Nec actæ fuit ætatis miſeratio,aut reuerentia caſtitatis: ſed & pueri & ſenes & ſacri ac profani ſimiliter interficiebantur,atq; omne genus hominum belli calamitas perſequebatur, unáq; ſupplices cum repugnantibus necabantur: flammáq; ulterius progrediens,cum gemitu occumbentiū concrepabat. Et pro altitudine quidem collis, ardentiſque operis magnitudine,totam quis ardere crederet ciuitatem. Illo autem clamore nihil maius aut horribilius excogitari poteſt. Nam & Romanorū agminū fremitus erat,& ſeditioſorum,ferro ignique dauſorū clamor ingens tollebatur,& populi ſurſum deprehenſi ad hoſtes fuga,cum ſtupore ac calamitate cōqueſtio. In colle autem cōſtitutis,etiam multitudo oppidi cōſonabat. Iam uero multi fame marcidi, in mortē penè luminibus clauſis, poſtquam ignem templi uidere, in queſtus interim uires clamorémq; receperunt. Reſonabat autem & trans fluuium regio, & montes circūpoſiti grauiorem impetū faciebant: & tamen erant clades acerbiores tumultuū. Nam collem quidem in quo templū erat, euelli radicitus quis putaret: ita undiq; belli plenus uidebatur,& ſanguis igne largior eſſe,pluréſq; interfectoribus interfecti,omniſq; terra cadaueribus tegebatur: & ſupra corpora mortuorum gradientes milites, curſum fugientiū ſequebantur. Latrocinalis quidem multitudo,tandem pulſis Romanis,in exterius templum,deinde ciuitatem euadit. Populi autem quod fuit reliquū,in exteriorem porticū confugerat. Sacerdotum autem Iudæorúmq; nonnulli,primū quidē uiribus itémq; ſedibus ſuis,quæ ex plumbo factæ erant,auulſis, in Romanos pro miſſilibus utebantur. Deinde cum nihil proficerent,ignisq; in eos euomeretur,in parietem ſecedentes octo cubitis latum,ibi manebant. Duo tamen ex nobilibus,cum ad Romanos tranſeundo ſeruari poſſent,aut cōmunē cum cæteris durare fortunam, ſemetipſos in ignē iniecere,& cum templo cōcremati ſunt, Meirus filius Belgæ, & Ioſippus Dareæ. Romani autem, quod fruſtra ſe circum templum ædificijs parcere iudicabant, cum ipſum templū arderet,omnia ſimul incendunt,& quicquid ex porticibus reliquum erat, & portas: præter unam ex parte orientali, alteram ex meridiana, quamuis

Sacerdotes in tẽpli ſe muris occultantes.

quamuis eas quoq; poſtea funditus euerterint: Quinetiam arculas, quæ gazophi lacia uocantur, incendunt, in quibus magna uis erat pecuniæ, ac plurimū ueſtiū, aliáq; ſubſtantia, & (ut breuiter dicam) omnes Iudæorū congeſtæ diuitiæ, quod opulentiſſimus quiſq; illuc totas domos exhauſerant. Venerunt autem etiam ſuper eam, quæ reſtabat, unam porticum, extra templum, quò confugerant ex populo, mulierculæ, itémq; pueri & promiſcuæ multitudinis, propè ad ſex hominū milia. Sed priuſquam de his Cæſar quicquam decerneret, uel ducibus imperaret, ira flagrantes milites incendunt porticum. Hincq; contigit, ut alij cum ſe ex flamma præcipitarent morerentur, alios ipſa corrumperet. Ex tanto autem numero nemo ſeruatus eſt. His cauſa interitus quidem pſeudopropheta fuerat, qui eo die prædicauerat in ciuitate, quod eos in templum deus aſcendere ſigna ſalutis accepturos iuberet. Multi enim à tyrannis tunc ſubornati prophetæ, populo denunciabant, ut expectarent dei auxilium, quo propterea minus profugerent. & eos qui ſupra timorem & cuſtodiam fierent, ſpes retineret: Cito autem in aduerſis homini perſuadetur. Quod ſi etiam malorum inſtantium liberationem pollicetur qui fallit, neceſſario qui ea patitur, ſpei totus efficitur.

De prodigijs excidiū Hieroſolymæ præcedentibus & præſagijs. Cap. XII.

DEniq; miſerabilis populus, illis quidē fallacibus deūq; calūniantibus, credulus erat. Certis uero prodigijs & futuram ſolitudinē pronunciantibus, neq; attendebant animo, neq; credebant: ſed uelut attoniti, nec aut oculos habentes, aut animas, edicta dei diſſimulauere: modo cum ſupra ciuitatem ſidus ſtetit, ſimile gladio, & per annum perſeuerauerit cometes: modo cum ante defectionem, primiq; belli motus ad diem feſtum Azymorū populo conueniente (octauus autem dies erat Aprilis menſis) nona hora nocturna, circum aram itémque templum tantū lumen effulſit, ut clariſſimus dies putaretur: & hoc uſque ad mediam permanſit horam: quod imperitis quidem bonum augurium eſſe uidebatur: ſacrorum uero peritis, priuſquam eueniret, ſtatim dijudicatum eſt. Eodémque feſto die etiam bos, cum ad hoſtiam duceretur, agnum in medio fani peperit. Orientalis autem porta interioris templi, cum eſſet ænea atque grauiſſima, & poſt meridiem uix à uiginti uiris clauderetur, ferriſq; ferro iunctis obſeraretur, peſſulóſq; altos haberet in ſaxeum limen demiſſos, uno perpetuo lapide fabricatū, uiſa eſt noctis hora ſexta ſponte pateſcere. His autem curriculo per cuſtodes templi magiſtratui nunciatis, aſcendit ille, uixq; eam potuit claudere. Verum & hoc iterum ignaris quidem ſignum optimum uidebatur. Deum nanq; bonorū portam ſibi aperuiſſe dicebant. Prudentiores uero templi tutamen ſponte ſua diſſolutum iri cogitabant: & hoſtium donum eſſe, portas aperiri: ſolitudinem uero illo oſtento ſignari inter ſe pronunciabant. Poſt dies autem feſtos, in diebus paucis, uiceſimoprimo die menſis Maij, larualis quædam imago uiſa eſt, fidem ſuperans. Monſtrum autem fortaſſe quod dicturus ſum, etiam his eſt cognitum qui uiderunt: & quæ ſecutæ ſunt clades, dignæ præſagijs extitere. Nanq; ante ſolis occaſum uiſi ſunt per inane ferri currus totis regionibus, & armatæ acies, tranantes nubila, & ciuitatibus circunfuſæ. Feſto autem die, quam pentecoſtem uocant, nocte ſacerdotes intimum templum more ſuo ad diuinas res celebrandas

ingreſſi,

ingressi, primum quidem motum quendam & strepitum senserunt: postea uero subitam uocem audierc, quæ diceret, migremus hinc. Quod autem his horribilius fuit, Iesus quidam, filius Anani, plebeius & rusticus, quadriennio priusq; bellum gereretur, in summa ciuitatis pace atq; opulẽtia, cum ad festum diem uenisset, quo ategias in honorem dei componi in templo ab hominibus mos est, repente exclamare cœpit: Vox ab oriente: Vox ab occidente: Vox à quatuor uentis: Vox in Hierosolymã & templum: Vox in maritos nouos nouasq; nuptas: Vox in omnem hunc populum. Atq; hæc interdiu noctuq;, omnes ciuitatis uicos clamitans circuibat. Nonnulli autem uirorum insigniũ, aduersum omen indigne ferentes, corripiunt hominem, multisq; uerberibus afficiunt. Ille autem neq; pro se, nec ad eos qui se multabant, secretò quicquam locutus, eadem quæ prius uociferans perseuerabat. Magistratus autem rati, quod erat uerum, magis diuinum esse hominis motũ, ducunt eum ad Romanorũ præfectũ, ubi plagis usq; ad ossa laceratus, neq; supplex quicq; fuit, neq; lachrymauit: sed ut poterat inclinans, maxime flebiliter uocem ad singulos ictus respondebat: Veh ueh Hierosolymis. Albino autem interroganti (is nanq; iudex erat) quis esset, uel unde ortus, aut cur ista diceret, nihil retulit. Non prius autem cessauit luctus miseræ ciuitatis, donec eum Albinus furere iudicatum dimisit. Ille autem ad belli usque tempus neq; adibat quenquam ciuium, nec quenquam uidit: sed quotidie uelut orationem quandam meditatus, ueh ueh Hierosolymis, querebatur. Sed nec imprecatus est cuiquam, cum in dies singulos multaretur, nec uictum offerentibus benedicebat. Sola uero eius responsio ad omnes erat in triste præsagium. Maxime autem diebus festis uociferabatur: idq; per annos septẽ & quinque menses continuos faciens, neq; uoce raucior fuit, neq; laborauit, donec obsidionis tẽpore ipsa re perspectis augurijs ipse quieuit. Supra murũ em̃ circũiens iterum, ueh ueh ciuitati ac phano ac populo, uoce maxima clamitabat. Cum autem ad extremum addidisset, ueh etiam mihi, lapis tormento missus eum statim peremit, animamq; adhuc illa omnia lugentem dimisit. Hæc si quis reputet, profecto inueniet, deum quidem hominibus consulere, modisq; omnibus præmonstrare quæ sint eorum generi salutaria: ipsos autem ob dementiã suam malis uoluntarijs interire: quandoquidem & Iudæi post Antoniam captam, quadratum fanum fecerant: cum in sacris libris scriptum haberent, sapiẽdam ciuitatem ac templum, si fanum quatuor angulis esset effectum. Sed quod maxime eos ad bellum excitauerat, responsum erat ambiguum, itidem in sacris libris inuentum, quod eo tempore quidam esset ex eorum finibus orbis terræ habiturus imperium. Id enim illi quidem quasi proprium acceperunt, multiq; sapientes interpretatione decepti sunt. Hoc autem planè responso, Vespasiani designabatur imperium, qui apud Iudæam creatus est imperator. Sed etiam homines fatum uitare non possunt, etiam si præuiderint. At uero hi signorum quædam pro sua libidine interpretati sunt, alia contempsere: donec patriæ excidio suaq; pernicie, eorum iniquitas confutata est.

Clamor ille ſtiã ac mortẽ

Preſagia ſiniſtre Iudæis intellecta.

De imperio Titi & ſacerdotum interfectione. Caput XIII.

ROmani quidem,poſtquam ſeditioſi ad ciuitatem confugêre,templo itẽq; omnibus circum locis ardentibus,ſigna in fano repoſuere contra portã orĩ talem:hiq; ibi ſacrificio celebrato,maximis cũ clamoribus declarabant Titum imperatorem. Vſq; adeo uero præda ſatiati ſunt milites uniuerſi,ut in Syria di midio quàm pridem fuerat pretio pondus auri ueniret.Ex his autem ſacerdoti bus,qui in templi pariete perdurauerant,puer ſitiens à Romanis cuſtodibus pa cem petebat,ſitimq; fatebatur.Sed ubi illi tam ætatis quàm neceſſitatis miſera ti,dedere ei dexteram,& ipſe bibit,& quam ſecum attulerat lagena repleta,ſur ſum refugiens abijt ad ſuos, nec eum quiſquam cuſtodum inſequi ualuit,ſed e ius perfidiæ maledicebant.Ille autem nihil ſe præter placita feciſſe dicebat. De xtera enim ſibi data, non ut apud ipſos remaneret,ſed ut tantum deſcenderet, atq; ut aquam acciperet:quæ cum fecerit,in fide manſiſſe. Aſtutiam quidẽ pro pter ætatem,maxime pueri, qui decepti fuerant, mirabantur. Quinta uero die ſacerdotes oppreſſi fame deſcendunt,& à cuſtodibus ad Titum perducti, ut ſa lutem ſibi concederet orabant.Ille autem ueniæ quidem tempus illis præteriſſe fatus,periſſe uero id cuius eos gratia merito conſeruaſſet,decere autem ſacerdo tes interire cum templo,duci homines ad ſupplicium iubet.Sed tyranni cum ſo cijs,quoniam bello undiq; tenebantur,circundatis autem nuſquam erat fugere copia, Titum ad colloquia prouocant. Ille autem pro humanitate naturali ſal tem oppidum ſeruare cupiens,& amicis præterea ſuadentibus(latrones enim iã moderatiores factos eſſe arbitrabantur)in parte occidua templi exteriore conſi ſtit.Hic enim ſuper Xyſtum erant portæ,ac pons qui ciuitatem ſuperiorem tem plo iungebat,iſq; tunc inter tyrannos ac Titum interueniebat.Multi aũt militũ utrinq; denſi aſtabant:Iudæi quidem circum Simonem ac Ioannẽ ſuſpenſi ſpe ueniæ:Romani uero ad Cæſarem ſpeculandi ſtudio,qualiter eos reciperet. Edi cto autem dato militibus,Titus,ut & iracundiam & ſagittas continerent, adhi bitoq; interprete,quo argumento ſuperior oſtẽdebatur,prior alloqui cœpit.Eti amne ſaturati eſtis patriæ malis,ò uiri? quibus neq; uirtutis noſtræ,neq; infirmi tatis propriæ uenit in mentem:ſed inconſulto impetu ac furore perditis populo & ciuitate ſimul ac templo,ipſi quoq; iuſte perituri:qui primum quidem,poſtq; uos Pompeius fortiter debellauerat,nouas res affectare non deſtitiſtis.Deinde etiam bellum apertum contra Romanum populum extuliſtis:utrumne multi tudine freti? an quod parua manus uobis Romani exercitus ſatis reſtitit? Auxi liatorum fide? Et quæ gẽs imperio noſtro libera,Iudæos præ Romanis optaret? Sed uiribus corporum? Atqui ſcitis nobis ſeruire Germanos.Firmitate muro rum? Et qui maior Oceano murus,atq; obſtaculum? quo ſepti Britanni, ado rant arma Romanorum.Animorum obſtinatione,uel aſtutia ducũ? Atqui etiã Carthaginẽſes captos eſſe noueratis.Itaq; uos contra Rom. ipſorũ excitauit hu manitas,qui primũ uobis & terrã dedimus poſſidendã, & gentiles impoſuimus reges.Deinde leges ſeruauimus patrias,& uiuere uos nõ ſolũ diſcretos, ſed cum alijs etiã ueſtra uoluntate cõceſſimus:quodq; maximũ eſt,tributũ capere dei no

De puero quodam.

Oratio Titi ad ſeditioſos.

mine,ac donaria colligere permiſimus:eaq; offerẽtes neq; monuimus,neq; prohibuimus,ut hoſtes nobis efficeremini ditiores,noſtraq; pecunia uos cõtra nos inſtrueretis.Ergo tantis bonis affecti,ſacietatem in eos qui hæc uobis præſtiterant,extuliſtis,& immitium exemplũ ſerpẽtium uirus blandientibus infudiſtis. Eſto,Neronis negligẽtiam contẽpſiſtis,& ueluti ruptum aliquod membrũ, ſiue contractũ aliâs,male quieti in maiore uitio detecti eſtis,& ad ſpes improbas, etiã cupiditates immodicas explicaſtis.Venit pater meus ad patriam ueſtrã,non ut pœnas à uobis ob ea quæ in Ceſtium cõmiſeratis,exigeret,ſed monitis emendaret.Denicq; cum deberet,ſi depopulandæ nationis cauſa ueniſſet,ſtirpẽ ueſtrã petere,atq; hanc delere ciuitatem,Galilæam & circa eam loca uaſtare maluit, ut pœnitẽdi uobis præberet inducias.Sed hæc eius humanitatis infirmitas uidebatur,noſtraq; lenitate aluiſtis audaciã. Et Nerone mortuo,feciſtis quod nequiſſimi ſolẽt,& ex inteſtinis ueſtris diſſenſionibus fidutiam præſumſiſtis:mecq;,ac patre meo digreſſis ad Aegyptũ,ad ſtruendum bellũ tempus illud utile putauiſtis. Neq; uos puduit perturbare principes dedaratos, quos etiam duces humaniſſimos fueratis experti.Denicq; ubi ad nos confugit imperiũ,& omnibus in eo quieſcentibus,per legatos autem gratulantibus exteris nationibus,iterum hoſtes Iudæi,& legationes quidem à uobis trans Euphraten uſq;,nouarũ rerũ gratia miſſæ:murorum autem noui ambitus reparabantur,ſeditio etiam,tyrannorũq; cõtentio,& bellum inteſtinum,quæ ſola huiuſcemodi nequiſſimos decent. Iuſſus ego ab inuito patre cum mandatis triſtibus ad ciuitatem uenire,lætabar, cognito populũ de pace ſentire.Ante bellũ rogabã uos deſiſtere,pugnãtibus aliquãdiu parcebã,ſpõte ad me ueniẽtibus dexterã dedi,fidẽ ſeruaui cõfugiẽtibus,multos captiuos miſeratus,uerberibus urgentes bellum coẽrcui,muris ueſtris machinas inuitus admoui,ſemper cædis ueſtræ cupidos milites continui.Quoticns uici,toticns uos ad pacem tanq; uictus prouocaui.Cum propè ad templum acceſſiſſem,conſultò iterum legis belli oblitus parcere uos propriis ſanctis orabam, tẽplũq; ſeruare,data uobis exeundi copia,& fide ſalutis:uel etiã pugnare alio tẽpore ſi uelletis,in alio loco facultates præbui.Iſta omnia ſpreuiſtis,& templũ manibus ueſtris incendiſtis.Deinde ſceleratiſſimi nũc me ad colloquium prouocatis,ut quid tale cõſeruetis quale periit.Qua uoſmetipſos ſalute dignos eſſet poſt templi excidiũ iudicatis?Quinetiam nũc armati ſtatis,& necin extremis ſupplices aſſimulatis.O miſeri,quæ fiducia?Nónne populus ueſter exanimatus?Tẽplũ uero periit,mihiq; ſubdita eſt ciuitas:in manibus aũt meis habetis animas ueſtras.Et tamẽ fortitudinis eſſe gloriã mortem arbitramini?Nõ contendã cum pertinacia ueſtra.Proiectis aũt armis,traditisq; corporibus,uitam uobis indulgeo,& ſicut in priuata domo,dominus mitis ultus grauiora,cætera mihi ſeruo. Ad hæc illi reſponderũt,fidẽ quidem ſe ab eo minime poſſe accipere:nã iuraſſe nunq; id eſſe facturos:exeundi uero per munitiones,qua murũ ſepſerat,cũ coniugibus ac liberis facultatẽ petebant.Ituros enim ſe in ſolitudinem,ipſisq; oppidum relicturos.Hoc Titus uehementer iratus,quod in ſorte captorum conſtituti, uictorum ſibi cõditiones ponerent,declarari quidem his iuſſit uoce præconis, ne ulterius ad ſe profugerent,neue fidem ſperarent:nulli enim eſſe parcendum:

Superba reſponſio ſeditioſorum.

cunctis autem uiribus dimicarent,& quantum possent,saluti suæ consulerent,ia
Permittitur ciuitas prædæ & incendio. enim se omnia iure belli gesturũ.Militibus aũt diripere ciuitatẽ, atq; inflãmare permisit.Illi autem ipso quidẽ die nihil egerũt. Postero autem die,Archium,& Acram,& curiam, quæ uocatur Ophla, succendere,& progrediebatur ignis usq; ad Helenæ regiam,quæ in media erat Acra:nec minus ciuitatis mortuis plenæ uici ardebant,domusq; fumo consumptæ.Eodem die* Galeza regis filia,& fratres,cum his multi nobiles ex populo congregati, ut fidem sibi daret,Cæsari supplicarunt.Ille aũt,quanq; cæteris omnibus iratus erat,mores tamen nõ mutauit,sed eos susceptit.Et tunc quidem omnes in custodia habebat: regis autem filios, ac propinquos postea uinctos, Romam perduxit, fidem obsidum præstaturos.

Aliàs Zare

De præda seditiosorum & succensione interioris ciuitatis. Caput XIIII.

Seditiosi depredantur regiam. SEditiosi autem ad domum regiam profecti,ubi(quia tuta erat)multi facultates suas deposuerant,& Romanos hinc pellũt, & omnibus popularibus qui eò conuenerant,propè ad octo milia & quadringentos occisis,pecuniam etiam diripuere.Viuos autem duos milites Rom.cepere,unum equitem,alterum peditem,& peditem quidem interfectum per omnem traxere ciuitatẽ,uelut uno corpore omnes Ro. ulciscerentur. Eques uero quidã his quod saluti foret, suadere
Duo milites Romani capti. pollicitus,deducitur ad Simonem.Cumq; ibi,quæ diceret non haberet. Ardali cuidã ex numero ducũ traditur puniẽdus.Is aũt eum reuinctis post terga manibus,ceruice atq; oculis in cõspectu Romanorũ,ueluti capite cæsurus, produxit. Verum ille dum gladiũ Iudæus educeret,ad Rom.refugit. Hunc Titus quoniã ab hostibus esset lapsus,nõ est passus quidem occidere,indignum uero esse Romanorum militẽ iudicauit,quia uiuus fuerat captus,& armis ablatis eum agmine pepulit.Quæ res prudẽti uiro grauior esse morte uidebatur. Postero aũt die Romani,uersis in fugam ex inferiori ciuitate latronibus, omnia Siloam usque igni tradidere,& oppidum quidem gaudebant absumi, rapinis uero carebant: quoniã latrones exinanitis prius omnibus,in superiorẽ ciuitatẽ recedebant. Erat nãq; illis malorum quidẽ nulla pœnitudo:arrogantia autem,tanquam in rebus secundis.Denicq; ardere ciuitatem lætis uultibus aspicientes,alacri uoto mortem se expectare dicebant,quod perempto populo,incenso templo,& flagrante oppido,nihil essent hostibus relicturi.Sed tamen Iosephus in extremis eorum rebus,pro reliquis ciuitatis obsecrando laborabat.Sed multa quidẽ in eorũ crudelitatẽ,atq; impietatem locutus,multa uero pro salute adhortatus,nihil amplius quàm elusus est:quia neq; se tradere propter iusiurãdũ patiebãtur, neq; pugnare cũ Romanis exæquo iam poterant,ueluti custodia circumuallati: cædisq; insuper consuetudo dexteras commouebat.Dispersi aũt per ciuitatem, per ruinas latitabant,profugere parati insidiantes.Multi autem capiebantur,omnesq; interficiebantur.Nã propter inediã fugere nõ ualebãt,mortuos aũt canibus proiiciebant.Omne aũt pereũdi genus,fame leuius uidebatur:adeo ut ad Ro.quoq; sine licentia,etiam desperata miscricordia,tamẽ fugerent,atq; in seditiosos à cæde nõ cessantes,sponte inciderẽt:nullusq; in ciuitate locus uacuus erat, sed cuncta mortuos habebant,quos fames aut latrões cõfecerãt,& cadaueribus eorũ plena

erant

qui alimentorum penuria,uel ſeditione perierant. Tyrannos autem fouebat,factionemq; latronum, ſpes ultima, ſita in cloacis: quò ſi fugiſſent,minime inueniri poſſe arbitrabantur Sed peracto excidio,poſt Romanorũ digreſſum prodire ac fugere cogitabãt. Id enim planè illis erat ſomnium. Nec enim uel deum, uel Romanos fuerant latitaturi. Tunc quidẽ ſubterraneis freti,plura quàm Romani concremabant,& qui ex incendijs fugientes in cuniculos deſcendiſſent,eos improbe necabant,itemq; ſpoliabant. Quinetiam cibum ſicubi reperiſſent concretum ſanguine rapientes,deuorabant. Erat autem inter ſe illis iam rapinarum cauſa bellũ:eosq; putauerim,niſi excidio præuenti eſſent,nimia crudelitate mortuorum quoq; corpora deguſtaturos fuiſſe.

Superior pars ciuitatis adoritur,& confugiunt aliqui Iudæorum ad Titum. Caput XV.

CAeſar autem fieri non poſſe proſpiciens,ut ſine aggeribus ſuperiorem caperet ciuitatem,in prærupto undiq; loco ſitam,diſtribuit operibus militem,uicesimo die menſis Auguſti. Erat autem tranſuectio impendiorum difficilis: omnibus, ut dictum eſt,circum ciuitatem uſq; ad centeſimum ſtadium in priorũ aggerum extructionem detõſis. Quatuor quidem legionum opus,in occidentali parte ciuitatis,contra aulam regiam erigitur:auxiliatorum uero manus,& cætera multitudo Xyſtum uerſus,ac pontem,& Simonis turrim:quã Ioannes bellũ gerens,pro caſtello ſibi ædificauerat. His autem diebus, Idumæorum duces dàm congregati,cõſilium de ſui traditione cepere:miſſis ad Titum quinq; uiris,ut dexterã ſibi darent,precabãtur. Ille tyrannos ſperans eſſe ceſſuros Idumæis abſtractis,quoniã belli pars uidebãtur,ſero quidẽ,ueruntamẽ uitã his pollicitus, legatos remiſit. Diſceſſum autem parãtibus Simon præſenſit,& eos quidem, qui ad Titum perrexerant,quinq; uiros ſtatim occidit. Duces uero,quorũ nobiliſſimus erat Soſæ filius Iacobus,correptos in cuſtodiã conijcit. Nec multitudinem Idumæorum,abductis rectoribus quid aggeret neſcientem,ſine cuſtodia habebat: ſed diligentioribus eam cuſtodijs amplectebatur,& tamen cuſtodes profugientibus obſtare non poterant. Quamuis multi necarentur,plures tamẽ erant, qui fugerent. Omnes autem ſuſcipiebantur à Romanis,quod Titus nimia lenitate priora præcepta neglexerat: ipſiq; milites iam & ſpe lucri,& ſatietate, cædibus tẽperabant. Sola enim relicta plebe,aliud uulgus cũ cõiugibus ac liberis, paruo quenq; pretio uenũdabãt. Cũ multi aũt diſtraherẽtur,& emptores pauci eſſent, quanq; uoce præconis edixerat,ne quis ſolus trãſfugeret, ut eo modo familias ſuas educerent,tamen hos quoq; recipiebat:appoſitis,qui ab his ſecernerent, ſi quis dignus ſupplicio uideretur. Et infinita quidem multitudo uenit. Ex populo uero ſeruati ſunt,plus quàm quadraginta milia,quos imperator quomodo cuique gratum erat,dimiſit. Iiſdem autem diebus,etiam ſacerdotum aliquis, filius* Nebuthi,nomine Ieſus,accepta fide ſalutis à Cæſare,ut de ſacris donarijs quædã traderet,egreditur,ac tradit ex fani pariete candelabra duo,his quæ in tẽplo erant poſita, ſimilia:mẽſasq; & crateras, & pateras omnia ex auro ſolido & graciſſimo facta. Tradit etiam uela,& põtificum indumenta,cum gemmis, & uaſa

* Aliàs Thebuthi.

multa ſacrificio comparata. Quinetiam cuſtos ſacræ pecuniæ cõprehenſus, Phinees nomine, ueſtes & cingula ſacerdotũ oſtendit, multamq; purpuram, & coccum, quæ ad uſum repoſita, catapetaſmatis ſeruabantur. Cum quibus aliquantum cinnami erat, caſiæ, pigmentorumq; aliorum multitudo, quibus commixtis deo in dies ſingulos adolebant. Tradita ſunt autem ab eo, & ex alijs opibus multa, & ſacra ornamenta non pauca: quorum gratia, licet ui capto, tranſfugæ tamen data eſt uenia.

De potita reliqua parte ciuitatis. Caput XVI.

IAm uero perfectis aggeribus, Septembris menſis die ſeptimo, qui erat cœpto opere octauus & decimus dies, Romani quidem machinas admouebant. Seditioſorum quidem alij, qui ciuitatem deſperauerant, muris relictis in Acram recedebant, alij autem ſe in cloacas demittebant. Multi autem diſpoſiti ulciſcebantur eos, qui arietes applicarent: hos autem ſuperabãt multitudine ac uirtute Romani: quodq; maximum eſt læti mœſtos atq; iam debiles. Cum autem pars eſſet aliqua muri ſubruta, nonnullæq; turres arietibus pulſatæ ceſſiſſent, ſtatim quidem propugnatores earum diffugiunt: timor autem etiam tyrannos neceſſitate maior inuadit. Nam & priuſquam tranſgrederentur hoſtes, torpore tenebantur, & ad fugiendum ſuſpenſi erant. Videres autem paulo antè ſuperbos, & factis impijs arrogantes, ita tunc humiles eſſe, ac tremere, ut miſeranda eſſet, quanq; in nequiſſimis, tãta mutatio. Conati ſunt quidem ambitu & muro, quo mœnia cingebãtur, inuaſo atq; perrupto, cuſtodes pellere, atq; egredi. Cum uero, quos antea fideles habuerãt, nuſq; uiderẽt, fugiebãt quò quẽq; neceſſitas impuliſſet. Adeuntes aũt alij, cũ totũ ab occidente murũ ſubuerſum eſſe nuntiarẽt, alij ſubijſſe Romanos, ac etiam propinquare ſe querentes, alij etiã uidere hoſtes in turribus affirmarent, metu fallente conſpectũ, in ora proſtrati, pro ſua demẽtia querebantur: ac ueluti ſucciſi neruos, quà fugerẽt hæſitabãt. Vnde & maxime quis, & uirtutem dei perſpexerit contra iniuſtos, & fortunam Romanorum. Tyranni quidem ſemetipſos tuitione priuauere, ac ſponte de turribus deſcendere: unde ui nunq;, ſola uero fame capi poterant. Romani uero, qui tantum in muris infirmioribus laboraſſent, eos quos inſtrumentis non potuiſſent, nunc fortuna cepere. Omnibus enim machinis, tres turres ualidiores erant, de quibus ſuprà memorauimus. Relictis itaq; his, uel (quod eſt uerius) dei nutu in his deprehenſi, cõfeſtim quidem ad uallem Siloam cõfugere. Rurſum autem ubi à metu paululum reſpirauerunt, munitionem qua murus erat accinctus, ex ea parte petiere. Vſi autem infirmiori audacia, quàm neceſſitate (iam enim uires eorum labor, metus, & calamitas fregerat) à cuſtodibus retruduntur, & per diuerſa diſiecti, in cloacis deliteſcunt. Romani uero muris potiti, ſigna in turribus poſuere: & plauſu atq; lætitia uictoriã & cantu celebrabãt, quod principio finẽ belli multo ſenſerãt leuiorem. Deniq; ſine ſanguine murum nacti, nouiſſimum non eſſe credebant: cumq; nullum reluctantem uiderent, pro in certo mirabantur. In anguſtias autem uiarum ſtrictis gladijs fuſi, & quos cepiſſent interficiebãt nullo diſcrimine: domosq; totas, cum omnibus qui eò confugerant, igni tradebant. Multas uero uaſtãtes, quas prædæ cauſa penetraſſent, integras mortuorum familias

& plena

& plena mortuis tecta, quos fames confecerat, offendebant. Ipsum deinde horrentes aspectũ, uacuis manibus egrediebantur. Nec tamen eodẽ modo peremptos miserantes. Non idem aũt circa uiuos patiebantur, sed unũquenq; obuiũ transfigendo, & angusta uiarũ cadaueribus obstruendo, totamq; ciuitatem sanguine diluere, ut plerosq; incensorum cædes extinguerent. Et occidẽtes quidem uespere cessabant, nocte uero crescebat incendiũ. Ardentibus autem Hierosolymis, illuxit dies Septembris mensis octauus ciuitati, tot clades cum obsideretur expertæ, quod bonis, si usa esset, ex quo fuerat condita, inuidenda mansisset: nulla tamen alia re tantis infelicitatibus digna, nisi quod talem progeniem qua subuersa est, edidit. Intro autem Titus ingressus, & alia, & ciuitatis munitiones ac turrium cautes miratus est, quas tyranni per dementiam deseruerant. Conspecta quidem earũ solida altitudine, itemq; magnitudine, subtiliq; lapidum cõpagine singulorum, quantũq; paterẽt uel quantũ erigerẽtur, deo, inquit, planè adiuuante pugnauimus, & deus erat, qui detraxit ab istis munimentis Iudæos. Nã quæ hominum manus, aut quæ machinæ ad istas ualerẽt? Tunc quidem multa eiusmodi cum amicis collocutus est. Quos uero à tyrãnis uinctos in castellis reperit, relaxauit. Cũ aũtẽ alia ciuitatis deleret, muros q; subuerteret, eas turres fortunæ suæ monumentum reliquit: quia eo militante, his potitus fuisset, quæ capi non potuissent. Quia ergo milites interficiendo laborabant, magna adhuc extabat superstitum multitudo, solos quidem armatos Cæsar, & qui manũ opponerent, iubet interfici, reliquam uero multitudinem saluam esse. Illi aũt cum his, quos occidi mandatũ fuerat, etiam senes ac debiles trucidabant: uegetos aũt atq; utiliores coactos in templum, indestinatum mulieribus ambitũ cõduserũt. Custodes aũt his Cæsar apposuit: unũ ex libertis & amicis suis Frontonẽ, qui fortunã quam quisq; meritus esset, decerneret. Ille aũt latrones quidẽ omnes, atq; seditiosos, cũ alius ab alio indicaretur, occidit. Iuuenes aũt lectos, qui procero atq; formoso essent corpore, triumpho seruabat. Ex residua multitudine septẽ & decẽ milia maiores annis, uinctos mittit ad Aegyptũ, operibus deputãdos. Plurimos aũt per prouincias Titus distribuit, in spectaculis ferro & bestijs consumendos. Qui uero infra decimum & sextũ annum ætatis agerẽt, uendidere. Hisdem autẽ diebus, quibus secernebãtur à Frontone, mortui sunt fame duodecim milia, quibus partim odio custodũ non præbebatur cibus, partim quoniã ipsi uictus fastidio tenebantur. Erat autẽ præ multitudine hominum frumenti penuria.

Titus ingreditur urbẽ.

De numero captiuorum & peremptorum. Caput XVII.

ET captiuorum quidem omnium qui toto bello comprehensi sunt, nonagẽta & septem milium comprehensus est numerus. Mortuorum uero per omne tempus obsidionis, decies centena milia. Horum plericq; gentiles fuere, sed non indigenæ. A totis enim regionibus ad azymorum diem festum congregati, bello subito circũfusi sunt: ubi primo quidem illis pestifera lues ex loci angustia nasceretur, deinde citius fames. Quod autem caperet tãtam hominum multitudinem ciuitas, certum erat ex his, qui sub Cestio fuerant enumerati. Is enim tunc uires ciuitatis ac florem Neronis significare cupiẽs, contemnenti nationem

Captiuorũ & peremptorum numerus.

à pōtificibus petīt,ut ſi quo modo poſſent,multitudinem numerarent. Illi aūt, cum dies feſtus adeſſet,qui Paſcha uocatur,quando à nona quidē hora uſq; ad undecimam hoſtias cædunt (ſingula quidem contubernia non pauciorum,quā decem hominum fiunt:ſolum enim epulari non licet:multi etiam uicini cōueniunt)hoſtiarum quidē ducenta & quinquaginta ſex milia & quingentas numerauere. Fiunt autem,ut denos epulatores per ſingulas imputemus,* uicies centena ac ſeptingētena milia,ſancti oēs ac puri:nec eīm leproſis ſiue uitiliginoſis, aut ſemine fluentibus, quos gonoritas uocant,neq; mulieribus menſtruo cruore pollutis, neque alīs inquinatis participare ſacrificia permittebantur:ſed nec alienigenis quidē, niſi qui religionis cauſa ueniſſēt. Magna uero hæc multitudo ab extraneis cōgregabat. Tūc tamē uelut in carcerē tota gens fato cōcluſa eſt,& farta hominibus ciuitas bello obſidebatur. Itaq; ſuperat oēm humanā,& diuinitus emiſſam peſtem numerus peremptorum,quos partim palàm occidēre,partim cepere Rom. Rimātes enim doacas,& ſepulchra eruentes,quos offendiſſent iugulabant. Inuenti ſunt autem ibi quoq; pluſcq; duo milia,quorū alīj manu ſua, plures autem mutuis ſe uulneribus interfecerāt,cum alios fames corrupiſſet. Sæuus aūt corporū odor introeuntibus occurrebat, adeo ut ſtatim multi recederēt: alīj plura habenda cupidine,cōgeſta cadauera calcantes,ſe immergerēt,multæ nāq; opes in cuniculis inueniebāt, nefaſq; oēm uiā lucri faciebat. Subducebātur autē multi,quos tyrāni uinxerant:nec eīm in extremis à crudelitate ceſſauerant. Vnus eſt autem deus utrunq; merito. Et Iohannes quidem oppreſſus fame,cum fratribus in doacis,quam ſæpe deſpexit,à Romanis dexteram ſibi dari precatus eſt. Simon uero multa ui cum neceſſitate luctatus ſicut infra deſignabimus, ſemet tradidit. Seruatus eſt autem alter triumpho, Ioannes autem uinculis ſempiternis. Romani uero extremas oppidi partes incendunt, muroſq; ſubuertunt.

Aliàs uices.

Ioannes & Simon capti

Hieroſolymæ urbis hiſtoria breuis. Caput XVIII.

ITa quidē Hieroſolyma capta eſt,ſecundo anno principatus Veſpaſiani, Septembris mēſis octauo die. Quinquies aūt prius capta,tunc iterū uaſtata eſt. Aegyptiorū quidē rex Aſochæus,& poſt eum Antiochus,deinde Pompeius,& poſt hos tū Herodes & Soſius captū oppidū ſeruauere. Antea uero rex Babyloniorū eo potitus excidit:poſt annos ex quo ædificatū eſt,mille trecētos ſexaginta,& menſes octo,& dies ſex. Primus autem conditor eius fuerat Chananæorū potentiſſimus,qui patria lingua iuſtus appellatus eſt rex. Erat quippe talis. Ideoq; ſacerdotium deo primus exhibuit,& fano primum ædificato, Hieroſolymā ciuitatem uocauit,cum antè Solyma uocaretur. Chananæorū quidē populo rex Iudæorū Leobius pulſo,colēdā ſuo populo tradidit,& quadringēteſimo ſexageſimoquarto āno poſt,ac mēſibus tribus,à Babyloniis euerſa eſt. A rege aūt Leobio,qui primus Iudæus in ea regnauit,uſq; ad id,qd Titus fecit,excidiū,āni mille centum ſeptuagintaquatuor. Ex quo primū aūt condita eſt, uſq; ad excidiū, anni mille centū ſeptuagintaſeptem. Sed enim neq; antiquitas,neq; ingētes diuitiæ,neq; per totū orbē terræ diffuſa notio,nec magna religionis gloria quicquam uit, quo minus periret. Talis quidem finis Hieroſolymorum obſidionis fuit.

Melchiſedec iuſtus rex primus urbis conditor

Quia

Quia uero quos occideret, quidue raperet, nõ habebat exercitus, quod iratis animis omnia deerãt (nec enim parcendo si esset quod agerent, abstinuissent) iubet eos Cæsar totã funditus iam eruere ciuitatẽ ac templum: relictis quidẽ turribus, quæ præter alias eminebãt, Phaselo, & Hippico, & Mariamne: muricꝫ tãto, quanto ciuitatem ab occidente cingebant. Id quidem, ut esset castrũ illis, custodiæ causa relinquendis: turres aũt, ut posteris indicarent qualem ciuitatem, quamue munitissimam, Romanorum uirtus obtinuisset. Alium uero totum ambitum ciuitatis ita complanauere diruentes, ut qui ad eam accessissent, habitatam aliquãdo uix esse crederent. Hic quidem finis eorum dementiæ, qui nouas res mouere tentauerunt, Hierosolymis fuit: clarissimæ ciuitati, & apud omnes homines prædicatissimæ. *Vrbs funditus diruta*

De præmio militum. Caput XIX.

CAesar autem præsidio quidem illic statuit relinquere decimam legionẽ, nõnullasꝫ alas equitum, ac peditum cuneos. Omnibus autem belli partibus administratis, & laudare uniuersum cupiebat exercitũ, pro rebus fortiter gestis, & debita uiris fortibus præmia persoluere. Composito autem in medio ante castra magno tribunali, stans in eo cum procerum eminentissimis, unde ab omni milite posset audiri, magnam illis, ait, habere se gratiam, quod beneuolentia erga se utendo perseuerassent. Laudabat autem, quod per omnia bella morigeri fuissent, quodꝫ præliando fortitudinẽ in multis magnisꝫ periculis monstrassent, patriæ per se amplificãtes imperiũ: omnibusꝫ planũ faciẽtes hominibus, quia neꝫ hostiũ multitudo, neꝫ munitiones regionũ, neꝫ magnitudines ciuitatũ, uel audacia inconsulta, & immanitates efferæ aduersantiũ, possint unquã Romanorũ uires, uel manus effugere, quãuis in multis rebus aliqui fortunã opitulantẽ habuerint. Bonũ quidem esse, ait, illos etiam bello finẽ imponere, quod & multo rẽpore gestũ sit. Nec enim optasse his quicꝫ melius, cũ id ingrederentur. Hoc aũt pulchrius atꝫ prædarius, quod duces Ro. & procuratores imperij, ab his declaratos ac præmissos, in imperium cũcti libẽter suscipiũt. Et his quæ ipsi decreuere, manendũ putant, agẽtes his gratias qui legissent: mirari aũt se eos ac diligere omnes, quia nemo uiribus alacritatẽ habuit tardiorẽ. Et illis tamẽ, qui pro maiore ut clarius decertassent, uitãꝫ suã cõdecorassent fortibus factis, etiã re bene gesta, militiã suã nobiliorẽ fecissent, dixit se & honores & præmia redditurũ: nec ullũ eorũ qui plus alio laborare uoluisset, iusta uicissitudine carituru: magnãꝫ sibi huius rei fore diligẽtiã, quod magis uellet honorare uirtutes eorũ, qui militiæ socij fuissent, quàm punire peccata. Cõfestim ergo iussit eos quorũ partes sunt, indicare, quosnã scirent fortiter aliquid in bello fecisse, & nominatim singulos appellans, præsentes collaudabat, quasi qui domesticis recte gestis nimiũ lætaretur, & coronas eis aureas imponebat, & torques, longasꝫ hastas, & signa ex argẽto facta donabat, & uniuscuiusꝫ ordinẽ mutabat in melius. Quin & ex manubijs aurũ & argentum, itemꝫ uestes, aliamꝫ prædã largiter distribuebat. Omnibus aũt ita donatis, ut quisꝫ se meritum præbuerat, uotisꝫ cum uniuerso exercitu factis, magno fauore descendit, uertitꝫ se ad sacra, pro uictoria celebranda: magnaꝫ astante boũ multitudine circũ aras, immolatos omnes exercitui

citui dedit ad epulas, ipse uero cum honoratis per triduũ lætatus, milites quidẽ alios quo quenq; conueniret, dimittit. Hierosolymorum autem custodiam decimæ legioni credit. Neq; ad Euphratem, qui pridem ibi fuerant, misit, duodecimæ legionis memor, quod Cestio duce Iudæis concesserat, totam quidem illam de Syria pepulit. Erat autem olim apud Taphnæos. Ad Meleten autem, quæ sic uocatur, misit. Hæc ad Euphraten in confinio Armeniæ & Cappadociæ sita est. Duas uero sibi obsequi satis esse duxit, donec ad Aegyptum peruenirent quinta & decima legiones. Deinde cum ad maritimam Cæsaream cum exercitu descendisset, in eam manubiarum multitudinem reposuit, captiuosq; ibi asseruari præcepit, quod ad Italiam nauigare tempus hyemis prohibebat.

De nauigatione Vespasiani, decq; comprehenso Simone & spectaculo die natalitio exhibito. Caput XX.

PEr idem uero tempus, quo Titus Cæsar obsidionis causa apud Hierosolymam commorabatur, ascensa naui oneraria Vespasianus Rhodum transmittit. Hinc autem uectus triremibus, postquam omnes quas præternauigauit ciuitates inuasit, & ab his cum uotis exceptus, in Græciam ex Ionia trãsit. Egressus deinde *cecia in in Iapygiã delatus est, unde iam terra iter agebat. Titus autem ex maritima Cæsarea reuersus, in Cæsareã quæ Philippi uocatur, aduenit, diuq; ibi commorabatur, celebrans omnia genera spectaculorum: multiq; in ea captiui consumpti sunt; alij bestijs obiecti, alij autem cateruatim more hostium inter se depugnare coacti. Hic Simonem etiam minorem Gorgiæ filium comperit, hoc modo comprehensum. Iste Simon, cum Hierosolyma obsideretur, in superiore ciuitate constitutus, postquam muros ingressus fuit exercitus, totam uastare ciuitatem cœperat: tunc fidelissimis amicorum ascitis, & lapidarijs cum ferramentis eorum necessitati congruis, & alimentis quæ multis diebus suffi cere possent, unà cum illis omnibus in aliquam occultiorem cloacam sese demittit, & quoad fossa patebat, illi progrediebantur: ubi uero soliditas obstitisset, eam suffodiebant, sperantes posse ulterius progressos tutò emergere, atq; ita seruari. Sed hanc expectationem ueram non esse, rei periculum refellebat. Vix enim paululum fossores processerant, iamq; alimenta, quãuis parce his uterentur, eos deficiebant. Et nunc igitur uelut stupore posset Romanos fallere, albis tunicis, innexaq; fibula, ac chlamyde purpurea indutus, illo in loco ex terra editus ubi templum antea fuerat apparuit. Ac primo quidem obstupuere qui eum uiderunt, locisq; suis manebant. Deinde propius cum accessissent, qui essent, percontati sunt, & id quidem Simon non dicebat. Iubebat autem ad se ducem uocari: statimq; accersitus ab his qui ad eũ cucurrerãt, uenit Terẽtius Rufus: náq; is rector militiæ relictus erat. Omni aũt ab eo ueritate cõperta, ipsum quidẽ uinctũ custodiebat: Cæsari uero, quemadmodum esset cõprehẽsus, indicauit. Simonẽ quidem in ultionem crudelitatis, qua in ciues suos amare ac tyrannice fuerat usus in potestate hostium, quibus maxime inuisus erat (ita deus posuit) non ui subditum eorum manibus, sed sua sponte ad supplicium adductum, propterea quod plurimos ipse crudeliter interemerat, falsis criminationibus insimula-

Corcyra.

tos,defectionis ſcilicet ad Romanos.Nec enim poteſt iram dei effugere nequi/
tia,nec inualida res eſt iuſticia,ſed quandoq; ſui temeratores ulciſcitur,& grauio
rem pœnã ingerit criminoſis,cũ iam ſe liberatos eſſe crediderint,eo quod nõ ſta/
tim luere commiſſa.Id etiam Simon didicit,poſtquam in iras Romanorum in/
cidit.Illius autem aſcenſus è terra, magnam etiam aliorum ſeditioſorum multi/
tudinem iiſdem diebus fecit in cloacis deprehendi.Cæſari autem maritimã Cæ/
ſaream reuerſo,uinctus Simon oblatus eſt,& illum quidẽ triumpho, quem Ro
mæ acturus erat,ſeruari iuſſit.Ibi autem moratus,fratris ſui natalem diem clariſ
ſime celebrabat,multam partem damnatorum eius honori attribuens. Nume/
rus enim eorum qui cum beſtijs depugnarunt,quiq; ignibus cremati ſunt,& in/
ter ſe digladiatores periere,duo milia quingẽtos exceſſit.Omnia tamen Roma
nis uidebantur hæc,licet mille modis illi conſumerentur,minus eſſe ſupplicij. Po
ſtea Cæſar Berithum uenit(hæc autem eſt ciuitas Phœnices prouinciæ, colonia
Romanorum)& in hac quoq; diutius demoratus eſt,maiore uſus claritudine cir
ca natalem patris diem, tam magnificentia ſpectaculorum, quàm ſumptibus
alijs excogitatis, cum etiam captiuorum multitudo eodem quo antea modo
periret.

De calamitate Iudæorum apud Antiochenſes. Caput xxi.

EVenit autem per idem tempus,Iudæos qui apud Antiochiam reliqui erãt,
acerba & exitioſa pericula perpeti,concitata in eos Antiochenſium ciuitate,
tam propter criminationes illatas eis in præſentia,quàm propter ea quæ fuerant
non multo ante commiſſa.De quibus neceſſarium mihi uidetur pauca prædice/
re,ut etiam quæ poſtea geſta ſunt,conſequenti narratione referamus. Iudæorũ
nãq; gens multũ quidem totius orbis indigenis aſſeminata eſt. Plurimũ autem
Syris in ciuitate permixta,præcipue apud Antiochiam uerſabatur, propter ma
gnitudinem ciuitatis. Maxime uero his liberam domicilij facultatem reges,qui
poſt Antiochum fuerant,præbuerunt. Nanq; Antiochus quidem, qui Epipha
nes dictus eſt, uaſtatis Hieroſolymis templum ſpoliauit. Qui uero poſt eum
regnum aſſecuti ſunt, quicquid æneum in donarijs fuit,hoc Iudæis apud Anti/
ochiam degentibus reddidere,in eorum ſynagoga dedicatum:cõceſſeruntq;, ut
pari cum Græcis iure ciuitatis uterentur.A ſecutis quoq; eodem poſtea regibus
modo tractati, & multitudine profecere & extructione,itemq; magnificẽtia mu
nerum,templum darius reddidere:ſemperq; religione ſibi ſociantes magnam pa
ganorum multitudinẽ,etiã illos quodãmodo ſui partẽ fecere. Quo tempore aũt
bellum fuerat conclamatum,& recens in Syriam Veſpaſianus delatus eſt naui/
gio,Iudæorum uero odium apud omnes pullulabat,tunc unus eorũ Antiochus
quidã,plurimum patris cauſa honorabilis(erat enim princeps apud Antiochiã
Iudæorum)cum Antiochenſiũ populus concionaretur in theatro,progreſſus in
medium, patrem ſuum & cæteros deferebat,inſimulans eos,quod una nocte to
tam ciuitatem incendere ſtatuiſſent,& ueluti geſtorũ participes quoſdam hoſpi/
tes Iudæos tradidit.His aũt auditis,populus irã cohibere nõ poterat,ſed in eos
quidem qui traditi fuerant,ignẽ iuſſit afferri:ſtatimq; omnes in theatro cõcre/
mati ſunt.In multitudinem uero Iudæorũ properabat irruere:ſi eos celeriter ulti

eſſent

eſſent,patriam ſuam ſeruatum iri exiſtimantes. Antiochus autem iracundiã magis accendere, mutato quidem uoluntatis argumento, quodq; Iudæorum mores odiſſet,exhibere ſe credens, ſi paganorum ritu ſacrificaret:idemq; iuſſit & cæteros compelli facere:renuẽdo enim manifeſtos inſidiatores fore. Huius autem rei periculo ab Antiochenſibus facto,pauci quidẽ cõſenſerunt:alij uero qui nolu erunt,perempti ſunt. Antiochus aũt acceptis à Romanorũ duce militibus, ſæuius inſtabat ſuis ciuibus,nequaquam eos die ſeptimo ab opere ceſſare permittẽs, ſed omnia cogens facere,quæ diebus alijs agerẽt. Tamq; ualidam neceſſitatem impoſuit,ut non modo apud Antiochiam ſeptimi diei feriæ ſoluerentur, ſed ab hoc exordio in cæteris quoq; ciuitatibus ad breue ſimiliter tempus fieret. Iudæis aũt,apud Antiochiã qui tunc erant,eiuſmodi mala perpeſſis, altera denuo calamitas accidit:de qua narrare conati,hæc quoq; perſecuti fuimus. Nãq; quodquadratum forum exuri contigit,& archiua monimentorumq; receptacula publicorum, itemq; baſilicas, uixq; ignis inhibitus eſt,ſuper omnem ciuitatem magnanimus uiuens,huius facti Antiochus Iudæos accuſat:& Antiochenſes, quos ſcilicet ſi his infeſti antea non fuiſſent,recenti tamen ex incendio tumultu facile calumniã pepuliſſet, multo magis ex anteactis fidem habere dictis ſuis perſuaſit, ut penè ſe uidiſſe ignem à Iudæis iniici arbitrarentur: & tanq; furore correpti, magno cũ ardore cũcti aduerſus eos qui accuſabãtur, impetũ facerent. Vix aũt motus eorum potuit reprimere Colligas adhuc iuuenis legatus, poſtulans ſibi permitti referre ad Cæſarem geſta. Rectorem nanq; Syriæ Cæſennium Priſcũ iam quidem Veſpaſianus ad eum miſerat,nondum autẽ ille peruenerat. Habita uero diligenti quæſtione Colligas reperit ueritatẽ,& eorum Iudæorum quidẽ quos Antiochus accuſauerat,nemo conſcius fuit. Omne autem facinus admiſere homines quidam nocentiſſimi neceſſitate debitorum: rati quod ſi forum & ſcripta publica concremaſſent,exactione liberarentur. Iudæi quidẽ pro ſuſpectis conſultatione criminationibus futura expectantes,magno timore fluctuabant.

Alia calamitas.

Quomodo Veſpaſianus rediens à Romanis exceptus eſt. Caput XXII.

TItus autem Cæſar à patre ſibi allato nuntio,quod uniuerſis quidẽ Italiæ ciuitatibus deſiderabilis perueniſſet:maxime uero,quod urbs eũ Roma ſummo cum alacritate & claritudine ſuſcepiſſet, in maximã lætitiam uoluntatemq; trãſlatus eſt,curis de eo ita ut ſibi erat ſuauiſſimum liberatus. Veſpaſianũ enim etiã longe abſentem,omnes homines Italiæ uoluptatibus ut præſentẽ colebant expectatione ſua, quod nimis eũ uenire cupiebant, pro eius aduentu ducentes, & omni habentes neceſſitate liberam erga illũ beneuolentiam. Nam & ſenatus memor calamitatũ,quæ mutatione principum contigiſſent,optatum erat imperatorem ſuſcipere,ſenectutis honore, bellicorumq; geſtorũ maturitate decoratum,cuius præſentiam ſciebant ſoli ſaluti ſubiectorum cõmodaturam: quod & populus malis inteſtinis ſolicitus,magis eũ uenire cupiebat: tunc ſe calamitatibus quidẽ pro certo abſoluendum eſſe cõfidens,antiquam uero libertatem cum opulentia recepturũ:præcipue pars militaris ad eũ reſpiciebat. Hi enim maxime bellorũ per illum patratorũ nouerãt magnitudinẽ,imperitiam uero aliorũ ducũ experti atq; ignauiam, magna quidẽ ſe optabãt turpitudine liberari. Eum uero,

qui ſe

qui ſe & ſeruare & honeſtare ſolus poſſet, recipere precabantur. Cum uero hac beneuoleutia diligeretur ab omnibus, honore quidem præcipuis uiris ulterius expectare intolerabile uidebatur, ſed eum longiſſime ab urbe Roma cõuenire antè properabant: Nec tamen quiſquam moras eius conueniẽdi ferebat, ſed ita ſimul omnes effundebantur, & uniuerſis facilius & promptius ire quàm manere uidebatur, ut etiam ciuitas ipſa tunc primum inter ſe iucũdam ſentiret hominum charitatem. Erant autem pauciores abeuntibus remanẽtes. Vbi uero eum appropinquarẽ indicaretur, quamq; manſuete ſingulos ſuſcepiſſet, qui præceſſerãt, nuntiatum eſt, omnis iam reliqua multitudo per uias cum cõiugibus & liberis præſtolabantur: & quò tranſiens adueniſſet, uidendi eius uoluntatem, uultusq; lenitatem omnium generum uocibus proſequebantur, benemeritum & ſalutis datorem, ſolumq; dignum Romanorum principem appellãtes. Tota uero ciuitas ueluti templum erat, ſertis atque odoribus plena. Cum autem uix per circunſtantem multitudinem in palatium uenire poſſet, ipſe quidem penatibus diis aduentus ſui gratulatoria ſacra celebrauit. Vertũt autem ſe ad epulas turbæ, perq; tribus & genera & uicinias conuiuia exercentes, deo libabant, & ab eo precabantur ipſum Veſpaſianum quamplurimum temporis in Romano imperio perſeuerare, & filium eius, & qui ex his naſcerẽtur ſeruari inexpugnabilem principatum. Vrbs quidem Romana Veſpaſiano ita ſuſcepto, ſtatim maxima felicitate creſcebat.

Domiciani geſta cum Germanis & Gallis. Caput XXIII.

ANte hæc uero tempora, quibus Veſpaſianus quidem apud Alexandriam erat, Titus uero Hieroſolymam obſidebat, magna pars Germanorum ad defectionem mota eſt: quibus etiam Gallorum proximi conſpirantes, magnam ſpem contulerant, quod etiam Romanorum dominio liberarentur. Germanos autem deficere uelle, bellumq; inferre, ſuſtulit primo natura bonis cõſilijs uacua, parua ſpe appetens periculorum: deinde odium principum, quoniam ſoli ſciunt præ cæteris gẽtem ſuã ui coactam ſeruire Romanis: necnon equidem maximam tempus eis fidutiam dedit. Nam cum uideret Romanum imperium crebris imperatorum immutationibus inteſtina ſeditione turbari, omnemq; his ſubditam orbis terræ partem pendere ac mutare cognoſcerent, hoc ſibi optimum tempus ex illorum rebus aduerſis atq; diſcordijs oblatum eſſe putauerunt. Id autem conſilium dabant, & hac eos ſpe decipiebant, Claſſicus quidam & Ballis, ex eorum potentiſſimis, qui olim quidem res nouas cupiebant: tempore autem abducti, ſuam ſententiam prodidere: iamq; alacriter affectæ multitudinis periculum facturi erant: uerum maxima parte Germanorum defectione pollicita, & cæteris fortaſſe non diſſentientibus, ueluti quadã diuina prouidentia, Veſpaſianus ad Petilium Cerealem, qui pridem Germaniam rexerat, literas mittit, quibus eum conſulem declarauit: iuſſitq; ad Britãnias adminiſtrandas proficiſci. Igitur ille quod iuſſus erat abijciens, audita rebellione Germanorum, in eos iam congregatos inuadit ordinata acie, magnum in conflictu numerum peremit, depoſitaq; amentia ad ſobrietatem coëgit. Sed quàm cito illi ad loca peruenirent, tunc aut multo poſt erant ſupplicio luituri. Nam ut primum defectionis eorum nuntius allatus eſt Romam, Domitianus Cæſar, hoc audito non ſicut alter in illa ætate feciſſet

Claſſicus & Ballis duces Germanorũ.

(nam omnino adulescens erat)tantam rei magnitudinem susciperè non detrecta uit:sed à patre habens ingenitam fortitudinem, & supra ætatem exercitatus,ilico tendebat in Barbaros. Illi autem expeditionis fama perculsi,ei se permiserunt:lucrum hoc existimare maximum nacti, ut sine ulla dade pristino iugo subiicerentur. Omnibus ergo circa Galliam ut oportuit ordinatis, ne facile rursus unquam turbarentur. Domitianus clarus atq; insignis, ætatem superantibus factis, & patrium decus afferentibus, Romam regreditur. Cum supradicta uero Germanorum defectione,hisdem diebus etiam Scytharum conuenit audacia. Nam qui appellantur Sarmatæ,maxima multitudo dàm transgressi flumen Istrum,uiolenti atque sæuissimi, propter inopinatum impetum, multos quidem Romanorum, quos in præsidijs offendère,interficiũt. Et cõsularem uirum seniorem Pompeium Aggrippam,qui fortiter his obuius pugnauerat, occidunt: proximasq; regiones totas feriendo atq; diruendo,omnia quæ incendissent peruagabantur. Vespasianus autem hoc facto,& uastitate Mœsiæ cognita,Rubrium Gallum dirigit, pœnas his impositurum,à quo multi quidem in prælijs trucidati sunt. Qui uero salui esse potuere,cum timore domum refugère. Hoc autem bello magister militum diffinito,etiam futuri temporis cautioni cõsulit. Pluribus enim & maioribus præsidijs loca circumdedit, ut omnino Barbaris esset impossibilis trãsitus. In Mœsia quidem bellum ea celeritate discretum est.

Pompeius Agrippa occisus.

De amne sabbatico & triũpho Vespasiani ac Titi celeberrimo. Cap. XXIIII.

PRinceps uero Titus aliquandiu quidem Berithi commorabatur, ita ut diximus. Inde autẽ reuersus, & per omnes,quas obiret, Syriæ ciuitates magnificentissima celebrans spectacula, Iudæorum captiuis ad ostentationem dadis eorum abutebatur. Conspicit autem in itinere fluuium cognitione dignissimum. Is fluit medius inter Arcas & Raphaneas Agrippæ regni ciuitates. Habet autem quoddã peculiare miraculũ. Nã cũ sit quando fluit plurimus,neq; meatu segnis, tamen interpositis sex diebus à fontibus deficiens, siccum exhibet locum uidere. Deinde quasi nulla mutatione facta,septimo die similis exoritur,atq; hunc ordinem semper eum obseruare pro certo compertum est. Vnde etiam Sabbaticus appellatus est,à sacro Iudæorum septimo die sic nominatus. Ciuitatis autẽ Antiochensium populus, quoniam Titum aduentare cognouit,manere quidẽ intra mœnia præ gaudio non patiebatur. Omnes autem obuiam ei pergere properabant,usque ad tricesimum uel eo amplius stadium progressi,non modo uiri,sed etiam fœminæ cum pueris expectabant. Et cum appropinquantem uidissent, ex utroq; uiæ latere stantes dextras cum salutatione tendebant: multisq; fauoribus exultantes,cum ipso reuertebantur. Crebro autem inter omnes alias laudes precabantur, ut Iudæos expelleret ciuitate. Titus quidem nihil precibus istis indulsit, sed otiose quæ dicebantur audiebat. Incerti autem quid sentiret, quidue facturus esset, Iudæi magno & atroci metu tenebantur. Nec enim commoratus est Antiochiæ Titus,sed continuo ad Zeugma Euphratem uersus iter cõtendit. Quò missi etiam ab rege Parthorum uenere,auream ei ferentes coronam, quod Iudæos uicisset. Eaq; susceptа etiam conuiuium exhibuit regijs,atq; ita Antiochiam remeauit. Curia uero & populo Antiochensi multũ petentibus,ut in theatrum ueniret,

Munera Tito à Parthis missa.

ubi

ubi omnis eum multitudo præstolabatur, humanissime paruit. Rursus autẽ fortiter ijsdem instantibus, & crebro postulantibus expelli ciuitate Iudæos, ingeniose respondit, patriam eorum dicens quò expellendi fuerant interijsse, nullumq; iam esse locum qui eos reciperet. Vnde ad aliam petitionem sese conuertunt Antiochenses, quod priorem impetrare non potuerunt. Aeneas enim tabulas eum precabantur eximere, quibus incisa essent priuilegia Iudæorũ. Sed ne id quidem Titus adnuit: uerum in eodem statu relictis omnibus, quæ habebant apud Antiochiam Iudæi, ad Aegyptum inde discessit. Iter autem agendo cum ad Hierosolymam uenisset, tristemq; solitudinem, quam uidebat, antiquæ ciuitatis claritudini compararet, disiectorum operum magnitudinem & ueterem pulchritudinem recordatus, miserabatur excidium ciuitatis, non sicut alius feciſſet exultans, quod talem & tam funditus excidisset, uerum multa imprecans seditionis auctoribus, & qui hanc pœnam ei inferri coëgere: ita certus erat, quod nunquam uirtutem suam uoluisset punitorum calamitate claresce re. Ex magnis enim diuitijs, non minima pars in ruinis adhuc inueniebatur. Quædam enim eruebant Romani, plura uero captiuis indicantibus auferebant, aurum atq; argentum, aliaq; instrumenta precios issima, quæ domini propter incertam belli fortunam terræ condidere. Titus autem propositum iter ad Aegyptum tendens, emensa uelociter solitudine, peruenit Alexandriam: decretoq; ad Italiam nauigare, cum se duæ legiones comitarentur, utranq; unde uenerant, remisit: quintam quidem in Mœsiam, quintam uero decimam in Pannoniam. Captiuorum autem duces Simonem & Ioannem, & alios numero septingentos uiros electos, tam magnitudine corporum quàm pulchritudine præstantes, ilico ad Italiam portare præcepit, cupiens eos triumpho præterducere. Peracta uero nauigatione pro uoto, similiter quidem Roma in eo suscipiendo erat affecta, & excursus exhibuit ei quos patri. Claritudinem uero Tito pater attulit, qui uenit obuiam, eumq; suscepit. Multitudini autẽ ciuium diuinam quãdam lætitiam suggerebat, quod uidebat in unum tres conuenisse. Non multis autem diebus post, unum communem triumphum ob res gestas agere statuêre, quamuis utrisque senatus proprium decreuisset. Prædicto autẽ die, quo futura erat pompa uictoriæ, nemo ex tã infinita ciuitatis multitudine domi remansit. Omnes autem cum exissent, loca ubi tantũ stare possent præuenerant, quantus spectandis imperatoribus modus sufficeret, concesso necessario transitu. Cuncta uero parte militari ante lucem per turmas atq; ordines progressa, cum rectoribus suis, & circa ostia constituta non palatij superioris, sed prope Isidis templum (ibi enim principes nocte illa quiescebant) prima iam aurora incipiente procedunt Vespasianus & Titus, lauro quidem coronati, amicti uero patria ueste purpurea: & ad Octauianas ambulationes transeunt (ibi enim senatus, & ducum proceres, & honorati equites, eorum præstolabãtur aduẽtum) tribunal autẽ ante porticus factum erat, sellæq; eburneæ in eo præparatæ. Quò cum ascendissent, consederunt. Statimq; partis eos militaris fauor excepit, multis uirtutum testimonijs prædicans. Illi autem inermes erant, in ueste serica laureis coronati. Perceptis autẽ laudibus eorum Vespasianus cum dicere adhuc uellent, silentij signum dedit. Magnaq; omniũ quiete facta, surrexit, & amictu magnam

Captiui missi Romam, Titus triũphans cum patre Romam ingredi tur.

partem capitis adopertus,ſolennia uota celebrauit:idemq; Titus fecit. Perfectis autem uotis, Veſpaſianus in commune omnes breuiter allocutus eſt. Milites quidem ad prandium,quod his ex more ab imperatore parari ſolet,dimittit. Ipſe uero ad portam recedit, quæ ab eo quod per illam ſemper triumphorum pompa ducitur, nomen accepit. Ibi & cibum prius capiebant, & triumphalibus ueſtibus amicti,diis ad portam collocatis,cæſa hoſtia, inter ſpectacula tranſeuntes,triumphum ducebant, ut multitudini facilior præberetur aſpectus. Pro merito autem narrari multitudo illorum ſpectaculorum & magnificentia non poteſt,in omnibus quæ quiſq; cogitauerit, uel artium factis, uel diuitiarum opibus, uel naturæ nouitate, Nam penè quæcunque hominibus qui uſquam ſunt fortunatis, paulatim quæſita ſunt,aliis alia mirabilia atq; magnifica, hæc uniuerſa illa die Romani imperij magnitudinem probauere. Etenim argenti auriq;, necnon eboris, in omni genere ſpecierum ſiue operum multitudinem, non ut in pompa ferre cerneres,ſed ſi quis dixerit omnia fluere, & alias quidem ueſtes ex rariſſimis generibus purpuræ portari,alias diligentiſſima pictura uariatas arte Babylonia: gemmæ autem dariſſimæ,& tam multæ aliæ coronis aureis,aliæ ſpeciebus, aliæ fortunæ induſæ traductæ ſunt: ut appareret fruſtra nos eorum uſquam uerum eſſe aliquid ſuſpicari. Ferebantur ſimulacrorum ſigilla:quæ illi deos habebant,& magnitudine mirabili,& arte non defunctorie facta. Horumq; nihil nõ ex pretioſa materia. Quin & animalium diuerſa genera producebantur,propriis ornamentis induta. Erant autem quæ etiam ſingula portaret magna hominum multitudo,purpureis ueſtibus atq; inauratis ornata. Ipſi etiam qui ad pompam fuerant ab alia turba diſcreti,præcipua & mirabili ornamentorum magnificentia culti erant. Inſuper his,ne captiuorum quidem uulgus inornatum uideres, ſed uarietas & pulchritudo ueſtium natam ex fatigatione corporum deformitatem, oculis ſubtrahebat. Maxime autẽ ſtupor erat machinarum,quæ portabantur:ſiue pegmatum fabricatio,pro cuius magnitudine timendum uiribus portantium occurrentes putabant. Multa enim in tertium nidum quartumq; ſurgebant:& magnificentia fabricæ cum admiratione delectabat:multisq; aurata ueſte circũdatis, cum aurum præterea factum atq; ebur omnibus eſſet affixum. Multis autem imitationibus bellum aliter in alia diuiſum,certam ſui faciem demonſtrabat. Erat enim cernere uaſtari quidem fortunatiſſimã terrã,totas uero interfici acies hoſtiũ,& alios fugere,alios captiuos duci,muroſq; excellẽtes magnitudine machinis dirui,& caſtellorum excindi munimina, & populoſarũ ciuitatum mœnia diſturbari,exercitumq; intra muros infundi,cædisq; omnia loca plena,& eorũ qui manu reſiſtere nõ poterant preces,ignemq; templis immiſſum,ædiumq; ſuper dominos, & poſt multam uaſtationem euerſionis atq; omnis triſtitiæ defluentis,nõ in arua culta, neq; ad hominum uel pecorum potum,ſed per terram ex omni parte flagrãtem. Hæc enim Iudæi bello paſſuros eſſe ipſi experti ſunt. Ars autem & confectorum operum magnitudo,neſcientibus adhuc fieri tanquam præſentibus oſtẽdebant. Erat autem per ſingula pegmata captæ ciuitatis dux, ita ut captus fuerat, ordinatus.

Spolia. Multæ autem naues ſequebantur:ſpolia uero alia,alia quidem paſſim ferebãtur. Eminebant autem duces eorum, quæ apud Hieroſolymam in templo reperta

ſunt.

ſunt,menſa aurea ponderis talenti magni,& candelabrum quidem ſimiliter auro factum,ſed opere commutato abuſus noſtra cõſuetudine.Nam media quidem columna baſi hærebat,tenues autem ab eo cannulæ producebantur, formatæ ad ſimilitudinem fuſcinæ,& ſummum cuiuſq; in lychni ſpeciem fabricatæ.Erant autem numero ſeptem,ſeptimi diei,qui apud Iudæos eſt,indicãtes honorem. Poſt hæc autem portabatur lex Iudæorum,nouiſſima ſpoliorum. Deinde tranſibant plurimi uictoriæ ſimulacra portantes:omnia ex auro & ex ebore facta:Poſt quæ Veſpaſianus prior ibat:& Titus deinde ſequebatur. Domitianus autem adequitabat,ipſe quoque ornatus pulchritudine, dignumq; ſpectari exhibens equum. Pompæ autem finis fuit Capitolini Iouis templum.Quò poſtquam uentum eſt, conſtitere. Erat autem uetus mos patrius operiri, donec ducis hoſtium mortem quiſpiã nũtiaret.Is erat Simon Gioræ, tunc inter captiuos in pompa traductus: laqueo uero circundatus per publicum trahebatur, quo eum ſimul cæderent qui ducebant. Lex autem Romanis eſt, ibi necare criminum reos morte damnatos. Poſtquam igitur eum finem uitæ habere nũtiatum eſt,omniumq; fauor ſecutus eſt,tunc hoſtias inchoauere.Hiſq; omnino peractis,ſecũdo per uota ſolennia in palatium receſſere.Et alios quidem epulis ipſi excepere,alijs autem omnibus domi conuiuiorum inſtructi erant apparatus. Hũc enim diem urbs Romana celebrat uictoriæ quidẽ in hoſtes gratulatoriũ,finem uero malorum ciuilium,& ſpei bonæ pro felicitate principum.Poſt triumphos uero,& Romani imperij firmiſſimum ſtatum, Veſpaſianus Paci templum ædificari decreuit.Itaq; mira celeritate, & quæ hominum cogitationem ſuperaret,effectum eſt.Magna enim diuitiarum largitate uſus,inſuper perfectis id picturæ ac figmentorum operibus exornauit. Omnia nanq; in illud fanum collecta ac depoſita ſunt,quorum uiſendorum ſtudio per totum orbem, qui ante nos fuerunt, uagabantur: quomodo aliud apud alios ſitum eſſet, uidere cupientes.Hic autem repoſuit etiam quæ Iudæorum fuerant inſtrumẽta,his ſe magnifice ferens.Legem uero eorum, & penetralium uela purpurea in palatio condita ſeruari præcepit.

Simon Gioræ occiſus.

Templum pacis à Veſpaſiano conſtructum.

Herodium & Macherus à Baſſo capta. Caput XXV.

IN Iudæam uero legatus miſſus Lucilius Baſſus,ſuſcepto à Cereali Vitelliano militum magiſtro, caſtellum quidem Herodion ab incolentibus ſibi ſociauit. Poſt autem omni manu militari collecta,multi autem in partes diuiſi erant,& legione decima bellum inferre Macheruntijs ſtatuit. Valde enim neceſſarium uidebatur id excindi caſtellũ,ne multos ſui munimine ad defectionẽ inuitaret. Nam & ſalutis ſpem habitatoribus certam, & aggrediẽtibus hæſitationem atq; formidinem, natura loci præſtare maxime poterat.Nam ipſum quidem, quod muro cinctum eſt,ſaxoſus eſt collis,in proceram altitudinem ſurgẽs, & ob hoc etiã capi difficilis uidetur:ſed ne uel accedi poſſe eò natura excogitarat, quæ uallibus eum ex omni parte uallauerat; quarum altitudo oculis comprehendi non poſſet, nec tranſire erat facile,nec aggeſtu ulla ratione compleri poſſibile. Nã ea quæ ab occidẽte ſita erat uallis,ſexaginta ſtadijs diſtẽditur,unde Aſphaltites lacus ei limitem facit.Ex hoc uero tractu ipſe Macherus altiſſimo uertice ſupereminet. A ſeptentrione autẽ & meridie,ualles magnitudine quidem ſupradicta cingũtur, ſimiliter

Herodij ſitus & munitio.

Macherus.

uero ſunt inextricabiles. Ad conatum uero eius uallis quæ ab oriente eſt, altitudo non minor centū cubitis inuenitur. Monte uero ex aduerſo Machærūti poſito terminatur. Ea loci natura perſpecta, rex Alexander primitus in eo caſtellū communiuit, quod poſtea Gabinius bello cū Ariſtobulo geſto depoſuit. Herodi autem regnanti, omnibus locis dignior cura uiſa eſt, & conſtructione tutiſſima, propter Arabum præcipue uicinitatē. Nanq; opportune ſitus eſt, eorū fines proſpectans. Magno ergo locū muro amplexus ac turribus, ciuitatem illic fecit incolis, unde in arcem ipſam ferebant aſcenſum. Quin & circa ipſum uerticem rurſus murū ædifi cauerat, turresq; in angulis centū ſexaginta cubitis erexerat. In medio autem ambitu regiam ſtruxerat, magnitudine ſimul habitationum & pulchritudine locuple tem. Multas uero ciſternas recipiendis aquis abundeq; ſuppeditātibus, locis ma xime idoneis fecerat, ueluti cū natura certaret: ut quod illa ſitu loci inexpugnabile fecerat, ipſe manu inſtructis munitionibus ſuperaret. Inſuper enim & ſagittarum multitudinem machinarumq; repoſuit: & omnem apparatū excogitauit, qui habitatoribus poſſet magnæ obſidionis præſtare cōtemptū. Erat autē in ipſa regia ruta mirabilis magnitudinis: nullo enim caryœ uel celſitudine uel magnitudine uincebatur. Ferebāt autem eam ex Herodis temporibus perſeueraſſe: māſiſſetq; ulterius profecto, ſed ab Iudæis qui locū ceperāt, exciſa eſt. Vallis autem, qua ciuitas à parte ſeptētrionali cingitur, quidam locus * Babras appellabatur, ubi radix eodem nomine gignitur, quæ flammæ quidem aſſimilis eſt colore, circa ueſperam uero ueluti iubare fulgurās: accedētibus eamq; euellere cupientibus facilis nō eſt: ſed tamdiu refugit, nec prius manet, cūq; ſi quis urinā muliebrem uel mēſtruum ſanguinem ſuper eam fuderit. Quinetiā tunc ſiquis eam tetigerit, mors certa eſt, niſi forte illam ipſam radicem ferat de manu pendētem. Capitur autē alio quoq; modo ſine periculo, qui talis eſt: Totā eam circumfodiunt, ita ut minimum ex radice terra ſit cōditum. Deinde ab ea religant canem, illoq; ſequi eū à quo religatus eſt cupiente, radix quidē facile euellitur: canis uero cōtinuo moritur, tāquam eius uice à quo herba tollenda erat, traditus. Nullus enim poſtea accipientibus metus eſt. Tantis autē periculis propter unam uim capi eā operæpretiū eſt. Nanq; uocātur dæmonia peſſimorum hominum ſpiritus, uiuis immerſa, eosq; necantia, quibus ſubuentum nō fuerit: hæc cito, etiā ſi tantū modo auferatur ægrotantibus, abigit. Fluunt autē ex eo loco aquarum fontes etiā calidarum, multum inter ſe ſapore diuerſi. Alij nanq; amari ſunt, alijs nihil dulcedinis deeſt. Multi autē frigidæ aquæ ortus, nō ſolū in humilioribus locis fontes alternos habēt: ſed quod amplius quis miretur in proximo. Etenim quædā ſpelunca cernitur, nō quidem alte caua, ſaxo autē imminēte protecta: ſuper hoc ueluti duæ mammæ inter ſe paululū diſtātes: & altera quidē frigidiſſimum fontem, altera calidiſſimum fundit. Qui mixti lauacrum ſuauiſſimum præbent, multisq; morbis ac uitijs ſalutare: maxime uero neruorum curationi cōueniēs: Habetq; idē locus metalla ſulfuris & aluminis. Baſſus autem cōtemplatus undiq; regionē ualle orientali repletā, expugnatione aggredi ſtatuit, opusq; inchoauit, properās aggerem quamplurimū extollere, facilemq; per eū obſidionem facere. Qui uero intus fuerāt deprehenſi, ab externis ſegregati Iudæi, illos quidem coēgere, inane uulgus eſſe exiſtimātes, inferiorem obſeruare

Alibi Debir.

ciuitatem,

ciuitatem,ac pericula priores excipere: ſuperius uero caſtellum ipſi occupatum tenebant,& propter munitionis firmitatem,& ut ſaluti ſuæ conſulerent. Impetraturos enim ſe ueniam opinabãtur,ſi locum tradidiſſent Romanis. Prius autẽ ſpem uolebant experiendo obſidionis dedinandæ conuincere, ideoq; alacri animo in dies ſingulos excurſus habebant, & cum his quos ſors obtuliſſet conſertis manibus,multi quidem moriebantur,multosq; Romanos interficiebant: ſemper autem utriuſq; plus ex tempore uictoriæ captabatur: Iudæis quidem,ſi incautiores aggrederentur:in aggere autem poſitis,ſi improuiſum excurſum eorum bene ſepti armis excíperent. Sed nõ is erat finis obſidionis futurus. Res autem quædam fortuito geſta,inopinatam caſtelli tradẽdi neceſſitatem Iudæis impoſuerat. Inter obſeſſos iuuenis & audacia ferox eſt,& manu ſtrenuus,Eleazarus nomine,is autem fuerat,& incurſibus nobilis, multos aggredi aggreſſumq; prohibere obſeruans, etiam in prælijs ſemper grauiterq; Romanos afficiẽs, audaciaq; ſua ſocios proſequens:impetum quidem facilem his, periculo autem uacuum diſceſſum effi ciebat nouiſſimus recedendo. Itaque diſcreto quodam die pugna progreſſa ex utraq; parte, ipſe tanquam deſpiciens omnes,exiſtimãs neminem tunc hoſtium prælium excepturum, extra portam remanſit, & in muro ſtantes alloquebatur, tota tamen mente illos attẽdens. Hanc autem opportunitatem uidit quidam ex caſtris Romanorum Aegyptius, nomine Rufus:& quod nemo ſperaſſet,impetu facto cum ipſis eum armis repente correptum, cum hoc uiſo ſtantes in muro ſtupor teneret,in caſtra Romanorum traduxit. Poſtquam uero dux nudum præcepit extendi,& in aperto conſtitutum,ut ex ciuitate conſpiceretur, cædi uerberibus uehementer,Iudæos cõfudit caſus aduleſcentis,uniuerſaq; ciuitas in fletu erat, & queſtibus, unius uiri clade perculſa. Id ubi Baſſus animaduertit,conſiliorũ aduerſus hoſtes hoc principium ſumpſit:eorumq; miſerationem augere cupiens, quatenus coacti pro eius ſalute caſtelli traditionẽ facerẽt, quod ſperauit adeptus eſt. Nam ipſe quidem, uelut mox Eleazarum ſuſpenſurus,crucem defigi iuſſit. Ea uero conſpecta,maior caſtellanos dolor inuaſit,& ululando querebantur, intolerabilem eſſe calamitatem uociferantes. Tunc igitur Eleazarus eos orabat, ne uel ſe deſpicerent, mortem miſerrimam ſe ſubiturum, ſibiq; ipſis ſalutem præberent, poſtquam iam ſubacti omnes Romanorum uiribus ac fortunæ conciderent. Illi autem & eius ſermone fracti,& quod multi intus pro eo precabantur(ex magna enim & populoſa propinquitate genus ducebat)& contra ingenium ſuum miſericordia uicti ſunt:& quibuſdam celeriter miſſis colloquebãtur,caſtelli traditionem facere petentes,ac reddito ſibi Eleazaro,ſine metu dimitti. Cum autẽ his aſſenſus eſſet dux Romanorũ, multitudo ciuitatis inferioris, inita ſeparatim cum Iudæis cognita pactione,ipſi dàm nocte aufugere ſtatuêre. Cũ uero portas aperuiſſent, ab his qui deditionem promiſerant,ad Baſſum nuntius uenit,ſiue inuidia ſalutis eorum,ſiue formidine,ne eorum fugæ cauſas ipſi præſtarent. Sed fortiſſimi quidem fugientium,qui præceſſerant,euaſere. Reliquorum autem,uiri quidem mille ſeptingenti perempti ſunt,mulierculæ uero & pueri in ſeruitium ducti. Sponſiones autem cum his qui caſtellum dedidere habitas, Baſſus conſeruandas eſſe ratus,& ipſos dimiſit,& Eleazarum reddidit.

Tormẽta Eleazari fuere cauſa deditionis.

De Iudæis à Baſſo interemptis & Iudæa diuendita. Caput XXVI.

HIs autem adminiſtratis, in ſaltum, qui appellatur Iardes, ducere properabat exercitum. Multi enim illuc congregati eſſe nuntiabantur, qui pridem tempore obſidionis, ex Hieroſolymis & Macherunte profugerant. Ergo cum ad locum ueniſſet, neq; falſum fuiſſe nũtium reperiſſet, primo quidem omnem locum cum equitibus cingit: ut ſi quis Iudæorum conatus fuiſſet euadere, fugiendi per equites copiam non haberet. Pedites autem ſyluam iuſſit cædere, ne inde confugerent. Hoc modo ad neceſſitatem adducti ſunt fortiter aliquid faciẽdi, uelut ex audaci certamine fortaſſe fugam etiã reperirẽt. Itaq; ſimul uniuerſi, & cum clamore impetu facto, in eos à quibus cincti fuerãt, irruunt. Illi autem fortiter excipiebãt: multaq; his audacia illis cõtentione uſis, diu quidem prælium tractum eſt. Non autem ſimilis euenit finis pugnæ certantibus. Nam Romanorũ quidẽ duodecim tantum contigit occumbere, neq; multos ſauciari: Iudæorum uero ex illo prælio nullus euaſit. Sed cum nõ eſſent pauciores tribus milibus, proſtrati ſunt omnes: Eorumq; dux Iudas Gioræ filius, de quo ſupra meminimus, quod ordini cuidã fuit præpoſitus cum Hieroſolyma obſideretur, quibus demerſus fuerat doacis, latenter effugit. Eodem uero tempore Cæſar etiam ad Liberium Maximum ſcripſit (erat autem procurator) ut omnem terram uenderet Iudæorum. (Nec enim ciuitatem in ea condidit) propria ſeruans & patriam ſuam. Solis uero octingentis militibus illic relictis, locum dedit quem incolerent, qui uocatur Maſſada. Diſtat autem ab Hieroſolymis triginta ſtadijs. Stipẽdium uero ubicunq; degerent Iudæis indixit: binasq; dragmas ſingulis annis deferre in Capitolium iuſſit, ita ut ante hæc Hieroſolymorum templo pendebant. Et res quidem Iudæorum illo tempore hunc ſtatum habebant.

De clade Antiochi regis & eruptione Alanorũ in Armeniam. Cap. XXVII.

IAm uero quarto anno, Veſpaſiano adminiſtrante imperium, contigit Comagenes regem Antiochum in maximas dades cum tota domo incurrere, ex cauſa huiuſmodi. Ceſennius Petus, qui tunc Syriam adminiſtrabat, ſiue re uera, ſeu propter inimicitias Antiochi (certum non ualde patefactum eſt) literas ad Cæſarem miſit, Antiochum dicẽs deficere ab Romanis cum Epiphane filio decreuiſſe, pactis habitis cũ rege Parthorum, propterea q; debere illos antecapere: ne ſi prius res nouas res adorti eſſent, totũ Romanorum imperiũ bello perturbarent. Non erat autẽ Cæſar huiuſmodi nũtium ad ſe perlatũ neglecturus. Nã uicinitas regũ, maiore negotiũ prouidẽtia dignũ eſſe faciebat. Samoſata eñ Comagenes maxima ciuitas iuxta Euphratẽ ſita eſt, ut eſſet Parthis (eo nanq; id cogitauere) facillimus trãſitus, tutũ autẽ receptaculũ. Fide igitur habita, & poteſtate ſibi permiſſa, ut ageret quod expedire uideretur, negligendũ nõ putauit. Subito tamen, Antiocho eiusq; ſocijs nihil opinãtibus, in Comagenẽ ingreſſus eſt, ex legionibus quidem ſextã ducens, & inſuper quoſdã cuneos, alasq; equitum. Habebat autẽ auxilio reges terræ quidẽ, quæ Chaldaica uocatur, Ariſtobulũ, eiusq; fratrẽ Maſadamum. Introitus autẽ illis ſine certamine, quod nemo indigenarũ manus ualebat opponere. Antiochus enim inſperato perculſus nũtio, bellum quidẽ cõtra Romanos ne cogitatione cõcepit. Decreuit autẽ, toto regno in eo quo erat tractu relicto,

cum

cum coniuge ac liberis egredi. Hoc se Romanis purum ab ea suspitione, quæ sibi ingereretur, probaturum esse ratus. Progressusq; de ciuitate, centum triginta propemodum stadijs, in campo tabernaculum ponit. Petus autem in Samosatam qui eam capesserent, mittit, & per eos ciuitatem tenebat. Ipse uero cum alio milite in Antiochum ire tendebat. Non tamen rex uel ipsa necessitate adductus est, aduersum Romanos aliquid belli congerere. Sed fortunam suã questus, quiduis pati sustinebat. Adulescentibus autem, belliq; peritis, uiq; corporis præstantibus filijs eius, non erat facile in calamitate sine pugna durare. Itaque ad uirtutem se conferunt Epiphanes & Callennicus. Vehementi autem pugna per totam diem habita, insigni fortitudine demonstrati sunt: nullaq; parte suarum uirium diminuta discedunt. Antiocho uero, neq; pugna hoc modo peracta, manere domi tolerabile uidebatur: sed abducta coniuge cum filiabus, in Ciliciam fugit, atq; hoc facto militum suorum animos fregit. Nam ueluti desperato ab eo regno defecere, & ad Romanos se transtulere, omniumq; erat desperatio. Ergo priusquam penitus destituerentur auxilijs, Epiphani cum cæteris seruare se ex hostibus erat necessarium. Fiuntq; omnes equites decem, qui cum his unà trãsgressi sunt flumen Euphratem: hinc iam sine metu profecti, cum ad Bologesem Parthorum regem uenissent, non quasi fugitiui despecti sunt: sed adhuc fortunam pristinam retinentes, omni honore dignati sunt. Antiochum uero, ubi Tarsum Ciliciæ uenit, misso hecatontarcho Petus uinctum Romam transmisit. Vespasianus autẽ ita regem ad se deduci non passus est: dignius esse ratus, ueteris amicitiæ habere rationem, quàm belli occasione inexorabilem iracundiã obseruare. Itaq; iubet ei iter agenti auferre uincula, intermissaq; interim profectione Romã, apud Lacedæmoniam degere: magnos uero ei pecuniæ redditus præbet, ut nõ modo copiose sed etiam regie uictum haberet. His Epiphanes & cæteri cognitis, qui patri antè metuebãt, magna cura & inextricabili animos relaxarunt, & ipsi quoque spem reconciliandi cum Cæsare concepere. Cum autem etiam Bologeses de his scripsisset ad Cæsarem (nec enim quamuis feliciter agerent: extra Romanum uiuere patiebantur imperium:) & cum Cæsar his mansuete facultatem dedisset, Romam uenerunt. Patre autem ad eos ex Lacedæmone statim aduecto, cum omni honore is haberetur, ibi mansere. Alanorum autem natio, quod quidem Scythæ sunt, iuxta flumen Tanain & Mæotides paludes sedes habentes, iam quodam loco memorauimus. His uero temporibus inito consilio, ut terram Mediam, & ulterius prædandi causa peruaderent, cum rege Hyrcanorum colloquuntur. Nanque is est illius transitus dominus: quem rex Alexãder ita fecerat, ut portis ferreis clauderetur. Aditu autem sibi præbito, uniuersi nihil suspicantibus Medis incumbunt: eorumq; fines populosos, omnigenumq; pecorum plenos, diripiebant, cum resistere nullus auderet. Nam qui regnum eius terræ obtinebat Pacorus, metu perculsus, in difficiliora loca refugiens, cæteris quidem bonis omnibus cesserat: uix autem ab illis coniugem ac concubinas suas captas, datis centum talentis redemerat. Summa ergo facultate sine pugna prædabundi, & usq; ad Armeniam uastantes omnia processere. Eius autem Tyridates rex erat. Qui cum his obuius bello conflixisset, non multum abfuit, quo uiuus in illa acie caperetur.

Fuga Antiochi.

Antiochus uictus mittitur Romam.

Clementia Vespasiani.

Alanorum in Mediam eruptio.

Pacorus.

Procul

Procul enim quidam missō eum laqueo circūdatum tracturus fuerat, nisi celeriter gladio rupisset laqueum, atq; ita fugisset. Illi autem pugna multo magis efferati, terram quidem depopulati sunt: magnā uero hominum multitudinem, aliamq; ducentes prædam ex utroq; regno, ad sua domicilia rediere.

Excidium Massadæ castelli munitissimi. Caput XXVIII.

APud Iudæam uero mortuo Basso, Flauius Syluius in administratione succedit. Et aliam quidem terram bello subactam uidens, unum autem adhuc rebelle superesse castellum, omni quæ in illis locis habebatur manu collecta, aduersus id militem mouit. Nomen est autem castello Massada. Princeps uero sicariorum, à quibus fuerat occupatum, erat uir præpotens Eleazarus, ex origine Iudæ, qui nō paucis Iudæis persuaserat, ut ante diximus, ne professionem facerent, quando censor Cyrenius in Iudæam directus est. Tunc enim se sicarios uocare, qui Romanis dicto audientes esse nollent: omniq; modo his quasi hostibus utebantur, diripiendo quidem, & circumagendo eorum bona, ignem uero domibus iniiciēdo. Nihil enim illos ab alienigenis differre dicebant, qui pugna etiam petendam Iudæorum libertatem, tanta ignauia perdidissent: magisq; se optare, si Romanis seruitium spopondissent. Erat autem id planè causatio & crudelitas, atque auaritiæ dicebatur obtentu: manifeste autem rebus effectum est. Nam ijdem illi & defectionis socij fuerunt, & bellum cum Romanis communiter susceperē. Causa uero peior illorū in eos facta est: & cum mētita prior eorum refellere tur occasio, peius tractabant eos, qui nequitiæ suæ iustis assertionibus exprobrarent. Fuit enim quodammodo illud tempus apud Iudæos omnium generum malitiæ fœcundissimum, ut nullum opus intermitteretur infectum: ne siquis excogitando fingere uoluisset, haberet quo magis nouum aliquid inueniret. Ita & priuatim & communiter omnes unum erant, & exuperare alium alius tam impietate quàm iniquitate in proximos certabant: potentes quidem multitudinem male tractando, multitudo uero ad interitum potentium properando: Illis enim erat dominandi cupiditas: his autem uim faciendi, bonaq; locupletum diripiendi. Primo quidem sicarij fuere iniquitatis in propinquos & crudelitatis autores, nullo neque uerbo indicto ad iniuriam, neque facto intentato ad exitium eorum, quibus insidiarentur, & penitus prætermisso. Verum & hos Ioānes moderatiores esse demonstrauit. Non solum enim omnes interficiebat, qui necessaria & profutura suaderent, tanquam inimicissimos, eiusq; modi maxime ciues tractans: sed etiam patriam malis plurimis cumulauit. Qualia facturus fuerat, qui deum quoque iam esset ausus impietate contemnere? Nam & mensa nefaria uescebatur, & legitimam patriamq; exterminauerat castimoniam: ut iam sit minime mirum, si mā suetudinis communionem minime seruabat hominibus, qui dei pietatem furore contempserat. Rursus igitur Simon Gioræ, quid mali non commisit? quáue liberorum corporum iniuria temperauit, qui eū creauere tyrannum? Quæ uero eos amicitia, quæue cognatio ad quotidianas cædes non ferocires effecit? Nanq; alienos quidē male tractare, inertis nequitiæ opus esse arbitrabantur: dariissimam uero gloriam, parere crudelitatem in familiarissimos existimabant. Horū furoris æmuli, etiā Idumæi fuere: illi enim sceleratissimi peremptis

pontificibus

Eleazarus princeps sicariorum.

Ioannes Gischalenus.

Simō Gioræ.

Idumæi.

pontificibus,ne qua pars conſeruaretur pietatis in deum,totum quod ex ciuitatis facie ſupererat, abſcidere,ſummamq; per omnia iniuſtitiam induxerunt: in qua illud hominum genus, qui Zeloti appellati ſunt,uiguit:qui nomen factis uerum probauerunt. Omne enim malitiæ facinus æmulati ſunt, nullo inæmulato,quod ante commiſſum memoriæ tradidit, prætermiſſo,quamuis nomen ſibi ex bonorum æmulatione impoſuiſſent: qui eos quos læderent,propter efferam ſui naturam cauillãdo fallebant,qui malorum quæ maxima eſſent bona ducebant. Itaq; debitum uitæ finem inuenere, merita illis omnibus pœna dei uoluntate decreta. Cũcta enim,quæ natura hominis poſſet ferre ſupplicia,in eos uſq; ad extremum uitæ terminum congeſta ſunt,quæ uarijs perempti cruciatibus pertulere. Verum fortaſſe dixerit aliquis,minora eos,quàm commiſere perpeſſos, uerum his qui iuſte ea paterẽtur,hærebant. De illis autem,qui in eorum crudelitatem inciderunt, non huius temporis pro merito conqueri. Rurſum igitur ad eam narrationis partem redeam,unde digreſſus ſum. Venit autem dux Romanorum contra Eleazarum,& qui cum eo Maſſadam tenebant,ſicarios,exercitũ ducens:& fines quidem ſtatim omnes obtinuit,præſidijs ubique locis opportuniſſimis collocatis. Caſtellum autem muro circundedit, ne quis obſeſſorum fugiendi facultatem haberet: utq; cuſtodes perſeuerarent:ipſe uero caſtris locum occupat, ad obſidionem quidem idoneum,quem delegerat,qua parte caſtelli rupes monti proximo applicabantur;cæterum difficilem ad copias utenſilium. Nõ ſolum enim commeatus ex longinquo,& cum labore Iudæorũ maximo portabãtur, quibus hæc fuerat cura mandata,uerumetiã potus aliunde in caſtra ducebatur: quoniã in eo loco nullus fons proximus naſcebatur. His autem diſpoſitis, Syluius obſidionem aggreſſus eſt,maxime molis ac laboris egentem,propter caſtelli munitionem, cuius natura huiuſmodi eſt:Saxum gyro non exiguum,& excelſum,longitudine undiq; abruptis atq; altis uallibus cingitur ex inuiſibili,ſuper fundo habens ſcopulos: ipſæq; omnium ſunt animalium greſſibus inacceſſæ, niſi quod duobus modis idem ſaxum in difficilem explicatur aſcenſum. Eſt autem unum iter ab lacu Aſphaltite ad ſolis ortum,& alterum ab occidente facilius ambulari. Vocatur autem unum coluber,ex anguſtia, crebriſq; flexibus capta ſimilitudine. Quæ enim prominet rupes,frãgitur,ac ſæpe in ſe reuertẽs,paulatim rurſum producitur:uixq; illo itinere gradiens promouet pedẽ. Nanq; mutanti ueſtigiũ,neceſſe eſt altero pede niti. Eſt autẽ certa pernicies. Altitudo enim rupium utrinq; dehiſcit, ut quæ horrore quemuis terrere audaciſſimũ poſſit. Per eiuſmodi uiã,cum triginta ſtadijs aſcẽderis,quod reſtat,uerticis eſt nõ in acutũ finem coacti, ſed ut habeat in ſummo planiciẽ. In hac primus quidẽ Ionathes põtifex caſtellũ ædificauit,& appellauit Maſſadam. Poſt autẽ Herodi magno ſtudio fuit loci illius ſtructio. Nã & murũ per omnem eius gyrũ erexit,ſtadiorũ ſpatio ſexaginta,& cãdido lapide factũ, & per duodecim altũ,latumq; octo cubitis: & uigintiſeptẽ turres quinquagenis cubitis in eo ſtabãt, ex quibus aditus mẽbra per omnẽ murũ intus ædificata. Rex enim uerticem,quod fœcũdus,omniq; planicie mollior eſſet,culturæ deſtinauerat: ut ſi quãdo externorũ alimẽtorũ penuria cõtigiſſet,hãc quidẽ laborarent,qui ſalutem ſuam caſtello tradidiſſent. Quin & regiam ſibi ædificauerat,ab occidẽtalis partis

Zeloſe.

Situs Maſſadæ & munitio.

aſcenſu,

aſcenſu,intra mœnia quidem arcis poſitam,uergentem autem ad ſeptentrionem. Regiæ uero murus erat magnus, ac firmiſſimus, celſitudine quatuor ſexagenûm cubitorum. In angulis turres habebat. Mẽbrorum autẽ intus,& porticuũ, itemq; balnearum uaria erat & ſumptuoſa conſtructio, columnis quidẽ & ſingularibus ſaxis undiq; ſubſtitutis: parietibus autem,membriſq;,ſolida compage lapidum uariatis. Ad ſingula uero habitacula,& ſurſum,& circa regiam,& ante turres,multos magnosq; puteos in ſcopulis exciderat, cuſtodes aquarum: tantam molitus abundantiam,quãtam qui fontibus uterentur, haberent. Foſſæ uero iter ex regia in arcem ſummã ducebant,quas foris nemo cernebat. Sed ne manifeſtæ quidem uiæ facilem ſui uſum præbere hoſtibus poterant. Nam orientalis quidem uia natura eſt inacceſſa, ut ſupra memorauimus. Occidentalem uero, magna in angu ſtia poſita turri conduſit, quæ non minore mille cubitorum ſpatio ab arce diſtaret: quam neque tranſire poſſe,neque capi facile uidebatur. Inextricabilis autem, quamuis licenter ambulantibus, fuerat fabricata. Ita quidem aduerſus hoſtiles impetus natura ſimul & manu caſtellum erat communitum: Intus autem repoſiti apparatus, magis & diuturnitatem & opulentiam iuuere. Nam & frumentum multum erat conditum, & quod in longum tempus ſufficere poſſet: uinumq; multum & oleum,ſuperant cuiuſq; leguminis fructus: & palmæ coaceruatæ. Cunctaq; repperit Eleazarus,caſtello per dolum cũ ficarijs occupato,matura,nihilq; recens depoſitis deteriora: quanquam ferè ex quo apparata ſunt,ad excidium à Romanis illatum, centum annorum tempus agebatur. Quinetiam Romani fructuum reliquias incorruptas offendêre. Si quis autẽ cauſam diuturnitatis auram eſſe exiſtimet, non errauerit, quod arcis altitudine ab omni terrena ac fœculenta materia ſit remota: Inuenta eſt autẽ omnigenûm quoq; armorum multitudo,ab rege condita,quæ decem milibus uirorum ſufficerent,ferrumq; infectum,necnon æris & plumbi materia: quippe ut magnis de cauſis factum crederes apparatum. Aiunt enim Herodem idipſum caſtellum ſibi ad refugium parauiſſe,duplex periculum ſuſpicãtem: unum quidem ab Iudæorum populo: ne ſe depoſito,illos qui antea reges fuerant, ad principatum reduceret. Alterum uero maius atque atrocius, ab regina Aegypti Cleopatra. Hæc enim ſuam ſententiam non celabat, ſed cum Antonio ſæpe uerba faciebat, poſtulans Herodem interfici,ſibi autem obſecrans regnum Iudæorum donari. Et magis quis miraretur,nõdum eius imperio Antonium paruiſſe,male eius amore mancipatum, quàm nõ dominaturam ſperaſſet. Propter eiuſmodi metus Herodes cõdita Maſſada,in extremum belli contra Iudæos Romanis opus dimiſit. Nam quod foris iam locum omnem muro cinxerat dux Romanorum, ſicut ſupra diximus,ac ne quis effugeret diligẽtiſſime procurauerat: incipit obſidionem,uno tantum loco reperto,qui aggerum iactum poſſet excipere. Nam poſt eam turrim,quæ iter ab occidẽte,quod ad regiam ſummumq; mõtem duceret,præludebat, erat quædã cõtinentia ſaxi uaſtior latitudine,multumq; porrecta: celſitudine autẽ Maſſadæ trecẽtis cubitis inferior,cõq; Leucen appellabant: Hãc igitur Syluius ut aſcẽdit ac tenuit,aggerem apportare militibus iuſſit: illis autẽ alacri animo & magna manu operãtibus,ſolidus ad ducẽtos cubitos erectus eſt tumulus. Verum neq; firma,neq; ſufficiẽs machinis ferendis

Aggeres ingẽtis altitudinis.

hæc men-

hæc menſura uidebatur: ſed ſuper eũ tribunal, conſtructis ſaxis ingentibus, factũ eſt altum, itemq; latum cubitis quinquaginta. Erat autem aliarum machinarum fabrica illis aſſimilis, quas primo quidem Veſpaſianus ad obſidiones, poſtea uero Titus excogitauerat: turriſq; quinquaginta cubitis euecta eſt, tota ferro conſepta. Vnde multis balliſtarum tormentorumq; iaculis, Romani cito eos reppulere, qui de muro pugnabant, & caput exerere prohibuere. Simul autem ingentẽ etiam ariete fabricato, Syluius crebro murum pulſari iubet: ac uix quidem tamen aliquam eius deiecit partem interruptam. Cito autem præuenere ſicarij, muro intus altero conſtituto. Qui, ne machinis quidem ſimile aliquid pateretur (mollis enim adhuc erat, & impetus laxare uiolentiam poterat) hoc modo cõſtructas trabes proceritate magnas, & quæ ſectæ ſunt, continentes compoſuere. Earum autẽ ordines erant duo ſimiles, tantumq; diſtantes quantum eſſet muri latitudo, & inter eos ambos replebant aggeris ſpatium. Ne uero creſcente cumulo terra defluereț, aliis tranſuerſis trabibus, quas in longitudinem poſuerant, colligabant. Erat ergo illis quidem opus ædificio ſimile: ſed quod cædendi inferebantur machinarum ictus euaneſcebant, lutoq; ſubſidente ſtructiorem fabricam faciebant. Vbi hoc Syluius conſiderauit, igni magis murum captum iri putãs, multas quidem ardentes faces militibus intrò iaculari præcepit: murus autem quippe, ut maxima ex parte lignis conſtructus, ignem cito comprehendit: & uſq; ad imum ſui laxitate calefactus, ingenti flamma colluxit. Incipiente quidem adhuc incẽdio, ſpirans aquilo Romanis erat horribilis, auertens enim deſuper flammas in eos abigebat, & penè machinas quaſi iam conflagraturas deſperauerant. Deinde flatu mutato, ueluti diuina prouidentia, excitatus auſter, multáq; ui contra obuios eas referens, muro appulit: iãq; totus ardebat ex alto. Romani quidẽ cum dei uterentur auxilio, ad caſtra læti digrediebãtur, decreto hoſtes luce aggredi, & nocte uigilias accuratiores facere, ne quis eorũ clàm ſubterfugeret. Sed neq; ipſe Eleazarus de fuga cogitabat, neq; alij cuiquam permiſſurus erat ut faceret. Videns aũt murum igne conſumptum, alium uero nullum ſalutis modum neq; uirtutis excogitans: ſed his, quæ Romani in ſe liberoſq; ſuos & coniuges facturi eſſent ſi uicíſſent, ante oculos poſitis, de omnium morte conſilium cœpit: idq; ex præſentibus fortiſſimum ratus, ualidioris animi ſocijs ueſperi cõgregatis, talibus eos uerbis adfacinus inuitabat. Cum olim uobis decretum ſit uiri fortes, neq; Romanis, neq; cuiquam alij ſeruire, niſi deo: is enim ſolus eſt uerus & iuſtus deus hominum: ecce nunc tẽpus adeſt, quod factis ueſtros probare animos iubeat. Nec igitur ipſi nos dehoneſtemus, antè quidem ſeruitutem uel ſine periculo paſſi, nunc autem cum ſeruitute intolerabiles pœnas amplexi, uiuemus ſub Romanis futuri? Primi eñ omnium ab his defecimus, & nouiſſimi cum his bellum gerimus. Puto autem & hanc nobis à deo gratiam datam, ut bene ac libere poſſimus mori, quod alijs non euenit præter ſpem ſuperatis: Nobis autem certum eſt, orto die futurũ excidium. Libera eſt autem ſtrenua mortis conditio cum affectibus, nec enim prohibere id hoſtes poſſunt, qui profecto nos optant uiuos abducere, neque nos illos iam poſſumus ſuperare pugnando. Nam fortaſſe quidem ab initio ſtatim oportuit, quando libertatem defendere cupientibus, omnia & à nobiſipſis acer-

Ariete muri quaſſati.

Ignis muris iniectus.

ba peiorácꝫ ab hoſtibus eueniebant. De dei uoluntate cõiícere & ſcire, quod amica ei quondam Iudæorũ natio damnata eſſet interitu: manẽs enim propitius, uel ſaltem nobis leuiter infenſus, nunquam tantorum quidem hominum perniciem neglexiſſet: ſacratiſſimam uero urbem ſuam igni hoſtium excidióꝫ prodidiſſet. Nos autem ſoli, ſcilicet ex omni genere Iudæorum, ſperauimus ſeruata libertate ſuperare, tanquam nil in deum deliquiſſemus, nulliuscꝫ culpæ participes fuiſſemus, qui alios quoque docuimus. Itacꝫ uidetis quemadmodũ nos uana ſpectaſſe redarguit, fortiore nobis inſperatis rebus malorum neceſſitate illata. Nec enim quicquam nobis caſtelli natura inexpugnabilis profuit ad ſalutem. Sed & alimentorum copiam, ſed armorum multitudinem, aliumcꝫ habentes abundantiſſimũ apparatum, ipſo manifeſtiſſime deo ſpem ſalutis auferẽte, perdidimus. Ignis ẽm qui ferebatur in hoſtes, in ædificatum à nobis murum non ſponte reuerſus eſt. Sed hæc multorum ira ſunt criminũ, quæ furore capti contra gentiles auſi ſumus: pro quibus quæſo ne Romanis inuictiſſimis pœnas, ſed per nos ipſos deo præſtemus: iſte autem illis moderatiores ſunt. Morientur enim coniuges iniuriauacuæ, liberi ſeruitutis expertes. Poſt illos autem ipſi nobis honeſtam inuicem gratiam præbeamus, libertate ſeruata optima ſepultura. Prius tamen & pecunias & caſtellum igni exuramus. Mœrebuntur enim Romani, certe ſcio, ſi neꝫ corpora noſtra tenuerint, compendióꝫ caruerint. Alimenta ſola relinquemus: hæc enim nobis erunt teſtimonio mortuis, quod non penuria uicti ſumus: ſed ita ut ab initio ſtatueramus, mortem ſeruituti prætulimus. Hæc dicebat Eleazarus: ſed non in eundem modum præſentium ſententiæ congruebant. Sed alij quidem ei obedire properabant, quaſi uolũtate replebantur, pulchram eſſe mortem exiſtimantes. Qui uero molliores erant, coniugum ac familiarum ſuarum miſericordia, uel etiam proprius quencꝫ apertiſſimus deterrebat interitus: alius alium intuens, contrarium uoluntatis ſuæ motum lachrymis deſignabant. Quos cum uidiſſet Eleazarus formidare, ac magnitudinem conſilij animis frangi, pertimuit, ne etiã qui fortiter dicta perceperunt, effœminarent flentes ipſi ac deplorantes. Ergo exhortationẽ non interміſit: ſed erectior, multóꝫ repletus ſpiritu, clariorem de immortalitate animæ orationem incipit: magnacꝫ uſus exclamatione, lachrymantes attentius aſpectans: Plurimum, inquit, opinione deceptus ſum: qui putarem uiros fortes pro libertate certantes, mori bene malle, ẽꝫ uiuere. Vos autem, nec cuilibet quidem homini quicquam, neꝫ audacia neꝫ uirtute præſtatis: qui etiam magna mala effugituri, mortem timetis: cum oporteret uos ſuper hoc neꝫ cunctari, neꝫ expectare monitorem. Olim enim & à primo ſenſu nos eruditos ſacræ patriæ orationis, maiorumꝫ noſtrorum factis & animis confirmando perſeuerabant: quod uiuere hominis eſt, non mori, calamitas. Nam mors quidem libertatem animis præſtat, ad proprium purumꝫ locum eas dimittit, ab omni dade futuras intactas. Donec autem mortali corpore iunctæ ſunt, unacꝫ malis eius implentur, quod ueriſimile dicitur, mortuæ ſunt. Diuina enim cum mortali ſocietas turpis eſt: Multũ quidem poteſt anima iuncta cum corpore: inſtrumentum ẽm facit ſuum, latenter id mouens, & ultra mortalem naturam geſtis producens: Verumtamen cum pondere, quo in terram detrahitur, quodꝫ ab ea pendet, abſolu-

ta,proprium locum receperit,tunc beatam & undiq; liberam participat fortitudi nem:& humanis oculis,ut ipſe deus, inuiſibilis manens:nec enim cum eſt in cor pore,conſpicitur:Nã & accedit occulte,neq; rurſus cum recedit uidetur,unã qui dem ipſa habens incorruptam naturam :corpori autem cauſam præbens muta tionis:Nam quod anima attigerit,hoc uiuit atq; uiget:unde uero digreſſa fuerit, hoc marcidum moritur,tãtum immortalitatis ei ſuperat uſus rationis. Argumen tum uobis ſit ſomnus:in quo in ſe collectæ animæ,nunquam eas detrahente cor pore,iucundiſſimam quietem agunt. Cum deo uero pro cognatione degentes, ubiq; adſunt,ac multa futura prædicunt.Cur igitur mortem timere cõueniat,qui ſomni diligimus quietem? quemadmodum autem non ſit dementiſſimum,bre uitatem uitæ ſequentes,ſibimet inuidere perpetuam? Oportebat quidem nos do meſtica inſtitutione meditatos,alijs eſſe exemplo promptæ uolũtatis ad mortẽ. Nam ſi ab alienigenis etiam rei fides petenda ſit,Indorum uideamus ſapientes, qui ſapientiam profitentur:Illi enim cũ ſint boni uiri,uitæ quidem tempus, quaſi quoddam neceſſarium naturæ munus,inuiti ſuſtinent: properant autẽ homines corporibus ſoluere:nullõq; urgẽte neq; exagitante malo,propter immortalis con uerſationis deſiderium. alijs quidem prædicunt ſe eſſe abituros.Nec eſt qui pro hibeat quicquam,ſed omnes fortunatiſſimos appellantes eos,ad familiares ſuos literas mittunt:Ita certam ueramq; animis eſſe inter ſe conſuetudinem credidere. Alij autem, cum mandata perceperint, igni traditis corporibus, ut immaculata puráq; anima ſecernatur,paulatim moriũtur.Facilius enim ad mortem illos ami ciſſimi perſequũtur, q; exterorum hominum quiſquam ſuos ciues,in longinquã peregrinationem ituros. Et ſe quidem ipſos deflent: illos autem beatos dicunt, quod immortalitatis ordinem iam recipiant. Non ergo nos pudebit,ſi deterius Indis ſapiamus,propriáq; ignauia leges patrias,quæ omnibus hominibus æmu landæ uidentur,inhoneſte deſpiciamus: quanquam & ſi contraria nos à princi pio inſtituiſſet eruditio,quod enim ſummum bonũ eſt hominibus uiuere, mors autem calamitas :attamen tempus nos adhortatur eam bono animo & facile to lerare,dei uoluntate,& neceſſario morituros.Olim enim quantum apparet,cõtra omne Iudæorum genus hoc decretum poſuit deus,ut uita careremus, qui ea nõ eramus quemadmodum oportebat,uſuri. Nec auſim enim uobiſmetipſis aſcri bere,néue Romanis gratificari,quod nos omnes eorum bellum abſumpſerit.Nõ enim uiribus illorum hæc accidêre:ſed cauſa fortior interueniens, illis præſtitit ut uincere uiderentur. Quibus enim armis Romanorum perempti ſunt,qui Cæſa ream incolebant Iudæi? ac ne defecturos quidem ab illis,dum diem ſeptimũ ce lebrarent,aggreſſa Cæſarienſium multitudo, neq; manus referentes,cum coniu gibus ac liberis mactauerunt,ne uel ipſos erubuere Romanos,qui nos tãtummo do hoſtes,quod defeceramus,putabant.Sed dicet aliquis,Cæſarienſibus ſemper cum ſuæ ciuitatis Iudæis fuiſſe diſcordiam ,tempusq; nactos uetus odium exupe raſſe:quid ergo de Scythopolitanis dicemus? Nobiſcum enim illi propter Græ cos bellum gerere auſi ſunt,an non cũ propinquis noſtris Romanos ulciſci? Mul tum igitur his fides illorum ac beneuolentia profuit,ac non ab ipſis cum totis fa milijs acerbiſſime trucidati ſunt,ac pro auxilijs gratias eis reddidere? Nam quæ il

Ab Indorum moribus petẽ tum exẽplũ.

los à nobis pati prohibuere, hæc passi sunt, uelut ea ipsi committere uoluissent. Lõgum fiet, si uelim nũc seperatim de singulis dicere. Nostis emm, quod Syriæ ciuitatum nulla est, quæ non Iudæos apud se habitantes occiderit, nobis q̃ Romanos plus inimicos. Vbi etiam Damasceni, cum ne causam quidẽ probabilem confingere potuissent, ciuitatem suã cæde nefaria repleuere, octodecim milibus Iudæorum cum coniugibus, ac familijs iugulatis. Eorum autem multitudinem plagis in Aegypto peremptorum sexaginta milium numerum audiebamus excedere: illi quidem fortasse in aliena terrà, cum nullum inuenissent hostibus aduersarium, ita sunt mortui. Omnibus autem, qui domi cum Romanis bellum suscepere, nihil deerat eorum, quæ spem totam possent præbere uictoriæ. Arma enim & muri, & castellorũ inexpugnabiles fabricæ, atq; interriti spiritus ad pericula pro libertate subeunda, cunctos ad defectionem reddunt fortiores: sed hæc ad paucũ tempus cum suffecissent, secq; sustulissent, maiorum malorum extitere principiũ. Omnia enim capta sunt, omniáq; hostibus succubuerunt, uelut illorum nobilioris causa uictoriæ, non ad eorum salutẽ, à quibus instructa fuerant, apparata sunt. Et in prælio quidem mortuos beatos existimari oportet: repugnantes enim & libertate non perdita periere. Eorum uero multitudinis, qui à Romanis subiugati sunt, quis non misereatur? quisue non antequam illa patiatur, mori properet? Quorum alij torti, tamq; igne q̃ uerberibus excruciati periere, alij ferocissime à bestijs ad secũdum eorum cibum seruati uiui sunt, illorum *quidem miserrimi habendi* sunt, qui adhuc uiuunt, qui sæpe mortem optantes non accipiunt: Vbi est autem illa magna ciuitas? Aut ubi est quæ totius gentis Iudææ Metropolis fuit? Tantis quidem murorum septis munitissima, tot uero ante muros castellis turriumq; obiectis mœnibus tuta, bellicq; apparatum uix capiens, tot autem uirorum pro se pugnantium multitudinem continens, quid nobis facta est, quæ deum habere incolam credebatur? Radicitus ex fundamentis erepta est, solaq; eius monumenta restant eorum à quibus excisa est, imposita reliquijs castra. Senes uero infelices ad cineres templi assident, & paucæ mulieres ad turpissimam pudoris iniuriam ab hostibus reseruatæ. Hæc secum reputans quisquam nostrorum, aspicere solem durabit, etiam si uiuere sine periculo possit? Quis inimicus adeo patriæ? quis tam imbellis, aut parcus anima, ut eum non pœniteat hucusque uixisse? Atque utinam omnes fuissemus mortui, priusquam illam sacram ciuitatem hostium manibus uideremus excindi, priusquam templum sanctum tanta impietate funditus erui: sed quoniam spes non instrenua nos illexit, quasi forte poterimus pro ea hostes ulcisci: nunc autem euanuit, ac solos necessitate dereliquit. Mori bene properemus, nostrimet ipsi misereamur, & coniugum liberorumq;, dum nobis licet à nobisipsis misericordiam capere. Ad mortem nanq; ipsi nati sumus: & quos ex nobis genuimus, eamq; fugere ne fortissimi quidẽ possunt. Iniuria uero & seruitus, & uidere coniuges ad turpitudinẽ duci cum liberis, non est malum hominibus ex naturæ necessitate profectũ: sed hæc sua timiditate perferunt, qui ante mori cum licuit, noluere. Nos autem multum freti fortitudine, à Romanis defecimus: & postremo nunc illis ad salutem hortantibus, non paruimus. Cui igi-

tur

tur non eſt eorũ iracundia manifeſta, ſi nos uiuos ſubiugare potuerint? Miſerãdi quidẽ adoleſcentes erunt, quorũ uires corporis ad multos ſufficiẽt cruciatus: miſerãdi autẽ prouectiores, quorũ ætas clades ferre non poterit. Videbit alius coniugẽ abduci, alius manibus reuinctis uocẽ filij patrem implorãtis exaudiet. Sed dũ liberi ſunt & gladios habent, pulchrum miniſterium nobis præbeãt, expertes ſeruitutis hoſtium. Moriamur liberi, cum filijs & coniugibus uita decedamus, nobis leges præcipiunt, hæc nos coniuges & filij deprecantur, horum neceſſitatem deus miſit, his contraria Romani uolunt, & ne quis noſtrum ante excidium pereat, timent. Feſtinemus igitur eis, pro ſperata potiundi noſtri uoluptate, ſtuporẽ mortis admirationemq; relinquere audaciæ. Adhuc eum orare cupientem omnes interpellabant: & effrenato quodam impetu pleni, ad opus incitabant: ac ueluti lanijs exagitati, alius alium antecapere cupiebat: hoc ſpecimen eſſe fortitudinis, rectiq; conſilij exiſtimãtes, ne quis extremus remanere uideretur: Tantus eos & cõiugum & filiorũ & propriæ cædis amor inuaſit. Sed nec id quod aliquis putauerit, cum facinus accederet obtuſi ſunt, uerumetiam ſeruauere ſententiam, quam cum dicta perciperent, habuerunt: proprium quidem charumq; affectum retinentibus cunctis, rationi uero cedẽtibus, quia iam optime filijs conſuluiſſent. Simul enim ualere uxoribus cum amplexu dicebãt, ac liberos gremijs captos extremum lachrymantes oſculabantur. Et ſimul quidem manibus alienis iuſſa perigentibus uolentes eos configebant: malorum quæ ſubditi hoſtibus paſſuri fuerant cogitationem, habentes pro ſolatio neceſſitatis ad cædem. Denique nemo hac audacia minor inuentus eſt. Cuncti autem coniunctiſſimos tranſfixere: miſeri, quibus id neceſſe fuit, quibusq; filios atq; uxores occidere, malorum omniũ uidebatur eſſe leuiſſimum. Igitur neq; horum iam factorum dolorem tolerantes, & interfectos læſos exiſtimantes, ſi uel breuiſſimum tempus eis ſuperueniret: cito quidem uniuerſis bonis in unum congeſtis, ignem inijciunt. Sorte uero ex numero ſuo decem lectis omnium percuſſoribus, uniuerſi etiam propter liberos ac coniuges proſtratos compoſiti, eosq; complexi manibus, cum communicaſſent, parato animo ſe mactandos præbebant, infeliciſſimum illud exhibentibus miniſterium: iſti autem intrepide cunctis occiſis, eandem ſortis legem in ſua quoq; morte ſtatuerunt, ut cui obtigiſſet, nouem peremptis, ſemet ſuper eos occideret. Ita omnes ſibi confidebant, quod neque in audendo, neque in ſuſtinendo facinore, præſtaret alius alij. Et ad extremum cæteri quidem ſe neci ſuppoſuere: Vnus uero atque nouiſſimus, circumſpecta multitudine mortuorum, ne quis forte in multa cæde ſupereſſet, qui ſuæ manus egeret: ubi cognouit omnes peremptos, ignem quidem immittit regiæ: uehementi uero manu, toto per ſe tranſacto gladio, iuxta ſuos affectus occubuit. Et illi quidem perierant, nullam credentes animam ex numero ſuo Romanis ſubditam reliquiſſe. Latuit autem una mulier ſenior, & alia quædam Eleazari cognata, plurimum doctrina ſapientiáque mulieribus præſtans, & quinque pueri per cuniculos, qui aquam ſub terra potui ducebant abditi, cum alij cædibus occupatas mentes haberent, qui erant nongenti numero & ſexaginta, cum mulieribus ſimul ac pueris. Hæc autẽ calamitas acta eſt Aprilis menſis quintodecimo die. Romani autem adhuc pugnam expectantes

Numerus interemptorum nongenti & ſexaginta.

mane deſiſtunt,& aggeribus ſcalarum pontibus iunctis muros aggrediebantur. Cum uero hoſtium neminem uiderent,ſed undiq; uerſum acerbam ſolitudiné, ignemq; intus ac ſilentiũ, quid factum eſſet coniicere non poterant,ad extremũ uelut impellentes ictum arietis, ululatum, ſi quem forte prouocarent,dederant. Clamorem autem ſenſere mulieres, & ex cloacis emerſæ, factũ Romanis ut erat indicarunt,altera earum quemadmodum dicta uel geſta fuiſſent omnia narrante manifeſte. Non tamen Romani facile his uerbis adducebantur,auſi magnitudinem,ueriſimilem nõ credentes. Ignem uero extinguere conabantur,perq; hũc uiam ſectantes cito in regiam peruenere: conſpectaq́ue multitudine moriorũ, non ut in hoſtibus gauiſi ſunt: ſed conſilij fortitudinem,& obſtinatum in tanto numero rebus ipſis contemptum mortis admirabantur.

Interitus ſicariorum,qui in Alexandriã & Thebas profugerant. Caput XXIX.

HIuſmodi autem peracto excidio,in caſtello quidem præſidium dux reliquit,ipſe uero cum exercitu ad Cæſarem profectus eſt. Nec enim quiſq; ſupererat in illis regionibus hoſtium,ſed iam tota Iudæa belli fuerat longinquitate ſubuerſa: multisq; ſuorum etiam procul incolẽtibus ſenſim perturbationibus periculum exhibuerat. Nam & circum Alexãdriam Aegypti ciuitatem poſtea contigit multos Iudæorum perire. His enim qui ex factione ſicariorum illuc effugere potuerunt, non ſatis erat ſaluos eſſe:uerum & illic nouas res conabantur,ut libertatem defenderent, & Romanos quidem nihil ſe meliores putarent,deũ uero ſolum dominum dicerent. Cum autem quidam ĩs Iudæorũ nõ ignobiles adueꝛſarentur,illos quidem mactauere, alĩs quidem inſtabant, ad defectionẽ eos rogantes. Eorum autem uidentes confidentiam principes ſeniorum,iam cohibere tutum ſibi non eſſe arbitrabantur: ſed congregatis omnibus in congregationem Iudæis,ſicariorum temeritatem publicabant, illos omnium malorum cauſam eſſe demonſtrantes: & nunc aiebant eos quod nec ſi fugiſſent,certam ſpem ſalutis habituri uiderentur: à Romanis enim cognitos ſtatim perituros eſſe, & proprias calamitates explere. Ipſis autem qui nullius fuiſſent eorum delicti participes,cauendum eſſe ab eorum exitio: & multitudinem precabantur,ut illorum cauſa Romanis ipſorũ traditione ſatisfacerent. His dictis,proſpecta periculi magnitudine paruere,multq; ómpetu ſicarios aggreſſi corripuere:quorum ſexcenti quidem ſtatim capti ſunt. Qui uero in Aegyptum ac Thebas,quæ in illo tractu erant,elapſi ſunt,non multo poſt comprehenſi reducti ſunt:quorum non eſt qui duritiam,ſiue confidentia ſiue pertinacia uoluntatis ſit dicenda,non obſtupeſcat. Omni enim genere tormẽtorũ & uexatione corporum in eos excogitata,ob hoc ſolummodo ut Cæſarem dominum fatẽrentur,nemo ceſſit,neque dicere uelle uiſus eſt: ſed omnes illæ neceſſitatis ualidiorem ſententiã conſeruauere, tanquàm brutis corporibus non animis etiam cruciatus ignemq́ue ſuſciperent: Maxime uero puerorum ætas, miraculo ſpectantiũ fuit. Nec enim uel eorum quiſquam commotus eſt, ut dominum Cæſarem nominaret: uſque adeo corporum infirmitatem uis audaciæ ſuperabat.

Magna ſicariorum pertinacia.

Omnẽ

Oniæ templum dauſum apud Alexandriam. Caput XXX.

LVpus tunc Alexandriam rector adminiſtrabat,& de hoc ad Cæſarem motu uelocitet retulit. Ille autem inquietum Iudæorum circa res nouas ſtudiũ, tauendum eſſe exiſtimans,ac ueritus ne rurſus in unum congregarentur,& quoſdam ſibi adiungerẽt,præcepit Lupo,ut templũ Iudæorum,quod eſſet apud Onion(quæ ſic appellatur)ciuitatem,deſtrueret: Hæc autem eſt in Aegypto: quæ ob hanc cauſam & coli cœpit,& nomen ſumpſit: Onias Simonis filius,unus ex pontificibus,ex Hieroſolymis fugatus,Antiocho rege Syriæ cum Iudæis bellũ gerente,Alexandriam uenit: & à Ptolemæo ſuſcipitur humaniſſime, propterea quod Antiocho erat inimicus: ait ſe gentem Iudæorum eius auxilio ſociaturum,ſi dictis ſuis obtemperaſſet. Cum autem rex ea quæ poſſent fieri annuiſſet, rogauit ut in aliqua parte Aegypti templũ ſibi ædificare permitteret, & more patrio deum colere. Ita enim & Antiochũ magis odioſum Iudæis,qui templum apud Hieroſolymam uaſtauiſſet, ipſiſque beneuolentiores fore,eóque multos ad eos religionis diligentia colligendos. Paruit his Ptolemæus,eiq; locum dedit centum & octoginta ſtadijs à Memphi diſtantem: Heliopolitanus autem ille tractus dicitur: ubi caſtello fabricato, Onias templum quidem diſſimile ab eo quod eſt in Hieroſolymis, turrim autem ſimilem inſtruxit, ingentibus ſaxis ſexaginta cubitis erectam. Areæ autem fabricam ſecundum patriam imitatus eſt,& donarijs ſimilter exornauit,præter candelabri confectionem: Candelabra enim non fecit, ſed informatum aureum lignum tanquam iubare in luce radiante,de aurea catena ſuſpendit. Totum uero circa templum ſpatium ſtructo latere circundedit,ſaxeas portas habente. Conceſſit autem rex etiam multum agri modum,ac pecuniæ reditus: ut & ſacerdotibus eſſet copia ad multa, quæ dei cultus deſideraret: Non tamen hæc Onias ſana uoluntate faciebat,ſed erat ei contentio cum Iudæis apud Hieroſolymam degentibus,propter fugæ memorem iracundiam. Et hoc tẽplo ædificato, arbitrabatur ad id omnẽ ab Hieroſolymis multitudinem reuocaturum. Fuerat autem olim prædictio quædam annis noningentis ſeptuaginta. Eſaiaſq; prædixerat huius templi futuram in Aegypto conſtructionem à quodã uiro Iudæo. Templum quidem ita fuerat ædificatum. Lupus autem rector Alexandriæ, ſuſceptis literis imperatoris,cum ad templum aduenĩſſet,nonnullis ablatis donarijs, templum claudit. Poſtmodum Lupo mortuo Paulinus,qui eius poteſtati ſucceſſit,neque donariorum quicquam reliquit (uehementer enim ſacerdotibus comminatus eſt, niſi omnia protuliſſent) Neque ad templum religionis cauſa adire uolentes admiſit,ſed dauſis foribus ita inacceſſum fecit,ut ne ueſtigiũ quidem diuini cultus in eo reſideret. Tempus autem fluxerat uſque dauſum templum ex quo fuerat conditum,anni trecenti trigintatres.

De templo Oniæ.

Templum Oniæ depræ-datum eſt.

De interfectione Iudæorum apud Cyrenen. Caput XXXI.

AVdacia uero ſicariorum,ueluti morbus, quædam etiam ea quæ circum Cyrenen oppida erant,contigerat. Elapſus enim ad eos Ionathes homo nequiſſimus,& arte gynæciarius,non paucis imperitorum ut ſe attenderent,preſuaſit: perduxit in ſolitudines,cum ſigna umbrarum imagines ſe polliceretur oſtendere,& alios quidem hæc agendo atq; fallendo latebat. Dignitate uero præſtan-

tes Cyrenẽſium Iudæorum, apparatum eius & profectionem, Pentapolitanæ Libyæ rectori Catullo pronnuciant. Ille autẽ equitibus ac peditibus miſſis, inermes facile comprehendit: & magna quidem pars manibus interijt. Nonnulli autem ui ui capti, ad Catullum perducti ſunt. Autor autem conſilij Ionathes tunc quidem potuit effugere: multum uero ac diligenter per omnes quæſitus regiones incidit, adductuſq; ad Catullum, ſibi quidem moram pœnæ moliebatur, Catullus autẽ iniquitatis præbuit occaſionem. Nam ipſe quidem locupletiſſimos Iudæorũ falſoq; inſimulans, autores ſibi huius conſilij fuiſſe dicebat. Catullus autẽ *crimina*tiones alacri animo ſuſcipiebat, remq; delatam multimode incumulabat, tragicis etiam uerbis exaggerans, ut & ipſe quoddam bellum Iudæorum patraſſe uideretur: quodq; hoc atrocius eſt, præter credendi facultatem, etiam doctor erat calumniandi ſicarios. Denicq; cum uidiſſet Iudæorum aliquem Alexandrum nomine: cui iamdudum infenſus, odium publicauerat etiam uxor eius Beronice crimi nationibus implicata, hos quidem priores occidit, deinde omnes ſimul pecuniarum copijs eximios, tria ſimul milia trucidauit. Et hæc ſecure facere arbitrabatur, quod eorum patrimonia reditibus Cæſaris ſociabat. Ne uero uel alibi degentiũ quiſquam Iudæorum, eius iniuſtitiam confutaret, etiam longius mendaciũ propagauit, ac Ionathæ nonnullisq; aliſs, qui comprehenſi fuerant, perſuadet, noua rum rerum accuſationem uiris inferre probatiſſimis Iudæorum, apud Alexãdriã Romamq; degẽtium. Horum autem qui per inſidias accuſati ſunt, unus erat Ioſephus qui hæc ſcripſit. Non tamen Catullo factio, ita ut ſperauerat, ceſſit. Nam Romam quidem Ionathen, cæterósque uinctos ducens, finem arbitrabatur eſſe quæſtionis apud ſe, ac per illam conflatam calumniam: Veſpaſianus autem rem ſuſpicatus, ueritatem requirebat, cognitione non iure hominibus accuſationem illatam, illos quidem Titi ſtudio criminibus ſoluit, merito uero pœnam in Ionathen ſtatuit. Prius enim uerberatus, uiuus exuſtus eſt. Catullo autem tunc quidem ob lenitatem principum obtigit, ne quid amplius reprehẽſibile experiretur. Non multo autẽ poſt, multiplici morbo & inſanabili correptus, acerbiſſime uerberatus eſt, nõ corporis tantum cruciatum ſuſtinens, ſed erat ei maior animi morbus & grauior. Terroribus enim expaueſcebat, & crebro uidebat ſibi inſtãtes umbras eorum quos peremerat, & damitabat. Cumq; ſe tenere nõ poſſet, exiliebat ſtratis, tãquam tormentis ſibi & flammis adhibitis. Hoc autẽ ſemper multũ proficiente malo, extisq; defluentibus, ac inteſtinis exhauſtis, ita eſt mortuus: nullæ re alia magis diuinæ prouidentiæ facto indicio, quàm quod nequiſſimos ulciſcatur.

Iudæorũ tria milia occiſa.

Ionathes exuſtus eſt.

Iuſta dei uindicta in Catullum.

PERORATIO.

Hic nobis eſt finis hiſtoriæ, quam promiſimus nos cum omni ueritate traditu ros, cognoſcere cupientibus, quemadmodum hoc bellũ Romanis ita geſtum eſt cũ Iudæis: & qualiter ſit quidem expoſitum lecturis, ut dicant, relinquatur. De ueritate autem confidenter dicere nõ pigebit, quod eam ſolam per omnia, quæ ſcripſi, habuerim coniecturam.

Flauij